$1.00



Loquere, Domine!

qui audit servus Tuus!

Adlocutiones Jesu Christi

ad cor hominis

ex

divinis Scripturis depromptae,

cum quotidianis precibus;

in

Clericorum et Saecularium usum editae

a

M. A. Nickel,

S. Theologiae Doctor et Canonicus capitularis Ecclesiae cathedralis moguntinae.

TOMUS I.

De Prudentia Justorum.

Editio secunda.

Francofurti ad Moenum. 1855.

Typis et Sumptibus Joannis Davidis Sauerländer.

Pacifico Regi Cordium Jesu Christo!

Indignissimus Ejus servus:

Scriptores alii dedicent opera sua Principibus terrenis; ego vero dedico ac dico opera mea omnia et hocce praecipue Tibi, Regi pacifico, per Quem reges regnant, et Qui magnificatus est super omnes reges universae terrae.

Offero quippe Tibi, Rex, Qui corda suavissime regis, votum cordis mei, tanquam voti authori, Cui Soli placere vellem.

Tibi enim dixit cor meum: Exquisivit Te facies mea; faciem Tuam, Domine, requiram!

Debeo certe Tibi votum hoc, quod continet mollitos super oleum sermones Tuos, quibus corda casta emolliuntur; trahuntur enim unguento exinanito dulcissimi Nominis Tui.

Offero Tibi, Rex magne, non verba vacua humanae sapientiae artificio sonantia, quorum memoria perit cum sonitu: sed verba plena sensus Tui, quem in scriptura sancta expressisti, et pio cordi fidelis servi Tui: *Joannis a Jesu-Maria,* ex ordine Carmelitarum, prius inspirasti; offero hasce allocutiones, ut fiant Holocausta medullata, quae placeant, obsecro, cordi Tuo!

Dum haec, quae praefatus Tuus servus edidit, de novo ut ederentur, curarem, optavi, ut vi sermonis

vivi Tui lectores inflammarentur, et aquae arderent igni, ut notum fieret Nomen Tuum.

Fiat, oro, mitissime Rex, quod expetivi; et, si qua merces labori meo reddenda esset, sitiat in Te, precor, anima mea, quam multipliciter Tibi caro mea!

O Rex pacifice! tantummodo in ista voce exaudi me!

O Sapientia! quae ex ore Altissimi prodiisti, primogenita ante omnem creaturam, attingens a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia: Veni, ad docendum nos; duc nos in solitudinem et loquere nobis ad cor; quia audit Te servus Tuus!

Praefatio.

Suavior profecto est, christiane lector! Eloquentia Jesu Christi, quam omnium vel praestantissimorum hujus mundi Doctorum. Eloquia Domini, eloquia casta, quae sunt velut argentum igne examinatum, purum a terra, purgatum septuplum; amabiliora sunt, quam profana verba, quantumvis picta, ut cum ostentatione vendantur. Sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens usque ad intima compagum et medullarum; pretiosior est, quam oratio amatorum mundi composita ad animos sine fructu, vel cum fraude delectandos. Bonae conscientiae argumentum est, non solum sensu Christi, sed etiam simplicitate verborum Christi delectari. Misit Ille eloquium Suum terrae, ut velociter curreret sermo Ejus; et lex Illius immaculata convertens animas, non ex sermone, sed ex virtute aestimaretur. Ego igitur unus e plebe Ejus, de novo ut ederetur hicce meditationum libellus a R. P. Joanne a Jesu-Maria, Carmelita Hispano, compositus et anno Domini MDXXII Colon. Agripp. impressus sub titulo: „De Prudentia Justorum" studiose curavi, quoniam ex ipsis dulcissimis Sacrae Scripturae verbis ad finem, quem Spiritus Sanctus intendit, hoc est: ad instruenda corda Clericorum et Saecularium contextum inveni; hac de causa etiam preces sacris depromptas scripturis ad quotidianum usum adjunxi; speravi enim, cum venerabili isto Religioso,

Jesu Christi verba etiam per ministrum indignissimum prolata et scripta, peccatoribus, quorum salutem quaero, et justis, quorum consummationem exopto, profutura. Finis autem totius meditationum libelli hic est, ut ad aeternam beatitudinem assequendam media maxime opportuna proponantur. Inducitur autem Jesus Christus loquens, quia vel Ipsa Ejus verba sunt, vel certe Ipsius inspirationis piis cordibus immissae.

Lector amicus autem, qui hac lectione proficere ad aeternitatem cupit, tria observare velit: *primum:* ut tempus locumque a strepitu remotum ad legendum eligat; *secundum:* ut lente legat; *tertium:* ut, dum se commoveri senserit, lectionem intermittat, donec ille commotionis calor deferveat.

Studeant alii variis mundi artibus, et disciplinis: ego prudentiae Justorum studebo. Mihi enim adhaerere Deo bonum est, et ponere in Domino fidelissimo spem meam!

Moguntiae, die 18 Mart. 1844.

Ante Orationem.

Ante Orationem praepara animam tuam! Eccli. XXVIII.

Domine! doce nos orare! Ipse Spiritus postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus! Miserere mei, Deus, et exaudi orationem meam!

Domine! doce nos orare! nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus. Respice ad orationem servi Tui, et ad preces ejus, Domine, Deus meus! audi hymnum et orationem, quam servus Tuus orat coram Te hodie, ut sint oculi Tui aperti super me nocte ac die, et super domum hanc, ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad Te servus Tuus, et cum exaudieris, propitius eris.

Confiteantur Tibi, Domine, omnia opera Tua, et sancti Tui benedicant Tibi! Gloriam regni Tui dicent, et potentiam Tuam loquentur! Prope es Tu, Domine, omnibus invocantibus Te, invocantibus Te in veritate. Voluntatem timentium Te facies, et deprecationem eorum exaudies, et salvos facies illos. Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro Nomini sancto Ejus in saeculum, et in saeculum saeculi!

Quis mihi tribuat, ut desiderium meum audiat Omnipotens? Quis mihi det, ut cognoscam et inveniam Illum, et veniam usque ad solium Ejus, et intelligam, quid loquatur mihi? Surgam et ascendam ad montem

Domini! Ascendam, et adorabo et deprecabor faciem Ejus. Scrutabor testimonia Ejus et meditabor eloquia Ejus, procidam ad pedes Ejus; expandam manus meas, et effundam cor meum in conspectu Illius. Appropinquabo et stabo coram Illo, et praestolabor cum silentio salutare Ejus, donec emittatur ab Altissimo visitatio, et accipiam de doctrina Illius et illuminer a facie verborum sanctorum Ejus.

Accede, anima mea; accede ad tabernaculum sanctum Domini!

Accede, ut adores Dominum, Deum tuum; ut loquaris cum Deo tuo, et audias, quid loquatur in te Deus tuus, et obedias voci Ejus.

Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei!

Appropinquet deprecatio mea in conspectu Tuo, Domine!

Vacate et videte, quoniam Ego sum Deus! Ps. XLV.

Vidi Dominum sedentem super solium Suum, et omnem exercitum coeli assistentem Ei a dexteris, et a sinistris. Magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu Ejus sunt; excelsus et sublimis, habitans aeternitatem, et sanctum Nomen Ejus in excelso; in sancto habitans; thronus Ejus flammae ignis, splendor in circuitu Ejus, et implens omnia majestas Ejus. Humiliare, anima mea, et adora! Ecce Deus tuus, in Cujus conspectu cadunt Angeli in facies suas. Ipse est

Deus vivens, Dominus majestatis; procide in faciem tuam, et adora Dominum, Deum tuum!

Intret oratio mea in conspectu Tuo, Domine!

In conspectu Altissimi deprecabor!

Domine, Deus fortis, magne atque terribilis, ad Cujus nutum pavent coeli, et contremiscunt; a Cujus facie silet omnis terra: corruo pavens in faciem meam ante conspectum Tuum, ante oculos majestatis Tuae.

Quis ego sum, ut appaream coram Domino, et ad Omnipotentem loquar?

Ego pulvis et cinis, putredo et vermis, homo vilis et homo peccator.

Qui non sum dignus intueri et aspicere altitudinem coeli prae multitudine iniquitatum mearum: quis ego sum, ut appropinquem Ei, quia immundus sum?

Et nunc, fortissime Deus spirituum universae carnis hominis, in conspectu Angelorum adoro Te et psallo Tibi! Flecto genua mea, et tremens sto ante pedes Tuos, et prostratus humilio animam meam in conspectu Tuo!

Levo ad Te, Domine! manus meas, et invoco Te, Deum omnipotentem, et offero Tibi, Deus altissime, in hac hora, in qua adsto coram Te, orationem meam! Suscipe eam de manu sancti Angeli Tui, ut sit oblatio digna, incensum suavissimi odoris, sacrificium sanctum; et fiat Tibi acceptabilis per dilectum Filium Tuum Jesum Christum!

Qui sanctificaris in iis, qui appropinquant Tibi, fac,

ut sanctificem in hac hora Te, Deum sanctum, et perveniat oratio mea ad habitaculum sanctum coeli!

Ostende mihi, Deus meus, majestatem et magnitudinem Tuam, ut exultem Tibi in timore ac tremore sancto! ostende lucem miserationum Tuarum! converte vultum Tuum ad me, et non avertas faciem Tuam a me in indignatione Tua!

Memento mei, Deus meus; visita me in salutari Tuo! effunde aquas super sitientem, et fluenta super aridam animam meam! effunde Spiritum sanctum Tuum, et emitte fontem sapientiae: verbum Tuum, Domine!

Qui illuminas mirabiliter a montibus aeternis, Lux vera, quae illuminat omnem hominem: faciem Tuam illumina super me! fulgura coruscationes, et emitte radios ab illuminatione vultus Tui! egrediatur ignis a facie Tua, et cor meum inflammet eloquium Tuum, et in meditatione sancta exardescat, ut surgam ab oratione confortatus in Te, et in potentia virtutis Tuae ex consortio sermonis Tui!

Meditatio cordis mei in conspectu Tuo, Domine!

In fine Orationis.

Domine! ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes! Quam dulcia faucibus meis eloquia Tua! ignitum eloquium Tuum vehementer. Et nunc, Domine! confortatus in Te surgam ab oratione; recordare, quod steterim in conspectu Tuo; benedic egredientem de

tabernaculo Tuo, et visitatio Tua custodiat spiritum meum!

Adoravi et Omnipotentem deprecatus sum; quaesivi Dominum in oratione mea; colluctata est cum Eo anima mea; os meum aperui, et attraxi spiritum. Eloquium Domini inflammavit me; concaluit cor meum intra me, et confirmatus sum. Manus meas extendi in altum; animam meam direxi ad Dominum, et in agnitione inveni Illum. Benedictus Dominus, Qui tribuit mihi intellectum; benedictus Deus, Qui non amovit orationem meam, et misericordiam Suam a me! Propter hoc non derelinquar; laetabitur anima mea in misericordia Illius, et non confundetur in laude Ipsius; in testimoniis Ejus delectabor; laetabor super eloquia Ejus, quia exultatio cordis mei sunt.

Confortabor in Te, Deus meus! et in lumine Tuo ambulabo; lucerna pedibus meis verbum Tuum, et lumen semitis meis; mirabilia testimonia Tua; declaratio sermonum Tuorum illuminat.

Et nunc, Domine, Deus omnipotens, in misericordia Tua vivifica me, et custodiam testimonia oris Tui; in corde meo abscondam eloquia Tua. Confirma me in verbis Tuis, et gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, ut inhaeream Tibi, et ambulem coram Te in veritate et corde perfecto.

Custodi me, et da mihi constantiam et contemnam inimicos meos, et virtutem eorum et evertam illos. Adjuva me et salvus ero, et meditabor in justificationibus

Tuis semper, et meditabor in mandatis Tuis, quae dilexi nimis.

In lege Tua sit voluntas mea, et in lege Tua die ac nocte meditatio mea!

In excitatione matutina.

Ut surgerent mane ad confitendum, et canendum Domino. I. Paral. XXIII.

Deus meus, ad Te de luce vigilo. Consurgam, et stabo coram Domino. Adorabo, et Omnipotentem deprecabor. Orabo, et mane exaudiet vocem meam.

Deus, in adjutorium meum intende! Domine, ad adjuvandum me festina. Exurge in adjutorium mihi, Domine, ne moreris.

Fac, ut induam novum hominem, et renover secundum imaginem Ejus, Qui creavit illum, et induar decore, et honore Ejus, quae a Te Deo est, sempiternae gloriae.

Laudes divinae.

In surrectione matutina.

Repleatur os meum laude. Ps. LXX.

Invocabo Nomen Tuum, Domine, et laudabo Te in ortu surgentis aurorae. Psallam Tibi, gloria mea, Qui gloriosus de sepulchro surrexisti diluculo; Qui ascendisti super coelum coeli ad orientem.

Per singulos dies benedicam Tibi: laudabo Te in vita mea, et in diebus meis invocabo: donec

videam diem Tuum, in quem jam nunc gaudeo, et exulto. •

Qui fecisti, ut oriretur in coelo lumen indeficiens, illumina vultum Tuum, Domine, super me, et illuminetur omnis terra gloria Tua.

Post surrectionem matutinam.

Primitias tuas ne tardaveris reddere. Exod. XXII.

Benedico Te, Deus meus, quia vocasti me de tenebris ad lucem, et in requie mea repletus sum bonis. Repletus sum mane misericordia Tua.

Ad Te, Deus meus, de luce vigilo, ut adorem, et laudem Te; et praevenerunt oculi mei ad Te diluculo, ut meditarer eloquia Tua, et ad ortum lucis Te adorarem.

Sanctifica diem istum, ut delecter in matutina oblatione primitiarum mearum, et sint accepta opera mea per dilectum Filium Tuum, Jesum Christum.

Esto mihi in Deum protectorem, spes mea ab uberibus matris meae. Mitte Angelum sanctum Tuum, qui me custodiat in via.

Da mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, et sit splendor Tuus, Domine, super me, ut cognoscam Te solum verum Deum, et Quem misisti, Jesum Christum.

Mitte Spiritum sanctum Tuum de altissimis, et da timorem Tuum in corde meo, ut ambulem in via Tua, quia Tu es Deus noster, et laudabimus Te in saecula saeculorum. Amen.

Mentalis Oratio.

Ante Orationem.

Ante orationem praepara animam tuam. Eccli. XVIII.

Ascendam ad montem Domini: ascendam, et adorabo; procidam ad pedes Ejus, et effundam cor meum in conspectu Illius.

Accede, anima mea, ad tabernaculum sanctum Domini; accede, ut loquaris cum Deo tuo, et audias, quid loquatur in te Deus tuus.

In ingressu ad Orationem.

Vacate, et videte, quoniam Ego sum Deus. Ps. XLV.

Humiliare, anima mea, et adora, procide in faciem tuam, et adora Dominum, Deum tuum.

In principio Orationis.

In conspectu Altissimi deprecabor. Eccli. XXVIII.

Quis ego sum, ut appaream coram Domino, et ad Omnipotentem loquar? Ego pulvis, et cinis; homo vilis; homo peccator. In conspectu Angelorum adoro Te, Deus meus, et prostratus humilio animam meam in conspectu Tuo.

Suscipe de manu sancti Angeli Tui in hac hora orationem meam, et fiat Tibi acceptabilis per dilectum Filium Tuum, Jesum Christum. Faciem Tuam illumina super me, et cor meum inflammet eloquium Tuum, ut surgam ab oratione confortatus in Te ex consortio sermonis Tui.

In fine Orationis.

Descenditque Moyses de monte. Exod. XIX.

Confortatus in Te, Deus meus, egrediar de tabernaculo Tuo. Recordare, quod steterim in conspectu Tuo; et visitatio Tua custodiat spiritum meum. Amen.

Post Orationem.

Audisti verba Illius; custodi mandata Ejus, ut bene sit tibi. Deuter. IV.

Adoravi, et Omnipotentem deprecatus sum. Benedictus Deus, Qui non amovit orationem meam, et misericordiam Suam a me. Laetabor super eloquia Ejus, quia exultatio cordis mei sunt.

Et nunc, Domine, Deus omnipotens, gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, ut ambulem coram Te in virtute, et corde perfecto. In lege Tua sit voluntas mea, et in lege Tua die ac nocte meditatio mea.

Affectus laudis tempore matutino.

Repleatur os meum laude. Ps. LXX.

Benedic, anima mea, Domino: Domine, Deus meus, magnificatus es vehementer. Memor ero operum Tuorum; enarrabo magnalia sapientiae Tuae.

Tu creasti omnia; conservas omnia, et vivificas; et omnis exercitus coeli Te adorat, et omnis creatura servit Tibi. Non est, qui resistat voci Tuae.

Quam magnificata sunt opera Tua, Domine! Magna opera Tua, Deus omnipotens; magna, et mirabilia operatus es; non est, qui possit facere opera Tua.

Gloria Domini plena sunt opera Ejus. Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Deus noster prae omnibus diis. Operuit coelos gloria Ejus, et laudis Ejus plena est terra. A solis ortu, et occasu laudabile Nomen Ejus; ab aquilone, et mari.

Laudate, coeli; exulta, terra; jubilate, montes, lau-

dem; tonet mare, et plenitudo ejus; glorificate, habitatores orbis; omnis spiritus laudet Dominum.

Benedicite Dominum, omnes Angeli Ejus; benedicite omnes virtutes Ejus; benedicite omnia opera Ejus; in omni loco dominationis Ejus benedic, anima mea, Domino.

Sit gloria Domini in saeculum; sit Nomen Ejus benedictum in saecula; laudationem Domini loquatur os meum, et benedicat omnis caro Nomen sanctum Ejus in saeculum, et in saeculum saeculi. Benedictus Dominus in aeternum. Fiat! Fiat!

Actus fidei.

In fide vivo Filii Dei. Galat. II.

Benedico Te, Deus meus, quia vocasti me ad agnitionem veritatis. Tu sapiens, et verax es; ideo adhaesi testimoniis Tuis, quae credibilia facta sunt nimis. Confirma me in verbis Tuis, ut sim stabilis in fide, tenens confessionem Jesu Christi.

Actus spei.

Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Rom. II.

Salvatorem expecto, Dominum Jesum Christum: fidelis Deus in omnibus verbis Suis, in quibus supersperavi. Inclinavi igitur cor meum ad faciendas justificationes Tuas in aeternum propter retributionem; propter coronam justitiae, quam reddes justus Judex.

Actus charitatis.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Rom. V.

Diligam Te, Domine, ex toto corde meo, quia Tu solus bonus es, et amabilis super omnia. Diligam Te,

Qui prior dilexisti me, et Filium Tuum pro me tradidisti. Diffundatur charitas Tua in corde meo, ut unum sim Tecum, Qui unum es cum Filio Tuo, et Spiritu sancto, regnans in saecula saeculorum. Amen.

In Orationem dominicam.

Domine, doce nos orare. Lucae II.

Pater noster, Qui es in coelis. Domine, Deus noster, Qui in excelsis habitas, qualem charitatem dedisti nobis, ut filii Dei nominemur, et simus? Vere Tu Pater noster es, et Tu Deus noster.

Sanctificetur Nomen Tuum. Fac, ut adorem Te Deum verum in spiritu, et veritate; ut confitear Nomini Tuo magno, quod terribile, et sanctum est, et sciant omnes, qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quia non est Deus praeter Te, et in medio multarum gentium glorificaris; et nos glorificabimus Te in operibus nostris, Deus noster.

Adveniat regnum Tuum. Adveniat, Domine, regnum Tuum; regnum omnium saeculorum, et gratia Tua regnet per justitiam, ut simus haeredes regni, quod repromisisti diligentibus Te, et ministretur nobis introitus in aeternum regnum Dei, et Salvatoris nostri, Jesu Christi, cum Quo regnabunt omnes Sancti in saecula saeculorum. Amen.

Fiat voluntas Tua. Domine, in ditione Tua cuncta sunt posita. In manibus Tuis sortes meae. Doce me facere voluntatem Tuam, quia Deus meus es Tu; et fac in me, quod est placitum coram Te per dilectum

Filium Tuum, Qui descendit de coelo, ut faceret voluntatem Tuam; et quae placita Tibi, fecit semper.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qui das escam omni carni, tribue victui meo necessaria. Ciba me pane vitae, et intellectus, et pota me aqua sapientiae salutaris. Da mihi carnem Tuam, quae vere est cibus, et sanguinem Tuum, qui vere est potus, ut ambulem in fortitudine cibi istius usque ad montem sanctum Tuum, et edam, et bibam super mensam Tuam in regno Tuo.

Dimitte nobis debita nostra. Reminiscere miserationum Tuarum, Domine, et delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris; ne recorderis iniquitatum mearum. Propitiare peccato meo; multum est enim. Ne visites peccata mea; sed in misericordiis Tuis multis dimitte mihi.

Et ne nos inducas in tentationem. In Te eripiar a tentatione, Deus Dominus, fortitudo mea; ad defensionem meam conspice. Multi, qui persequuntur me, et tribulant me: ne tradas me a desiderio meo peccatori, ne derelinquas me, ne sequar concupiscentiam cordis mei, et fiam in opprobrium, et gaudium inimicis meis.

Sed libera nos a malo. Adjutor meus, et liberator meus es Tu. Domine Deus salutis meae, clamabo coram Te; in Te speraverunt patres nostri; speraverunt, et liberasti eos: ne despicias me in tribulatione mea; eripe me, et libera me, qui non derelinquis quaerentes Te, et exaudis sperantes in Te: benedictus es, Domine in aeternum. Fiat! Fiat!

Hora tertia.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Act. II.

Domine, Deus meus, Qui hora diei tertia super discipulos Tuos misisti Spiritum sanctum, effunde super me, et super meam carnem de Spiritu sancto Tuo. Repleat cor meum, et mentem meam; habitet in me, et operetur in me, et deducat me in viam rectam, ut perveniam ad regnum coelorum; et cum Angelis, et Sanctis Tuis laudabo Te in saecula saeculorum. Amen.

Ante Confessionem Sacramentalem.

Vade, et ostende te Sacerdoti. Matth. XIV.

Scrutatur vias suas. Iniquitates meae in conspectu Tuo, Domine: non abscondar a facie Tua, et propter Nomen Tuum placatus mihi eris, et exaltaberis parcens mihi.

Et nunc, Domine, ingredior in interiora cordis mei; occulta mea manifesta mihi, ut compungar coram Te, et convertar ad Te, Deus meus.

Dolet, et statuit custodire legem Domini. Humiliata est in conspectu Tuo anima mea. Plorans plorabit, et oculi mei deducent lacrymas, quia paevaricatus sum in Te, Quem diligo ex toto corde, et super omnia. Detestor peccata mea, et iniquitates meas odio habeo, quas operatus sum.

A mandatis Tuis non recedam amplius; a semitis Tuis non declinabo; ambulabo in novitate vitae, et poenitentiam agam ab omnibus peccatis meis.

Sperat remissionem, et implorat. Vadam, et

ostendam me sacerdoti, et ad pedes ejus portabo iniquitatem meam. Stabo coram illo, et expectabo humilis consolationem Tuam.

Suscipe igitur peccatorem contritum, et humiliatum, ut respiret in luce miserationum Tuarum; et gloriabor in miserationibus Tuis, Domine, Deus meus.

Post Confessionem Sacramentalem.

Sanus factus es: jam noli peccare. Joann. V.

Magna est, Domine, miseratio Tua, et multae misericordiaė Tuae. Ego autem in voce laudis immolabo Tibi; exaltabo Te, et laetabor in misericordia Tua.

Ecce sanus factus sum; nolo amplius peccare: non recedam a Te, Deus meus, quoniam vivificasti me. Custodiam legem Tuam, et renovabor de die in diem.

Custodi animam meam, ut sit vas in sanctificationem, et honorem ad gloriam Nominis sancti Tui, et in aeternum glorificeris cum Sanctis Tuis, qui Te laudabunt in saecula saeculorum. Amen.

Ante Sacrum pro Sacerdotibus.

In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. Malach. I.

Offert holocaustum. Suscipe, Domine sancte Pater, de manibus meis in oblationem suavissimi odoris, corpus, et sanguinem pretiosi Agni, et immaculati Filii Tui, Jesu Christi, quem offero Tibi omnipotenti Deo excelso in loco isto, quem elegisti in domum sacrificii.

Offerat universa multitudo hoc holocaustum mente devota, quemadmodum Unigenitus Ipse Filius Tuus obtulit Semetipsum, et quotidie Se offert super placabile altare Tuum in holocaustum sempiternum.

Sacrificium Eucharisticum. Gratias etiam agentes super hoc inenarrabili dono dilecti Filii Tui, et caeteris donis Tuis, colimus Te, omnipotens aeterne Deus, in hostiis, et muneribus: et offerimus Tibi hoc sacrificium recordationis, Eundem Filium Tuum, Jesum Christum, ut sit memoriale aeternum in odorem suavissimum in conspectu divinae majestatis Tuae.

Sacrificium propitiatorium. Accedo etiam, Domine, ad altare Tuum cum vero corde, et plenitudine fidei, ut offeram hanc placabilem hostiam divinae majestati Tuae propitiationem pro peccatis nostris, et totius mundi.

Hic est sanguis testamenti, in quo sanctificati sumus. Accedimus ad novi testamenti mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Sacrificium impetratorium. Respice, omnipotens Deus, de sanctuario Tuo, et suscipe hoc sacrificium pro universo populo Tuo. Rogabit Te populus Tuus, Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus sit honor Tuus in consummatione sanctae oblationis.

Angelus etiam sanctus Tuus, qui stat ante altare Tuum, offerat preces nostras super hoc altare; et ascendat fumus incensorum de orationibus nostris coram Te.

Propitiare populo Tuo, et haereditati Tuae, quae

stat coram altari Tuo, et offert hoc sacrificium, oblationem perpetuam in generationes nostras.

Accedit ad sanctum altare. Et nunc, Domine, accedam ad altare Tuum; ad altare holocausti; ad mensam plenam pinguedine, atque dulcedine. Haec est mensa purissima, atque mundissima coram Domino.

Ponam sanctum panem super altare Tuum in monumentum sanctae oblationis. Offeram holocaustum Deo coeli, et comedam praeparatum, et consecratum Domino in loco sancto.

Fac me sacerdotem sine macula. Indue me veste sancta, et indumento justitiae circumda me; sanctifica offerentis manus, ut levem eas pure in ascensu altaris sancti, ad immolandum Domino Deo excelso.

Sanctifica cor meum, et reple me coelesti benedictione, et gratia, ut sim sanctus corpore, et spiritu, et fiat oblatio haec accepta, et sanctificata in Spiritu sancto; et sacrificium meum in conspectu Tuo, ut placeat Tibi, Domine, Deus meus.

Veni, Domine; occurre sitienti animae meae. Veni, et suscipiam Te gaudens in domum meam, et benedictionibus Tuis plenus ero.

Laetare, anima mea, et gaude gaudio magno, quia venit tibi Salvator: appropinquat tibi Deus tuus; egredere in occursum Dei tui; propera in adventum Salvatoris tui.

Ecce venio. Veni, Domine Jesu; imple animam meam majestate Tua, et cor meum inenarrabilibus thesauris Tuis.

Dilata os Tuum, et implebo illud. Ecce venio, Domine Jesu!

Post Sacrum.

Non defrauderis a die bono; et particula boni doni non te praetereat. Eccli. XIV.

Admiratur et gaudet. Dominus meus, et Deus meus, in Quem non videns credo; Quem diligo, et adoro; quid est homo, quod visitas eum? Et unde hoc mihi, ut venias ad me? Et quis locus iste habitationis Tuae, Deus meus, Salvator meus?

Circumspice, Hierusalem, et vide! Majestas Domini ingressa est in te; recordatus est tui, et visitavit te; plena es Deo tuo: jubila, filia Sion; exulta, et laetare in Domino, Deo tuo; in Deo sancto tuo: magnalia enarra operum Ejus, et mirabilia adinventionum Ejus.

Laudat, et gratias agit. Quid autem retribuam Tibi, Deus meus? Quanta fecisti animae meae? Pane sancto vitae aeternae cibasti me, et bibi sanguinem immaculatae victimae, quam immolavi Domino, Deo meo.

Sacrificium laudis immolabo Tibi; exaltabo Te, et benedicam Te in laetitia; in actione gratiarum, et canticis confitebor Tibi, quoniam fecisti mirabilia.

Cor suum effundit ad Deum suum. Inveni, Quem diligit anima mea. Quis mihi det, ut cognoscam Te, Qui es intra me? Deus cordis mei; totus desiderabilis. Quam magna multitudo dulcedinis Tuae, Domine! Gustavi, et vidi, quoniam suavis es: liquefacta est anima mea.

Caro Tua cibus ad vescendum suavis; calix Tuus inebrians: concaluit cor meum intra me; concepi ardorem, et inflammatus sum: vulnerasti cor meum.

Quis me separabit a Te? Non dimittam Te, nisi

benedixeris mihi. Reple me coelesti benedictione, et gratiae Tuae divitias in me abundanter effunde in hac die visitationis Tuae; sana me; conforta me; corrobora me; vivifica me; sanctifica me, et refice hoc pane vitae, antequam moriar.

Diem festum agit Deo suo.

Et adorantes regressi sunt cum gaudio magno. Luc. XXIV.

Hodie salus huic domui facta est: venit Filius hominis; Benedictus, Qui venit in Nomine Domini. Et nunc, Domine, confortatus egredior de sanctuario Tuo. Memor ero mirabilium Tuorum; cogitatio cordis mei confitebitur Tibi, et reliquiae cogitationis diem festum agent Tibi. Tota die cantabo laudem Tuam.

Ne elongeris a me, Deus meus; mane apud me, ut ducam laetam diem; et visitatio Tua custodiat spiritum meum in hac die, et in diem aeternitatis. Amen.

Applicatio Sensuum.

Gustate, et videte. Ps. XXXIII.

Contemplatur Deum suum. Inveni, Quem diligit anima mea: quis mihi det, ut cognoscam Te, Qui es intra me, Deus cordis mei, totus desiderabilis? Aperi oculos meos, et imple splendoribus Tuis animam meam.

Audit Deum suum. Audiam, quid loquaris in me, Deus meus. Loquere ad cor meum; loquere, quia audit servus Tuus: reple me inenarrabilibus verbis Tuis.

In Ejus odorem currit. Ex odore unguenti impleta est anima mea. Odor Tuus, Domine, super

omnia aromata. Trahe me post Te in odorem unguentorum Tuorum.

Gustat Deum suum. Quam magna multitudo dulcedinis Tuae, Domine! Gustavi, et vidi, quoniam suavis es. Caro Tua cibus ad vescendum suavis; calix Tuus inebrians.

Vulneratur charitate. Intremui ad tactum Tuum; intremui, et expavi: tetigi Sanctum Domini; concaluit cor meum intra me: concepi ardorem, et inflammatus sum; liquefacta est anima mea: vulnerasti cor meum.

Signaculum cordis Christus. Ponam Te, ut signaculum super cor meum, ut sit anima mea locus sanctificationis Tuae, in quo glorificeris, Deus meus, Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ante Communionem Sacramentalem.

Escam dedit timentibus Se. Ps. CX.

Accedam, Domine, ad altare Tuum; ad mensam plenam pinguedine, atque dulcedine. Haec est mensa purissima, atque mundissima coram Domino. Posuisti sanctum panem super altare Tuum in monumentum sanctae oblationis, et comedam praeparatum, et consecratum Domino in loco sancto.

Quis ego sum, ut pares mihi juge convivium, et ponas me inter convivas mensae Tuae? Quis ego sum, ut appropinquem Tibi, quia immundus sum? Sanctifica animam desiderantem Te: sanctifica cor meum, ut sit templum Dei vivi; habitaculum sanctum Domino.

Veni, Domine; occurre sitienti animae meae: veni,

et suscipiam Te gaudens in domum meam, et benedictionibus Tuis plenus ero. Laetare, anima mea, et gaude gaudio magno, quia venit tibi Salvator. Appropinquat tibi Deus tuus, egredere in occursum Dei tui; propera in adventum Salvatoris tui.

Preces post Communionem.

Inveni, Quem diligit anima mea, tenui Te, nec dimittam; non dimittam Te, nisi benedixeris mihi. In rore coeli desuper sit benedictio mea. Adauge mihi fidem et reple me omni gaudio et pace in credendo, ut abundem in spe, et virtute Spiritus sancti. De excelso mitte ignem in ossibus meis, ignem, quem venisti mittere in terram et voluisti, ut accendatur. Sit timor Tuus mecum, et serviam Tibi corde perfecto, et animo voluntario, et cum diligentia cuncta faciam, omnia enim corda scrutaris, Domine, et universas mentium cogitationes intelligis, non est apud Te iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum: si quaesiero, Te inveniam, si autem dereliquero Te, projicies me in aeternum. Da ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis et lingua mea perdat me. Impone mihi, Domine, crucem portare post Te, semper mortificationem Tuam in corpore meo circumferens, ut et vita Tua manifestetur in corpore meo. Haec erit benedictio mea; Te, Domine, benedicente benedictus ero in perpetuum. Omnibus, qui timent Te quoque, obsecro, ut benedicas pusillis cum majoribus. Miserere

nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum Tuarum, et immitte timorem Tuum super gentes, quae non exquisierunt Te, ut cognoscant, quia non est Deus, nisi Tu, ut enarrent mirabilia Tua. Alleva manum Tuam super gentes alienas, ut videant potentiam Tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es, in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant, sicut et nos cognovimus, quoniam non est Deus praeter Te, Domine! Innova signa et immuta mirabilia. Glorifica manum, et brachium dexterum. Excita furorem, et effunde iram. Tolle adversarios et afflige inimicum. Festina tempus et memento finis, ut enarrent mirabilia Tua. In ira flammae devoretur, qui salvatur, et qui pessimant plebem Tuam, inveniant perditionem. Contere caput principum inimicorum dicentium: Non est alius praeter nos. Congrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant, quia non est Deus, nisi Tu, et enarrent magnalia Tua, et haereditabis eos sicut ab initio. Miserere plebi Tuae, super quam invocatum est Nomen Tuum, et Israel, quem coaequasti primo genito Tuo. Miserere civitati sanctificationis Tuae, Jerusalem, civitati requiei Tuae. Reple Sion inenarrabilibus verbis Tuis, et gloria Tua populum Tuum. Da testimonium his, qui ab initio creaturae Tuae sunt, et suscita praedicationes, quas locuti sunt in Nomine Tuo Prophetae priores. Da mercedem sustinentibus Te, ut Prophetae Tui fideles inveniantur, et exaudi orationes servorum Tuorum. Secundum benedictionem Aaron de populo Tuo, et dirige nos in viam justitiae, et

sciant omnes, qui habitant terram, quia Tu es Deus, conspector saeculorum, et in omnibus glorificetur Deus, Pater Tuus coelestis: Cui est gloria et imperium in saecula saeculorum.

Incipe ergo, et benedic animae servi Tui, ut sit in sempiternum coram Te et maneat in dilectione Tua.

Da leges Tuas in mente mea, et in corde meo superscribe eas.

Si praecepta Tua servavero, manebo in dilectione Tua, sicut et Tu Patris Tui praecepta servasti, et manes in Ejus dilectione.

Ante Studium.

Viam sapientiae monstrabo tibi. Prov. IV.

Deus, a Quo omnis sapientia venit, dirige studia mea in gloriam Tuam, ut sciam Te, et in hoc glorier, nosse Te, et Jesum Christum, et Hunc crucifixum, per Quem est Tibi honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Ad petendam Prudentiam.

Beatus, qui affluit Prudentia. Prov. III.

Intret sapientia Tua, Domine, in animam servi Tui. Prudentia, et consilium custodiant me, ut recta videant oculi mei, et in directione cordis judicium loquar, confidens in Te, Qui illuminator es, Domine, Deus meus.

Preces et piae Aspirationes
pro Sacrificio Missae.

Ante Sacrum.

Domine, Deus! sic fiat sacrificium nostrum in conspectu Tuo hodie, ut placeat Tibi!

Tibi, o Deus! sacrificabo hostiam laudis, et Nomen Domini invocabo!

Agnosco, Domine Jesu! cum dilexisses Tuos, in finem vere dilexisti eos!

Ecce enim parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me!

Dum Sacerdos ad limen altaris Missam inchoat.

Vivit Dominus! quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi! ibi erit servus Tuus!

Mihi adhaerere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam!

Domine! Tecum paratus sum, in carcerem et in mortem ire!

Deus meus! Redemptor meus! averte faciem Tuam a peccatis meis! projice post tergum Tuum omnia peccata mea! Ecce, Domine! ego hic jaceo ad ostium altaris et pulso! aperi, Domine! aperi; Tu enim Ipsemet dixisti: Pulsate, et aperietur vobis.

Nihil dignum in conspectu Tuo egi, ideo deprecor majestatem Tuam, ut Tu, Deus, deleas iniquitatem meam! Miserere! Miserere!

Ad Confessionem.

Deus! propitius esto mihi peccatori! Pater! peccavi in coelum et coram Te! jam non sum dignus

vocari filius Tuus! O mi Jesu! propitiare peccato meo; multum est enim!

Miserere mei, Deus! secundum magnam misericordiam Tuam!

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorem die ac nocte!

Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea!

Dum Sacerdos a limine ad altare regreditur.

Domum Tuam, Domine! decet sanctitudo in longitudinem dierum! Ego autem in multitudine misericordiae Tuae introibo in domum Tuam; adorabo ad templum sanctum Tuum in timore Tuo! Ne reputes mihi, Domine mi! iniquitatem, neque memineris injuriarum servi Tui! iniquitatem meam ego cognosco!

Dum Sacerdos osculatur altare.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in generationem et generationem. Vivant! vivant! Benedictus Deus in Sanctis Suis et benedictae reliquiae Tuae!

Honoro in cineribus Sanctorum Tuorum, o Deus! Semina aeternitatis! honoro corpora, quae Christum honorarunt, quae cum Christo regnabunt et sedebunt in coelo.

Ad Introitum Missae.

Noli timere, Sion! Dominus, Deus tuus, in medio tui, Ipse salvabit! Nomen Ejus vocabitur:

Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis!

Totus est desiderabilis Dilectus meus; et Ipse est Amicus meus!

Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Ad Kyrie eleison!

Peccavi Domino! Ne projicias me a facie Tua! Respice in me et miserere mei!

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Deus!

Tu autem es fons aquae salientis in vitam aeternam! tantum jube, ut in Te, fontem vitae, effundam spiritum meum!

Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum! quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Voca me! Jube me, venire ad Te; non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei!

O Domine! ostende mihi faciem Tuam! sonet vox Tua in auribus meis! Vox enim Tua dulcis, et facies Tua decora!

Ostende nobis, Domine! misericordiam Tuam, et salutare Tuum da nobis! Servus Tuus sum ego!

Ad Hymnum: Gloria in excelsis Deo!

In conspectu Angelorum psallam Tibi! adorabo ad templum sanctum Tuum, et confitebor Nomini Tuo! Omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster, Jesus Christus, in gloria est Dei, Patris! Laetabor et exultabo in Te, Domine! Gloria in altissimis Tibi et in terra pax hominibus! Laudamus Te! Adoramus

Te! Benedicimus Tibi! Glorificamus Te! Gratias agimus Tibi! Domine Deus! Agnus Dei, Qui tollis peccata mundi! miserere nobis! Tu solus sanctus, altissimus, Dominus!

Ad Dominus vobiscum!

Dominus nobiscum! in medio nostri! Benedicite, sacerdotes Domini, Domino! laudate et superexaltate Eum in saecula! Sacerdotes Tui, o Domine! induantur justitiam!

Ad Collectas.

Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem servi Tui, et preces ejus! Inclina, Domine! aurem Tuam et audi! aperi oculos Tuos et vide! Tu es patientia mea, Domine! Exaudi, Domine! placare, Domine! attende, et fac, ne moreris propter Temetipsum! Deus meus! quia Nomen Tuum invocatum est super populum Tuum!

Respice, Domine, Deus meus, ad orationem servi Tui, et ad preces ejus; audi hymnum et orationem, quam servus Tuus orat coram Te hodie!

Domine! exaudi orationem, quam orat in loco isto ad Te servus Tuus!

Exaudi, Domine! deprecationem servi Tui, et populi Tui, quodcunque oraverint in loco isto; et exaudies in loco tabernaculi Tui in coelo, et cum exaudieris, propitius eris!

Erravi, sicut ovis, quae periit; quaere servum Tuum, Domine!

Ad Epistolam.

Domine misericordiae! da mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, quoniam servus Tuus sum ego, et minor ad intellectum judicii et legum! Emitte sapientiam de coelis sanctis Tuis, et a sede magnitudinis Tuae, ut mecum sit et mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit coram Te; et deducat me in operibus meis sobrie, et custodiat me in Tua potentia!

Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus?

Sensum Tuum, Domine, quis sciet, nisi Tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum Tuum de altissimis?

Gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, et non dominetur mei omnis injustitia!

Lucerna pedibus meis verbum Tuum, et lumen semitis meis!

Docebo iniquos vias Tuas, et impii ad Te convertentur!

Ante Evangelium,

cum Missale transportatur a latere ad latus.

Ne derelinquas me, Domine, Deus meus! ne discesseris a me! O Domine! labia veracium, et doctrinam senum ne auferas! Custodiam legem Tuam semper, in saeculum, et in saeculum saeculi! Sancti Angeli Dei, ne denuo dicite: Curavimus Babylonem, et non est sanata! Ne derelinquite! Ah! ne nos derelinquite!

Ad Evangelium.

Christe Jesu! Ciba me pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris pota me!

Deus meus! volui, et volo, et legem Tuam in medio cordis mei!

Deus! docuisti me a juventute mea et usque in senectutem et senium, Deus, ne derelinquas me!

Bonitatem et disciplinam et scientiam Tuam doce me; quia mandatis Tuis credidi!

O Domine! Tu dixisti: Coelum et terra transibunt, verba autem Mea non transibunt!

Obsecro, ne a nobis auferas verbum veritatis usquequaque! Adsis, o Virgo Maria, quae conservasti omnia verba haec, conferens in corde tuo! conserva eadem in nobis et apud nos, o Mater et Virgo!

Ad Credo.

In fide vivo Filii Dei, Qui dilexit me, et tradidit Semetipsum pro me!

Beati, qui non viderunt et crediderunt! Credo, Domine! adjuva incredulitatem meam!

Ita credo, ut fidei causa paratus sim, Tecum in carcerem et in mortem ire!

O anima mea! Prophetico sermone firmius nihil; cui benefacis attendens, tanquam lucernae lucenti in caliginoso loco! omnis enim prophetia scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

Credo, Domine! quae tradit nobis ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.

Testimonia Tua, Domine! credibilia facta sunt nimis. Credo, Domine! et accipio verbum Tuum, non ut

verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, Qui operatur in illis, qui credunt.

Ad oblationem Hostiae.

Scio, Domine, quod probes corda, et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei laetus offero universa, Domine Deus! custodi in aeternum hanc voluntatem! Mihi enim pauperi et egeno, velle adjacet ad offerendum munera, perficere autem non invenio.

Ah! quid dignum offeram Domino, Deo meo? Ecce! anima mea in manibus meis semper!

Intellectum offero! Domine! Tu dixisti: Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua graderis! accipe ergo, Domine! intellectum meum, instrue illum et redde! Danti mihi sapientiam, dabo gloriam! Ne derelinquas me, Domine! ne accrescant ignorantiae meae, ne multiplicentur delicta! Signatum est super nos lumen vultus Tui, Domine! Ergo, o Deus! in lumine Tuo videam lumen! Da mihi intellectum, ut discam mandata Tua! Intellectum da mihi et vivam! Ecce! appropinquat deprecatio mea in conspectu Tuo, Domine! juxta eloquium Tuum da mihi intellectum! intellectus bonus omnibus facientibus Eum! o Domine! da, ut faciam, quae facienda intelligo! beatus ero, si, quae scio, faciam!

Voluntatem offero! Scriptum est de me: ut faciam voluntatem Tuam; Deus meus, volui, et legem Tuam in medio cordis mei! Nunquam, Pater! mea, sed semper et in omnibus fiat voluntas Tua! Domine!

quid me vis facere? Fac, ut ego quoque facere idipsum velim et faciam! Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non fecit secundum voluntatem Ejus, vapulabit multis! Ah! quam multis ego vapulabo! O Domine! ad Te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates! Fiat voluntas Tua sicut in coelo et in terra!

Oculos offero! Ad Te levavi oculos meos, Qui habitas in coelis! Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Te, Domine, Deus noster! Firmabo super Te oculos meos! Providebo Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear! Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum, Deum nostrum, donec misereatur nostri! Oculi mei semper ad Dominum; quoniam Ipse evellet de laqueo pedes meos!

Linguam offero! O Domine! prohibe linguam meam a malo, et labia mea, ne loquantur dolum. Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea!

Domine! labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem Tuam!

Pone, Domine! custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis! non declines cor meum in verba malitiae!

Cor meum offero! O Domine! cor meum conturbatum est! Laetetur cor meum, ut timeat Nomen Tuum! Cor meum derelinquit me! recessit retro cor meum! reduc illud iterum in viam Tuam! Cor mundum et novum crea in me, Deus! aufer cor lapi-

deum, et dona cor carneum! Paratum cor meum, Deus! paratum cor meum! Pone illud ut signaculum super cor Tuum!

Memetipsum totum offero! O Domine! Tuus sum ego! salvum me fac! Da, Domine! ut diligam Te ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus meis, et ex tota mente mea, super omnia, et in omnibus!

Ad infusionem Vini et aquae in calicem.

O Domine! ego egenus et pauper sum! Deus! adjuva me! Stilla aquae sum, quidquid sum! Aurum et argentum non est mihi; quod autem habeo, hoc Tibi do! Vidua est anima mea, vix habens bonorum operum, quae Tibi offerat, aera minuta duo!

Imperfectum meum videant, o Deus, oculi Tui! Domine, Tu es pars calicis mei!

Adhaesit et adhaerebit anima mea post Te, Deus meus! Qui autem Tibi, Domine, adhaeret, unus Spiritus est. Mihi autem adhaerere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam! Pars mea Dominus; dixit anima mea; propterea exspectabo Eum! Nonne, Domine, optimam partem elegit, qui hanc sibi eligit?

Deus meus! adimplebo, quae adhuc per me desunt passionum Christi in carne mea.

Esto tantum pars mea, Deus, in aeternum!

Ad oblationem Calicis.

Domine, Deus! omnis terra adoret Te, et psallat Tibi! Laudate Dominum, omnes gentes, laudate Eum,

omnes populi! Domine! benedictum Nomen majestatis Tuae in aeternum, et repleatur majestate Tua omnis terra! Fiat! Fiat! Domine! immitte timorem Tuum super gentes, quae non exquisierunt Te, ut cognoscant, quia non est Deus, nisi Tu, et enarrent magnalia Tua! Afferte Domino, patriaė gentium, afferte Domino gloriam et honorem! afferte Domino gloriam Nomini Ejus! Omnes gentes agnoscant, quia Tu es Deus, et non est alius praeter Te! Domine! da testimonium his, qui ab initio creaturae Tuae sunt et suscita praedicationes ad gentes, quae Te adhuc non noverunt, et ad regna, quae Nomen Tuum non invocaverunt.

Ad Lotionem manuum.

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino! Deus! Tu scis insipientiam meam et delicta mea a Te non sunt abscondita! Si voluero contendere Tecum, non potero Tibi respondere unum pro mille! Tibi Soli peccavi, et malum coram Te feci! Lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies! Áh! Deus meus! cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Tolle! Tolle et aufer in aeternum! Tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto meo maximo!

Amplius lava me, Domine! ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me!

Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc! Tu ergo, Domine! adhuc me justifica

et sanctifica! Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne Tu, o Deus, Qui Solus es? Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine! et ab alienis parce servo Tuo!

O Deus! etiam coeli in conspectu Tuo non sunt mundi! Et in Angelis Tuis reperisti pravitatem. Quid in me reperies? Pravum est cor omnium. Ah! Domine! quando dicam: Mundus sum ego, et absque delicto immaculatus et non est iniquitas in me? quando dicam: Lavabo inter innocentes manus mees? et: ego autem in innocentia mea ingressus sum? redime me et miserere mei, ut pes meus stet in directo, et in ecclesiis benedicam Te, Domine!

Ad Orationem post manuum ablutionem.

Gloria Tibi, Pater, Fili, Spiritus sancte! unus Deus et Dominus! Ex Quo omnia, per Quem omnia, in Quo omnia! Ipsi gloria in saecula! Gloria et omnibus Sauctis Ejus!

Cum dicit Sacerdos: Orate, Fratres!

Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animae meae; dicam Deo: noli me condemnare! voluntarie sacrificabo Tibi et confitebor Nomini Tuo, Domine!

Ad Orationes secretas.

O Domine! effundo in conspectu Tuo orationem meam et tribulationem meam ante Te pronuntio!

Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit!

Domine! non est sanitas in carne mea; non est

pax ossibus meis a facie peccatorum meorum! O Domine! lumbi mei repleti sunt illusionibus! Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae! Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me. Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem! Sitivit in Te anima mea; quam multipliciter Tibi caro mea. In terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui Tibi!

Ad Praefationem.

Domine! Tibi dixit cor meum: exquisivit Te facies mea; faciem Tuam, Domine! requiram.

Haeccine reddam Domino stultus ego et insipiens? numquid non Ipse est Pater meus, qui possedit me et fecit et creavit me? Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Domine, Deus! Tibi laus! cuncta enim, quae in coelo sunt et in terra, Tua sunt; Tuum, Domine regnum, et Tu es super omnes principes!

Domine Deus! Tuae divitiae, et Tua est gloria; Tu dominaris omnium; in manu Tua virtus et potentia; in manu Tua fortitudo, magnitudo et imperium omnium!

Nunc igitur, Deus noster, confitemur Tibi et laudamus Nomen Tuum inclytum; Tua sunt omnia, quae de manu Tua accepimus! Confitebor Tibi, Domine, Rex, et collaudabo Te Deum, Salvatorem meum; confitebor Nomini Tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi et liberasti corpus meum a perditione!

In conspectu Angelorum psallam Tibi; adorabo ad templum sanctum Tuum et confitebor Nomini Tuo!

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria Tua! Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in Nomine Domini! Hosanna in excelsis!

Sub Canone.

Trahe me post Te! in odorem unguentorum Tuorum currimus! Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri, Jesu Christi! Exeamus igitur ad Eum extra castra, improperium Ejus portantes!

Ad Memento pro vivis.

Pro Pontifice: Oremus pro Pontifice nostro N. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus!

Pro Episcopo: Ecce Domine! sicut oves convertimur ad Pastorem et Episcopum animarum nostrarum! Rogo pro eo, qui vigilat quasi rationem pro anima mea redditurus, ut cum gaudio hoc faciat, et non gemens, ut faciat in nobis, quod placeat coram Te per Jesum Christum!

Pro aliis ecclesiae statibus: O Domine! sacerdotes Tui induantur justitiam! Domine Deus! sacerdotes Tuos indue salutari! Fac, recogitent semper, ut sint sine crimine, sicut Dei dispensatores; non superbi, non iracundi, non vinolenti, non percussores, non turpis lucri cupidi; sed hospitales, benigni, sobrii, justi, sancti, continentes, amplectentes eum, qui secun-

dum doctrinam est, fidelem sermonem! ut praedicent verbum, instent opportune, importune: arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina! ut vigilent, in omnibus laborent, opus faciant Evangelistae, ministerium suum impleant; coronam justitiae a Te justo judice demum reportent!

Pro civili magistratu: O Domine! oramus et obsecramus pro regibus, ducibus, praepositis omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam vitam et tranquillam agamus, cum omni pietate et castitate! O Domine! salvum fac principem; et exaudi nos in die, qua invocaverimus Te! Deus, judicium Tuum regi da, et justitiam Tuam filio regis! Magnifica salutes regis Tui, et fac misericordiam illi, et semini ejus usque in saeculum!

Pro amicis, cognatis etc.: Oramus, Domine, Deus noster, pro fratribus etc. nostris! salvos fac servos Tuos, Deus meus, sperantes in Te! mitte eis auxilium de sancto, et de Sion tuere eos! Nihil proficiat inimicus in eis, et filius iniquitatis non apponat nocere eis!

Pro universo populo: Salvum fac populum Tuum, Domine! et benedic haereditati Tuae! et rege eos et extolle illos usque in aeternum! Domine! remitte iniquitatem plebis Tuae; operi omnia peccata eorum; mitiga omnem iram Tuam; averte ab ira indignationis Tuae!

Pro infidelibus et haereticis: Fiat, o Deus! unum ovile et unus pastor! adduc, bone pastor, eos omnes in Tuum ovile, ut audiant vocem Tuam, cognoscant

Te et sequantur Te; ut sciant: hanc esse vitam aeternam, ut cognoscant Te solum Deum verum, et Quem misisti, Jesum Christum! Tu enim in carne venisti, Redemptor, quaerere et salvare, quod perierat; quaerere oves, quae perierunt, domus Israel! ut vitam habeant et abundantius habeant! aufer velamen ab oculis eorum, ut procidant ad Tua genua, cum apostolis Tuis exclamantes: Tu es Christus, Filius Dei vivi, Dominus meus, et Deus meus!

Invocatio Sanctorum: O Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei, ora pro me! Tu es ancilla Domini! O Domine! ego servus Tuus, et filius ancillae Tuae! Omnes Sancti, orate multum pro populo et sancta civitate! orate pro nobis, ut Deus aptet nos in omni bono, ut faciamus Ejus voluntatem, et quod placeat coram Se per Jesum Christum, Cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Dum Sacerdos manus expandit super oblata.

Numquid, Domine Deus, nunc acceptabis sacrificium justitiae? Tibi, Domine! sacrificabo hostiam laudis, et Nomen Domini invocabo. Sacrificabo sacrificium justitiae, et sperabo in Domino! Domine Deus! fiat pax in virtute Tua! Da pacem, Domine! finibus nostris; dormiamus, et non sit, qui exterreat! O Domine! ecce ego in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea! Domine! ne in furore Tuo arguas me, neque in ira Tua corripias me! O Deus, salutaris noster! averte iram Tuam a nobis! numquid in aeternum irasceris nobis, aut ex-

tendes iram Tuam a generatione in generationem? Domine! ostende mihi gloriam Tuam; ostende mihi omne bonum! Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam?

Dum Sacerdos, hostiam tenens oculos elevat.

Ad Te levavi oculos meos, Qui habitas in coelis! ad Te, Domine! oculi mei!

In consecratione Hostiae.

Emitte Angelum, Domine! Dominatorem terrae! Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant justum! Veni, dilecte mi! veni! O Domine! excita potentiam Tuam et veni, ut salvos facias nos! Veniamus, adorare Eum! Veni, Domine Jesu!

Dum Sacerdos, hostiam genu flexo adorat.

Dominus meus, et Deus meus! Coram Te flectatur omne genu coelestium, terrestrium, et infernorum! Ecce hic est Salvator mundi!

Ad Elevationem hostiae.

Venite, adoremus, et procidamus ante Deum! Vere Tu es Deus absconditus! Beati, qui non vident et credunt! Vere Dominus est in loco isto! Tu es Christus, Filius Dei vivi! Protector noster, aspice, Deus; et respice in faciem Christi Tui! Tu Rex gloriae, Christe! Tu Patris sempiternus es Filius! Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna coelorum! Adoro Te, Christe, Salvator! Qui per mortem Tuam vivificasti mundum! Dilectus meus

mihi et ego Illi! Nuntiate Ei, quia amore Ejus langueo! Quis nos separabit a caritate Christi, Qui dedit Semetipsum nobìs?

Ad Elevationem calicis.

O sanguis Christi! emunda conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi! Adoro Te, Dominus meus et Deus meus! hic est sanguis Tuus, qui emundat nos ab omni peccato. Christe Jesu! Tu redemisti nos Deo in sanguine Tuo, ex omni tribu et lingua, et populo et natione. O Domine! anima mea sicut terra sine aqua Tibi! Sitio, Deus meus, sitio! Te ergo quaesumus Tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti! Sanguis Christi, inebria me! Aqua lateris Christi, lava me! Passio Christi, conforta me! O bone Jesu, exaudi me! Domine! Tu olim Samaritanae ad fontem aquae dixisti: „Omnis, qui biberit ex hac aqua, quam Ego dabo ei, non sitiet in aeternum; fiet quoque in eo fons aquae salientis in vitam aeternam." Fiat ergo, Domine! hic fons ex vulneribus et latere Tuo animae meae saliens in vitam aeternam! Domine! Tu dixisti: „Transeat a Me calix iste!" transeat igitur a Te ad me calix iste! transeat! Calix in manu Domini vini meri plenus mixto; et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen faex ejus non est exinanita; bibent omnes peccatores terrae! Domine! etiam ego de peccatoribus sum! Si non potest ergo hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas Tua! transeat a Te ad me calix iste!

Post Consecrationem et Elevationem.

Domine Deus! intret in conspectu Tuo oratio mea! inclina aurem Tuam ad precem meam! Dirigatur, Domine! oratio mea sicut incensum in conspectu Tuo! Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum! Appropinquet deprecatio mea in conspectu Tuo, Domine!

Ad Memento pro defunctis.

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine! Forsitan brevi et tenebrae conculcabunt me!

Illuminare, o Jesu! his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, et dirige eos in viam pacis!

O Domine! animas pauperum Tuorum ne obliviscaris in finem! animas pauperum salvas fac! O Domine! educ de custodia animas famulorum famularumque Tuarum N. N. O Domine! dona mihi animam, pro qua rogo!

Audio clamantium animarum suspiria: „Misereminі mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me! De excelso misit Dominus ignem in ossibus meis, et erudivit me; expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die moerore confectam! Plorans ploravi in nocte et lacrymae meae in maxillis meis; non est, qui consoletur me ex omnibus caris meis; omnes amici mei spreverunt me, et facti sunt mihi inimici!"

De profundis clamavi ad Te, Domine! Domine! exaudi vocem meam! Fiant aures Tuae intendentes

in vocem deprecationis meae! Si iniquitates observaveris, Domine! Domine! quis sustinebit? Quia apud Te propitiatio est, et propter legem Tuam sustinui Te, Domine! Sustinuit anima mea in verbo Ejus, speravit anima mea in Domino! a custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino; quia apud Dominum misericordia et copiosa apud Eum redemptio; et Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus! Requiem aeternam dona eis, Domine! et lux perpetua luceat eis!

Post Memento usque ad Pater noster.

O Domine! ego egenus et pauper sum! Deus! adjuva me! Domine Deus! nemo potest venire ad Te, nisi Pater, Qui misit Te, traxerit eum! Trahe me, Pater! et sequar Te!

Nemo est, Domine! ut possimus invenire misericordiam Tuam, sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur! Domine! non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem Tuam, sed in miserationibus Tuis multis.

Ad Pater noster.

Ad singulas petitiones.

I. Sit Nomen Domini benedictum! Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba! Pater! Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi!

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam Tuam; tota die magnitudinem Tuam!

Os meum annuntiabit justitiam Tuam, tota die salutare Tuum!

Per singulos dies benedicam Tibi, et laudabo Nomen Tuum in saeculum saeculi!

Cantabo Domino in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu sum!

II. Pater coelestis! adveniat regnum Tuum! Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! multum incola fuit anima mea! Domine! dilexi decorem domus Tuae, et locum habitationis gloriae Tuae! Et Tu, Domine; usquequo? convertere, Domine! et eripe animam meam! Notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad Te levavi animam meam! Gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, et non dominetur mei omnis injustitia! Dominus dirigat corda et corpora nostra in caritate Dei et in patientia Christi!

III. Dominus est! quod bonum est in oculis Suis, faciat! Sicut fuerit voluntas in coelo, sic faciat! Si fuerit voluntas, ut haec vel illa patiar, fiat! ecce ego, Domine! in flagella paratus sum! Domine! ad Te confugi, doce me facere voluntatem Tuam, quia Deus meus es Tu!

IV. Domine Deus! Mendicitatem et divitias ne dederis mihi! tribue tantum victui meo necessaria! Educas panem de terra, et vinum laetificet cor hominis; panis cor hominis confirmet! O Domine! benedicas coronae anni benignitatis Tuae, et campi Tui replebuntur ubertate! O Domine! oculi omnium in Te sperant! omnia a Te exspectant, ut des illis escam

in tempore opportuno! Aperi manum Tuam et imple omne animal benedictione! Omnes quaerunt a Te, Domine! escam sibi! Dante Te illis, colligent; aperiente Te manum Tuam, omnia implebuntur bonitate! avertente autem Te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur; emittes Spiritum Tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae! Beatus, qui manducabit panem in regno Dei! O Jesu! si dimiseris me jejunum, deficiam in via! Da, quaeso, ut operer non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Tu das nobis! Panem de coelo verum da nobis! Panem, qui dat vitam mundo! Teipsum; Tu es panis vitae; qui venit ad Te, non esuriet, et qui credit in Te, non sitiet unquam! Tu es panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur! Panis autem Tuus caro Tua est pro mundi vita! et nisi manducavero carnem Tuam et bibero sanguinem Tuum, non habebo vitam in me! Caro Tua vere est cibus, et sanguis Tuus vere est potus; et qui manducat carnem Tuam et bibit sanguinem Tuum, habet vitam aeternam, eumque resuscitas in novissimo die; in ipso manes, et ipse in Te! Domine! ad quem ibimus! verba vitae aeternae habes!

V. Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata! beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum! O Domine! dimitte universa delicta mea! secundum multitudinem miserationum Tuarum dele iniquitatem meam! Pater! dimitte mihi! nescivi, quid feci! Respice in me, et miserere mei!

vide humilitatem meam, et laborem meum! Miserere mei, Domine! sana me, quia peccavi Tibi! Ne projicias me a facie Tua, et Spiritum sanctum Tuum ne auferas a me! Veniant mihi miserationes Tuae et vivam! Erravi sicut ovis, quae periit! quaere servum Tuum! Ne intres in judicium cum servo Tuo! quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens! Domine! Pater es Tu noster, nos vero lutum! ne irascaris, Domine, satis! et ne ultra memineris iniquitatis nostrae! Jesu! Fili David, miserere mei! Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, Domine!

VI. Domine! in Te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum! O Domine! absconderunt superbi laqueum mihi et funes extenderunt in laqueum; juxta iter scandalum posuerunt mihi. Libera me de laqueo venantium! Ne tradas bestiis animas confitentes Tibi! Susceptor meus sis, Domine, et refugium meum! a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano libera me! Adversarius noster, diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quaerens, quem devoret! da, ut fortes in fide, ei resistamus! Confirma nos, Deus, in hac hora! Miserere mei, Domine! quia infirmus sum! Salvum me fac, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam!

VII. Domine! mitte manum de alto! eripe me, et libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum! Libera me, Domine! et pone me juxta Te, et cujusvis manus pugnet contra me! non timebo mala, quoniam Tu mecum es! Virga Tua et baculus Tuus, ipsa me consolentur! Memento, Domine! et

ostende Te nobis in tempore tribulationis nostrae! libera nos manu Tua et adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi Te, Domine!

Post Pater noster.

O Domine! tribulatio et angustia invenerunt me! anxiatus est super me spiritus meus, et in me turbatum est cor meum! et nunc, Domine, Deus omnipotens, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad Te! audi, Domine! et miserere! non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis. Obsecro, Domine! da, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate!

Dum Sacerdos patenam osculatur.

Christe! Redemptor meus! quis mihi det, ut inveniam Te foris et deosculer Te? Ego dilecto meo, et ad me conversio Ejus! O Domine! converte Te ad me, et me ad Te, ut vere convertar!

Ad fractionem hostiae et Agnus Dei.

Domine! salva nos, ne pereamus! Exurge! quare obdormis, Domine! exurge, et ne repellas in finem! Impera ventis et mari, ut fiat tranquillitas magna! Deus virtutum, convertere! respice de coelo et vide, et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera Tua!

Pater! dimitte omnibus, qui oderunt nos; nesciunt enim, quid faciunt! absit a me hoc peccatum, ut cessem orare pro inimicis meis! Obsecro, Domine! aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro Tuo, quem scripsisti! Domine! Tu dixisti:

diligite inimicos vestros! benefacite his, qui oderunt vos; propterea exaudi me, Domine, orantem pro illis ad Te! Domine! ne statuas illis hoc peccatum!

Tibi dixit cor meum, exquisivit Te facies mea, faciem Tuam, Domine! requiram!

Domine! ante Te omne desiderium meum et gemitus meus a Te non est absconditus!

Ecce Domine! os meum aperui et attraxi spiritum! Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo! surgam et ibo ad Patrem meum et dicam Ei: Pater! peccavi in coelum et coram Te; jam non sum dignus vocari filius Tuus! Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea!

Circa S. Communionem.

Domine! fac me Tuis semper inhaerere mandatis! a Te nunquam me separari permittas! Quis enim me separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit me separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu, Domino nostro! O Domine! et Tu venis ad me? Tu, ad me? Domine! Tu quis es? Tu es Christus, Filius Dei vivi! Et quis sum ego? Ego filius perditionis et gehennae! Et Tu vis venire ad me? Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus et Deus meus ad me? Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quia visitas eum? Domine

Jesu, trahe me post Te; curram in odorem unguentorum Tuorum! Ah! Domine! quis det de carnibus Tuis, ut saturemur! Frumenti adipe satia nos, Domine! O Domine! da mihi semper panem hunc! da mihi, licet catello tantum! nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum! Domine! quis mihi det Te Fratrem meum, sugentem ubera matris meae, ut inveniam Te, et deosculer Te, et jam me nemo despiciat! Inveni, Quem diligit anima mea; tenui Eum, nec dimittam! Congratulamini mihi, ovis ego perdita, inveni pastorem; Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me; paravit in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me; calix meus inebrians quam praeclarus est!

Dum Sacerdos fragmenta colligit.

O Deus! particula boni doni me non praetereat! O Domine! en Lazarus ego sum, mendicus, cupiens saturari de micis, quae cadunt de mensa divitis Dei!

Dum Sacerdos calicem purificat et cooperit.

Bone Jesu! lava me a peccatis meis in sanguine Tuo! Domine! si vis, potes me mundare! O sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emunda me ab omni peccato!

Domine Deus! juravi et statui custodire judicia justitiae Tuae! Juro et statuo etiamnum custodire judicia justitiae Tuae; dixi, nunc coepi!

Ad Collectas ultimas.

Nunc, Domine! memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta

mea, vel parentum meorum! Cito anticipent nos misericordiae Tuae! Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum, Jesum Christum, Qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis Suae! Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Cupio dissolvi et esse cum Christo! Salvum fac populum Tuum, Domine! et benedic haereditati Tuae! Beati, qui habitant in domo Tua, in saecula saeculorum laudabunt Te!

Dum Sacerdos benedicit populo.

Non dimittam Te, o bone Jesu! non dimittam Te, nisi benedixeris mihi! Benedic etiam mihi, Pater mi! numquid et mihi reservasti benedictionem? Num unam tantum benedictionem habes, Pater? mihi quoque, obsecro, ut benedicas! Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; et metuant Eum omnes fines terrae!

Ad Evangelium S. Johannis.

Credo, Domine! Omnia haec scripta sunt, ut credam, quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credens vitam habeam in Nomine Ejus. Mane nobiscum, Domine! adauge nobis fidem! quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Scimus, quoniam ex Deo sumus, et Filius hominis venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio Ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna!

Ei autem, Qui potens est, nos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriae Suae immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri, Jesu Christi; soli Deo, Salvatori nostro, per Jesum Christum, Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne saeculum, et nunc, et in omnia saecula saeculorum. Amen.

Hora Sexta.

Erat autem hora, quasi sexta; et crucifixerunt eum. Joan. XIX.

Contemplabor Deum meum, Qui hora sexta crucifixus est: stabo juxta crucem, et hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et miserationum Domini recordabor. O sol justitiae, qui tenebrescere fecisti terram in meridie: ne occidas super me; sed sis mihi in lucem sempiternam, et Deus meus in gloriam meam. Amen.

Ante Refectionem.

Parasti cibum illorum. Psalm. LXIV.

Benedic, Domine, haec dona Tua, ut sumam cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudans Te. Reficiatur spiritus meus verbo Tuo. Meus cibus sit facere voluntatem Tuam, Domine, Deus meus.

Post Refectionem.

Ut in omni conversatione sancti sitis. I. Petr. II.

Benedico Te, Deus meus, quia refecisti, et nutrivisti me. Et nunc, Domine, custodi me, ut secundum

sanctae legis constituta sit conversatio mea, ut cum servis Tuis glorificem Te, Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

Affectus Laudis.

Post Meridiem.

Tota die cantabo laudem Tuam. Ps. LXX.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis; magnus est, et non habet finem; excelsus, et immensus; et Nomen Ejus in aeternum; et omnipotens manus Ejus.

Quis sufficit enarrare opera Ejus? Quis investigabit magnalia Ejus? Vias Illius quis intelligit? Quis intravit in thesauros Ejus?

O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! Deus magnus vincens scientiam nostram: non est, qui possit scire vias Ejus, neque qui intelligat semitas Ejus.

Quis intelligit misericordias Domini? Miserationes Ejus super omnia opera Ejus; incomprehensibilia judicia Ejus; judicia Dei abyssus multa.

Consideravi opera Domini, et expavi: terribilia opera Ejus. Terribilis est, et quis resistet Ei? Potestas, et terror apud Eum est; mirabilis in majestate, faciens prodigia.

Timeat Dominum omnis terra; ab Eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Laudate, gentes; glorificate, populi; narrate laudes Domini; adorate Eum, Qui fecit coelum, et terram; mare, et fontes aquarum.

In omni corde, et ore collaudate, et benedicite

Nomen Domini; Viventem in sempiternum glorificate. Ipse Solus altissimus; et omnes homines terra et cinis.

Hora Nona.

Et circa horam nonam clamans voce magna exspiravit. Matth. XXVII.

Domine, Deus meus, Qui hora diei nona clamans in cruce voce magna exspirasti, ne derelinquas me in hora tribulationis, et transitus mei. Memento mei, Deus meus, a Quo emptus sum pretio magno; in manus Tuas commendo spiritum meum, ut intrans in gloriam Tuam laudem Te, et glorificem in saecula saeculorum. Amen.

Ante Lectionem Spiritualem.

Beatus homo, qui audit Me. Prov. VIII.

Inclina, Domine, aurem meam ad suscipienda eloquia Tua, ut sumam ex ore Tuo legem et custodiam illam in corde meo, ut pupillam oculi mei.

Post Lectionem Spiritualem.

Custodi praecepta Mea. Prov. IV.

Permaneat in me, Domine, verbum veritatis, quod audivi, ut opere illud compleam, digne ambulans coram Te, Quem decet gloria in saecula saeculorum. Amen.

Visitatio SS. Eucharistiae.

Corruentes proni in terram adoraverunt, et laudaverunt Dominum. II. Paral. VII.

Laudat Deum suum, et adorat. Quam terribilis est locus iste! Hic domus Dei est. O Adonai magne

et mirabilis! Expavit cor meum prae timore et tremore magnitudinis Tuae; prae timore et tremore gloriae Tuae.

Ergone credibile est, quia habitat Deus cum hominibus super terram? Vere Tu es Deus absconditus; gloria templi et altaris Tui. Laetabitur in Te anima mea, et praesente Omnipotente delectabor.

Ecce omnes Angeli, qui serviunt Tibi die ac nocte in templo Tuo, et adorant Te, Deum viventem, in saecula saeculorum; in conspectu Angelorum adorabo ad templum sanctum Tuum, et confitebor Nomini Tuo.

Benedictus es in templo sancto Tuo. Gaudium et laetitia coram altari Tuo; gratiarum actio, et vox laudis. Cantabunt Deo suo in canticis gaudii; de canticis Sion.

Veniant omnes gentes, et adorent coram Te, Domine; cadant in faciem super terram, adorare Dominum, Deum suum, et dare preces omnipotenti Deo excelso. Tremiscant et paveant; paveant ad sanctuarium Tuum, a terribili Nomine majestatis Tuae.

Cor suum effundit ad Deum suum. Deus meus, in Cujus conspectu sto, in Quem non videns credo, Quem diligo et adoro, Quis mihi det, ut cognoscam Te, Deus cordis mei; totus desiderabilis?

Tu ignis perpetuus, qui nunquam deficit in altari. Egrediatur ignis a facie Tua, et sit cor meum ante altare Tuum, sicut thus ardens in igne; sicut cera liquescens ante faciem Tuam.

Da mihi, ut appaream quotidie ante faciem Tuam coram altari Tuo, et maneam ibi jugiter, ut Tu ma-

neas mecum in diebus peregrinationis meae usque ad consummationem vitae, donec Te videam in Sion, monte sancto Tuo, et satiabitur oculus meus videns gloriam Tuam.

Precatur Deum suum. Et nunc, Domine, recordatus sum Tui, ut veniat ad Te oratio mea: exaudi vocem deprecationis meae, dum oro ad Te, dum extollo manus meas ad templum sanctum Tuum.

Protege, Deus meus, Ecclesiam, quam fundasti. Emitte lucem Tuam in gentes, quae non exquisierunt Te; immuta cor eorum, qui recesserunt a Te; salvos fac sperantes in Te.

Custodi animam meam; inclina cor meum ad Te, ut inhaeream Tibi, et faciam, quod est placitum in conspectu Tuo, et compleam annos meos cum gaudio in timore Tuo.

In hora mortis meae conforta me, Deus meus, et refice hoc pane vitae, antequam moriar: occurre mihi, et suscipe in pace spiritum meum, ut revertatur ad Te factorem suum, in Quem credidit, et Quem fideliter adoravit.

Et adorabo Te in templo sancto gloriae Tuae, Quem nunc adoro in hoc sancto altari Tuo; et in aeternum cantabo misericordias Tuas, quia Tu es Deus noster, et Tibi est gloria, et magnificentia, imperium, et potestas ante omne saeculum, et nunc, et in saecula saeculorum. Amen.

Ad B. Virginem.

Memoria mea in generationes saeculorum. Eccli. XXIV.

Benedicta a Domino, Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, Qui exaltavit te, et nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua ab ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum.

Tu gloria Jerusalem; tu laetitia Israel; tu honorificentia populi nostri; et beatam te dicent omnes generationes, quia fecit tibi magna, qui potens est.

Tu civitas refugii, ad quam venient gentes ab extremis terrae. Rogabit te populus tuus, ut in aeternum custodias illum; ne retrahas manum tuam ab auxilio servorum tuorum.

Inveniat servus tuus fiduciam et oret coram te; deprecabor te, et liberabis me: ostendes te mihi in tribulatione mea; de angustiis eripies animam meam.

Memento mei, quando appropinquabit finis meus; et protege me dextera tua, donec transeam. Conforta me, et consolare, ne timeam in die furoris Domini.

Dissolvantur a facie tua inimici mei, et deduc me in vitam aeternam, ut videam te, et Filium tuum, Jesum Christum, Quem beatus venter tuus portavit, Quem beata ubera lactaverunt, Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

Examen Conscientiae.

Scrutemur vias nostras, et levemus corda nostra ad Deum. Thren. III.

Laudat, et gratias agit. Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Tu, Domine, creasti

me, conservas me, et regis me, et mandasti Angelis Tuis, ut custodiant me.

Filium Tuum pro me tradidisti; Spiritum sanctum dedisti; me ad agnitionem veritatis vocasti; per gratiam Tuam justificasti.

De via iniquitatis suscepisti: in loco pascuae collocasti; in filium elegisti, et parasti mihi mensam, corpus et sanguinem Filii Tui, Jesu Christi.

In tribulationibus adjutor; a periculis liberator; protector ab inimicis, in patientia sustinuisti; circumdedisti me misericordia; in benedictionibus praevenisti.

Quanta fecisti, Deus, animae meae! Propterea confitebor, et laudem dicam Tibi, et benedicam semper Nomini Tuo: miserationum Tuarum, Domine, recordabor.

Scrutatur vias suas. Sed ego repletus misericordia Tua, retribui Tibi mala pro bonis. Peccata mea statue contra faciem meam, scrutans corda et renes, Deus!

Plorat in amaritudine; et statuit custodire legem Domini. Nonne Deus requiret ista? Quid respondebo ad arguentem me? Peccavi; quid faciam Tibi, o custos hominum? Peccavi, et feci malum in conspectu Tuo; praevaricatus sum in Te. Non sum dignus vocari filius Tuus.

Plorabo in fletu; plorabo in amaritudine animae meae; plorabo, et non quiescam: insanabilis est dolor meus propter iniquitates meas.

A mandatis Tuis non recedam amplius; a semitis Tuis non declinabo. Sequar Te ex toto corde, et ambulabo sollicitus coram Te: confundantur, qui pugnant adversum me.

Ne projicias me a facie Tua, et ne in aeternum

iratus reserves mala mihi; ne perdas me cum iniquitatibus meis. Parce mihi, Deus meus, et salva me secundum magnam misericordiam Tuam.

Et laudabo Te cunctis diebus vitae meae, et gloriabor in miserationibus Tuis, Deus meus, Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

Affectus animae compunctae.

Contrita est contritione magna Virgo filia populi mei. Jerem. XIV.

Quis mihi det, ut sim juxta dies, quando erat mecum Omnipotens, et in Omnipotente delectabar? Nunc autem reductus sum ad nihilum, squallens calamitate et miseria.

Quis dabit fontem lacrymarum oculis meis, et plorabo die ac nocte. Plorans plorabo, quia longe factus est a me Consolator; abscondit faciem Suam a me; recessit a me Deus meus.

Magna, Domine, judicia Tua, quia non ambulavi sincere coram Te. Viae meae et cogitationes meae fecerunt haec mihi; propterea irruerunt super me inimici mei, et prostraverunt me, quia Tu abjecisti me: vera et justa judicia Tua, Rex saeculorum.

Dereliquisti, anima mea, Deum, factorem tuum, et recessisti a Deo, salutari tuo. Non es recordata finis tui; non cognovisti tempus visitationis tuae. Indignatio Domini super te, quia noluisti in viis Ejus ambulare; provocasti oculos majestatis Ejus.

Vae mihi, quia peccavi! Vae mihi, quia praevaricatus sum! Quid faciam, quando veniet Dominus visi-

tare orbis mala? Ubi me abscondam a facie timoris Ejus; a gloria majestatis Ejus?

Et nunc, Domine, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad Te. Gemitus meus a Te non est absconditus: Domine, quando respicies? Quare repelles in sempiternum, et consumentur in confusione dies mei?

Revertere, revertere; non avertas aurem Tuam a clamore meo: recordare Nominis Tui: converte vultum Tuum ad me: innova dies meos, sicut a principio.

Laudes Divinae in Nocte.

In nocte canticum Domini. Ps. XLI.

Laudabo in nocte: invocabo Dominum cum laetitia cordis: cantabo in nocte canticum Domini; tota nocte non tacebo laudare Nomen Domini.

Qui posuit tenebras latibulum Suum, effundit tenebras super terram, et per siderum flammas illuminat noctem.

Lux et tenebrae, noctes et dies, sol et luna, benedicite Domino. Benedicant stellae coeli, et luceant Ei cum jucunditate, Qui fecit illas.

Servi Domini, benedicite Dominum; cantate in nocte mirabilia Ejus; cantate in nocte laudes Ejus; collaudate et confitemini Illi, quoniam in omnia saecula misericordia Ejus.

Domine, Deus salutis meae, in die clamavi; clamavi in nocte coram Te: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Sperabo in Nomine Tuo; in protectione Tua commorabor.

Non timebo in tenebris noctis; non timebo a timore nocturno, quoniam invocavi Te. Oriatur in tenebris lumen Tuum, et nox sicut dies illuminabitur; et replebimur splendore gloriae Tuae.

Pro nocturna Quiete.

Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus. Prov. III.

Effunde, Domine, super me benedictionem Tuam, et sanctifica habitationem meam, ut in pace dormiam, et requiescam. Fiat cor meum et corpus meum immaculatum. Custodiant me sancti Angeli; et Tu, Domine, custodi me.

Fac, ut in pace consummans cursum meum requiescam in gloria Tua, laudans Te, et glorificans in saecula saeculorum. Amen.

Benedicat mihi Dominus, et custodiat me; det mihi pacem, et benedicat mihi.

Ante Somnum.

In cubilibus vestris compungimini. Ps. IV.

Exspolier, Domine, veterem hominem, et non regnet peccatum in mortali corpore meo, ut obediam concupiscentiis ejus.

Non transgrediar in lecto meo; nec dicam, quis me videt? Cognovi enim, quoniam omnia videt oculus Tuus; et non abscondar a facie Tua. In cubili meo compungar.

Anima mea, Domine, desiderabit Te in nocte. Memor ero Tui super stratum meum, et ad ortum lucis Te adorabo. Dormiam; sed cor meum vigilet ad Te, et requiescat in Te anima mea, Domine, Deus meus.

Ascendam in lectum strati mei; et Nomen Domini invocabo.

Hora Somni.

In pace dormiam, et requiescam. Ps. IV.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici Ejus; Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Convertere, anima mea, in requiem Tuam. Immitte in me, Domine, soporem sanctum: in manus Tuas commendo spiritum meum; et sit in Sion habitatio mea.

Memoria Nativitatis Christi in Nocte.

Apparuit humanitas Salvatoris nostri. Ad Tit. III.

In lectulo meo quaeram per noctes, Quem diligit anima mea. Qui media nocte de utero Virginis egressus es, faciem Tuam illumina super me, ut cognoscam in tenebris mirabilia Tua.

Adlocutiones
Jesu Christi ad cor hominis:
de
Prudentia Justorum.

Loquere, Domine! quia audit servus Tuus!

Orationes ante Meditationem.

Adaperiat Deus cor nostrum in lege Sua et in praeceptis Suis, et faciat pacem, et det nobis cor omnibus, ut colamus Eum!

Deus meminerit testamenti Sui, quod locutus est, et exaudiat orationes nostras!

Confiteor Tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis! Ecce puer ego sum, puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. Sonet vox Tua in auribus meis, aperi mihi cor intendere his, quae ad nostram doctrinam scripta sunt!

Ciba me pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris pota me, ut non Te derelinquam fontem aquae vivae, fodiamque mihi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas!

Sint castae deliciae meae Scripturae Tuae, nec fallar in eis, nec fallam ex eis! Sint in lege Tua voluntas et meditatio mea die ac nocte, et ero tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aqua-

rum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Per Dominum nostrum, Jesum Christum etc.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem Suam, et super Sanctos Suos, et in eos, qui convertuntur ad cor.

Loquere, Domine! quia audit servus Tuus! Servus Tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia Tua! Concupivit anima mea desiderare justificationes Tuas in omni tempore! In justificationibus Tuis meditabor, non obliviscar sermones Tuos. Declaratio sermonum Tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Ignitum eloquium Tuum vehementer et servus Tuus dilexit illud. Faciem Tuam illumina super servum Tuum, et doce me justificationes Tuas! Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes Tuas!

Leget omnibus diebus vitae suae, ut discat custodire verba, quae in lege praecepta sunt. V Mos. XVII.

Utinam, Domine! loquaris mecum, et aperias labia Tua mihi, et sapientiam Tuam audiet auris mea, et intelligam sermonem Tuum! Inclina cor meum ad cognoscendam legem Tuam; non abscondas a me sermonem Tuum! Inclina aurem meam ad suscipienda eloquia Tua, ut faciam, quod est placitum coram Te, et discam ex ore Tuo legem, et scribam illam in tabulis cordis mei, et custodiam illam, ut pupillam oculi mei!

Jesu, lux vera; Qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: Scio, quia a Deo venisti magister et viam Dei in veritate doces. Verba, quae locutus es, spiritus et vita sunt. Sed quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus? Nonne Tu, Qui occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine Tuo? Da mihi ergo nosse mysterium regni Dei, et investigabiles divitias Tuas! explica mihi omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei in Te absconditos! Sermo Tuus capiat in me! Lucerna sit pedibus meis, et lumen semitis meis, donec aspiret dies et inclinentur umbrae! Qui vivis et regnas etc.

Deus, Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, det nobis spiritum sapientiae!

Filius Dei det nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum!

Spiritus veritatis doceat nos omnem veritatem!

Occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, ut non circumferamur omni vento doctrinae!

Deus spei repleat nos omni gaudio et pace in credendo, ut abundemus in spe, et virtute Spiritus sancti!

Deus noster inclinet corda nostra ad Se, ut custodiamus mandata Ejus!

Pater Domini nostri, Jesu Christi, benedicat nos in omni benedictione spirituali!

Sciamus supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei!

Unctio, quam accepimus a Deo, maneat in nobis, et doceat nos de omnibus!

Detur nobis sermo in apertione oris nostri cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii!

Fulgeat nobis illuminatio Evangelii gloriae Christi, Qui est imago Dei!

Permaneamus in fide fundati et immobiles a spe Evangelii!

Pater Domini nostri, Jesu Christi, det nobis Christum habitare per fidem in cordibus nostris!

Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi!

Dirige me in veritate Tua; doce me, quia Tu es Deus, Salvator meus!

Da mihi intellectum, et scrutabor legem Tuam, et custodiam illam in toto corde meo!

Viam justificationum Tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus Tuis!

Habeo firmissimum propheticum sermonem, cui bene facio attendens, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in corde meo!

Orationes post Lectionem Meditationis.

Deus, Qui dedisti mihi cum gaudio suscipere verbum Tuum: da virtutem retinendi illud in corde bono

et optimo, et fructum afferendi in patientia, ut non auditor obliviosus factus, sed factor operis obtineam benedictionem servi boni et fidelis, qui cognovit voluntatem Domini sui et praeparavit et fecit secundum voluntatem Ejus — per Christum, D. n. etc.

Haec verba fidelissima sunt et vera! nunquam locutus est homo sicut hic Homo! Credo, Domine! adjuva incredulitatem meam! Domine! ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Salvator noster, Cujus apparuit benignitas et humanitas, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo; concede, ut, qui Te similem nobis foris agnovimus, per Te intus reformari mereamur — Qui vivis etc.

Benedicam Dominum, Qui tribuit mihi intellectum, Qui duxit me in solitudinem et locutus est ad cor meum. Vivus est sermo Domini, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Custodiam igitur memetipsum, et animam meam sollicite, ne obliviscar verborum, quae viderunt oculi mei, et ne excidant de corde meo cunctis diebus vitae meae! Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis!

Custodi praecepta mea! Prov. IV.

Domine! ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Sermo Tuus veritas est. In memoria sermo-

num Tuorum delectabor, et praecepta Tua recondam mihi; non recedent ab oculis meis; vita enim sunt invenientibus ea. Permaneat in me verbum veritatis, quod audivi, ut opere illud compleam, et fructificem in omni opere bono, digne ambulans coram Te, Deus meus, Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem Tuam. Deus meus, volui, et legem Tuam in medio cordis mei. Concupivit anima mea desiderare justificationes Tuas in omni tempore; cognovi enim, Domine! quia aequitas judicia Tua; sed cum non simus sufficientes aliquid facere, ut oportet, ex nobis, da mihi gratiam, ut, quod scio et desidero, faciam ad gloriam magni Nominis Tui!

PARS I.

Ubi praemissa vecatione, propositoque Salutis aeternae fine graviora impedimenta Christianae Perfectionis removentur.

Caput I.

Omnes Adae Filios Jesus Christus ad Salutem tenerrime vocat.

Venite ad Me, omnes Adae Filii! qui laboratis, et gravi peccatorum ac paenarum pondere onerati estis, et Ego, Qui sum dives in misericordia, visceribus maternis reficiam vos.

Cur obturatis aures cordis, sicut aspides surdae, quae vocem incantantis audire timent, ne forte cor mutent, ac mansuescant?

Numquid venenum insanabile per vocem incantantis sapienter evomere ac mitescere timetis?

Venite, Filii carissimi! et audite Me; et timorem Domini docebo vos.

Tollite jugum Meum super vos, quod Ego una vobiscum sustinebo, et genua debilia roborabo.

Doleo vicem vestram, o pars magna haereditatis Meae!

Consilio quippe parum sano quinque juga boum pretio magno emistis, et fertis pondera importabilia, quae dorsum semper incurvant, et unum ac leve jugum Meum, quod aeternae vitae lucra parit, proterve fugitis et horretis.

Certe ab utero Evae, matris vestrae, infeliciter errastis, et sub onere gementes mortem sempiternam multo sumptu mercamini.

Revertimini ergo ad Cor, Filii prodigi substantiae Meae, et Ego suscipiam, et strictissime amplectar vos, tanquam fidissimos amicos Meos, et super unoquoque vestrum laetabor copiosius, quam supra nonaginta novem justos, qui non indigent poenitentia.

Quid cunctamini, optatissima praeda Mea?

Festinate jam subire leve onus Meum, et in Schola sapientiae melle dulcioris discite a Me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia regere, non miracula patrare, sed: quia mitis sum et humilis corde, Cujus imitatione amara quaeque dulcescunt.

Caput II.

Hortatur Jesus Christus, ne filii Adae quaerant solatia mundi.

Novi cervicem vestram duram, filii Adae! semper enim dulcissimo Spiritui Meo restitistis, non fidentes promissis Meis, sed avide quaerentes solatia peregrina.

Sed nunc saltem, inclinante jam die, convertimini ad Me, et sub jugo Meo suavissimo invenietis requiem fatigatis animabus vestris.

Tempus est, ut in hora novissima quaeratis Me, et mundi vanitati anteponatis suavissimam amicitiam Meam.

Venite ergo, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra!

Quare appenditis argentum non in panibus et laborem vestrum, non in saturitate?

Quid vultis vobis in via Aegypti, ut bibatis aquam turbidam?

Et quid vobis cum via Assyriorum, ut profanas aquas hauriatis?

Calix in manu Mea, quam praeclarus est, e quo usque ad satietatem bibunt fideles amici Mei!

Mirum est, quomodo non placeat vobis cisterna Bethlehem, et inhietis ad cisternas dissipatas in medio silicis excisas.

Ne bibatis de calice Babylonis, ubi mors auro tecta latet!

Ecce! e vulneribus Meis sanguinem, aquamque propino, ut cordis humani sitim expleatis.

Accedite ad Me celerrimis affectuum gressibus, et lateri Meo, quasi fonti vivo labia imprimite, ut satiemini ab uberibus consolationis meae, et torrente voluptatis inebriemini!

Fallax mundi gratia capiat gentes, quae non noverunt Me, et ante Baal genua curvaverunt!

Vos autem, gens sancta, regale sacerdotium, et populus acquisitionis Meae, venenata mundi pocula, epulasque peccatorum respuentes, pura Jordanis aqua delectemini, fructuque ligni vitae vescamini in amoenissimo paradiso, quem plantavi electis Meis!

Caput III.

Monet Jesus Christus sollicitudinem in aeternae salutis opere.

Breves dies hominis sunt, et numerus mensium ejus apud Me est.

Constitui quippe terminos ejus, qui praeteriri non poterunt.

Et cum vos, Adae filii! in vitae brevis angustia deberetis exultare ad currendam viam Meam, in hac sola pigritamini, et mortalibus bonis nimium sollicite

detinemini! Fruimini bonis, quae prohibui, et abutimini creaturis, tanquam in juventute celeriter.

Nullum viret pratum, quod non velociter pertranseat luxuria vestra.

Coronatis vos rosis festinanter, antequam marcescant, et cordibus indomitis licentiae habenas relaxatis.

Non placet Mihi consilium hoc; dementiam hanc odit anima Mea.

Vos festinatis ad interitum gratis, quasi vos pretio magno Mihi non emissem.

Ergo resipiscite modo, et summo cum emolumento in requiem Meam ingredi properate!

Tantumdem sollicitudinis postulo ad vitam jucundissimam, quantam in aeterna morte posuistis.

Ego cucurri in siti, ut fugientes vos apprehenderem, et e feritate mansuefactos ad dulcissima pascua aeternae vitae deducerem.

Cur modo marcescitis ignavia et non ascenditis ad terram viventium possidendam?

Cur torpescitis, electi Mei, et non potius animamini, ut assurgatis ad haereditatem opulentam primogeniti populi Mei?

Certe, si sciretis, quam sit magna multitudo divinae dulcedinis, quam abscondi et servavi quaerentibus Me: sicut desiderat cervus, et currit ad fontes aquarum, ita et vos cursu velocissimo requiem Meam peteretis.

Experto tamen, credite, et currite, si quo modo comprehendatis, more illorum, qui in agone contendunt, et anxie currunt ad bravium.

Filii hujus saeculi sunt veloces ad effundendum sanguinem: vos autem, amici Mei! propter verba labiorum

Meorum magna sollicitudine custodite vias duras, et ad regionem vivorum inter dolores ac sudores fortissime suspirate!

Caput IV.

Justos celeriter ad palmam currere Jesus Christus docet.

Homo quasi flos egreditur ex utero matris suae, ubi ossibus et nervis compegi eum; et vix ad horam in materia carnea consistens, fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.

Idcirco justi, quasi aeternarum divitiarum avari mercatoris, licet consummentur in brevi, captent tamen indefessa diligentia tempora multa.

Et, si quid ex humana fragilitate peccant, citissime se mundant lavacro sanguinis Mei, ne subito praeoccupati die mortis, quaerant spatium poenitentiae, et invenire non valeant.

Atque ideo justis Meis omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum dulcissimi cordis Mei vocati sunt Sancti.

Sive enim recte agant, sive quandoque peccent, vehementer ad palmam incitantur, dum intimi doloris configitur spina.

Charitas Dei urget illos, ut magna semper operentur, ut fidelissimae promissionis Meae consortes fiant, dum lati nimis mandati Mei viam sine defectione percurrunt.

Vos ergo, charissimi amici Mei! quos introducere decrevi in terram melle et lacte fluentem, contendite intrare per angustam portam, antequam tenebrescat, et clausa urbis sanctae janua respondeam sero pulsantibus: Nescio vos!

Inquirite futuram, quandoquidem inter mortales non habetis civitatem permanentem!

Sit vobis cordi superna Jerusalem, et per itinera aeternitatis ad pinguem et coagulatum montem Meum, lacrymarum valle, gemitibus inenarrabilibus et suavissimae charitatis ardoribus properate!

Caput V.

Omnibus quantumvis peccantibus vitam Jesus Christus offert.

Quis est homo, qui vult vitam immortalem, et cupit, coelo serenissimo, dies videre bonos?

Veniat fidenter ad Me, et custodiat planas et rectas vias Meas!

Vita immortali vivet, et facto intra eum vivo fonte dulcissimae aquae salientis in vitam aeternam, mortem non gustabit in aeternum.

Ex magnitudine infinitae bonitatis Meae omnes salvos fieri volo, neminemque projicio, ne peccatorem quidem obduratum, dummodo ipse salvus fieri velit.

Nemo declinet a Me humana patiens, quasi taedio afflictus sim hominibus tam saepe parcendo.

Misericors quippe corde sum, et ignoscendo delector.

An coarctare vultis, Adae filii! misericordiam Meam, ut ad mensuram miserationis vestrae sit tanquam nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens, qui ex oriente sole consumitur?

Vivo Ego, quia nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vita infinitae consolationis plena vivat.

Gloriam Meam misericordia grandem alteri non dabo ac in aeternum sine taedio miserebor.

Utinam filii hominum, qui peccando consenescunt, quoties Ego parcerem, totius vellent reconciliari Mihi, et ex animo requirerent Me: hilarem semper, ac liberalem invenirent: et animas nimis desolatas blande loquens consolarer.

Nemo enim, ab orbe condito, ex animo invocavit Me, super quo viscera Mea non commoverentur quamvis innumeris et gravissimis sceleribus Me ad iram provocasset.

Ab infantia enim crevit Mecum miseratio, et de utero mitissimae matris Meae Mecum egressa est.

Caput VI.

Conqueritur de ingratitudine hominum.

Justas querimoniarum causas habeo adversum vos, filii hominum gravi corde, qui pretium magnum infinitae misericordiae Meae repellere cogitastis.

Praevaricati estis pretium dulcissimi testamenti Mei: et spreto cultu divinae majestatis Meae, idola mundi veneramini.

Quid est hoc? Quid invenerunt in Me iniquitatis patres vestri, quia recesserunt a Me?

Leges Medorum atque Persarum studiosissime observatis et satrapis mundi placere contenditis: Solus Ego contemnor, nec invenio, quibus placeat amplissimus honor regni Mei.

Usquequo lugebit terra, et herba omnis regionis siccabitur a malitia inhabitantium in ea?

Universae creaturae ad nutum obediunt imperio Meo: solus homo currit adversus Me erecto collo, et pingui cervice armatus est.

Quid ultra debui facere humano generi, et non feci?

Venite nunc et properate, filii Adae, et si valetis, arguite Me!

Quod si nemo potest arguere Me de peccato, eloquia Mea casta ne respuite, sed cordis vestri duritiam gratitudinis liquefactione resolvite.

Auferam, si vultis, cor lapideum, daboque cor carneum: et faciam, ut in praeceptis Meis more cervorum ambuletis.

Educam vos de terra deserta, et loco horroris, et vastae solitudinis.

Constituam vos super excelsam terram, ut sugatis mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

Si deposita duritie mitescant corda vestra, repetito foedere, Deus vester ero, daboque in visceribus vestris Legem Meam, et in cordibus emollitis digito suavissimi spiritus Mei scribam eam.

Caput VII.

Hortatur ad verbum Dei aure cordis percipiendum.

Molliti sunt sermones Mei super oleum, et ipsi sunt jacula, ut simul vulnerent atque delectent.

Quocirca mirum est, quomodo filii hominum quaerant sibi magistros prurientes auribus, et a veritate Mea eloquiis dulcissimis instillata auditum avertant, atque ad vanissimas fabulas convertantur.

Ego quidem fortis praedico, et in mediis urbibus atque plateis emitto vocem Meam: et sic vox clamantis in deserto, ubi spinae tribulique succrescunt.

Vacant homines inertes, et novorum librorum curiositate trahuntur: sola lex Mea immaculata, convertens

animas, et sermo Meus vivus et efficax despicitur, quasi summa cum voluptate non penetraret usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum.

Quid dicam vobis amentes vanitatis amatores, qui fugitivas umbras somniaque sectamini?

Numquid verba Mea non ardent velut ignis, quo solvitur glacies cordium, quae culpae frigore obriguerunt?

Cur aures cordis obturatis, nec patienter audire vultis verba aeternae vitae, aestimabilia super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum?

Delectet saltem vos, o justorum congregatio, coelestis eloquentia Mea, qua corda casta nutriuntur; et sermo Meus non pictus persuasibilibus humanae facundiae verbis virtute divina suspendat.

Accipite gratis argentum igne examinatum, probatum terrae, et purgatum septies; et quasi modo geniti infantes ediscite elementa suavissimi sermonis Mei.

Caput VIII.

Docet initio cursus oculos mentis in aeternitatem esse dirigendos.

Filii, accedentes ad servitutem Meam oculos ante omnia in aeterna bona dirigite, et ad virentia sine fine prata suspirate.

Estote sicut Issachar, qui, cum videret terram, quod esset bona, et requiem, quod optima, supposuit humeros suos ad portandum, factusque est serviens sub tributo.

Sic Ego, proposito Mihi gaudio, sustinui crucem, confusione contempta et transii per ignem et aquam in superventurum refrigerium.

Et quod ad novos milites Meos attinet, Mihi cre-

dite, nihil esse, quod animos sermonis justitiae expertes, lactisque participes aeque moveat, ac sperata aeternae consolationis magnitudo: qua victores exultabunt in gloria, et laetabuntur in cubilibus suis.

Certe formosissima lux Mea, et purissima delectatio dexterae Meae, coronas varias, de multiplici labore, justa remuneratione reddentis, animos pugnatorum fortissime munit ad confringenda capita draconis, qui datur in escam populis Aethiopum.

Spem hanc incedentem usque ad interiora velaminis reponite in sinu vestro; ne deficiatis laborando, quasi mercede cardituri.

Tempus erit, cum altissimus Pater Meus dicet fidissimo procuratori Suo:

Voca operarios, et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos.

Hac spe plus, quam suavissima erumpunt aquae in ejus vita deserta, et torrentes in solitudine.

Et anima, quae arescit, potu delectabili reficitur, quo labores universi dulcorantur.

Spes haec statuit procellam maris in auram, ut fileant perturbati fluctus ejus.

Haec est haereditas fortium Israel, qui spernentes momentaneum hoc et leve praesentis tribulationis, intentos habent oculos in aeternum gloriae pondus, quod speratur in coelis.

Caput IX.

Ponderat gloriae magnitudinem.

Perfectorum est solidus cibus, eorum scilicet, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni et

mali, et ex purissimo ac dulcissimo Mei amoris affectu, sine introitu retributionis, Me requirunt.

At vos, qui purgatos cordis oculos nondum nacti estis et mercede movemini, currite post Me saltem more adolescentularum, quae amoris imperfecti suavitate trahuntur.

Certe in civitate primogenitorum, et in monte sancto, ubi post diluvium aquarum passionumque multarum requievit arca humanitatis Meae, nihil est, quod suavitatem et amorem non spiret, et castissimis deliciis non circumfluat.

Egreditur aquae purissimae fluvius a Me fonte vivo ad irrigandam faciem terrae promissionis Meae: cujus ubertate et amoenitate viscera dilatantur.

Non ibi flat aquilo, sed venit auster, et aurae lenis sibilo perflat hortum Meum; lateque funduntur odores aromatum puram voluptatem ingerentium.

Ibi lux beatissima sole formosior laetissimos gaudentium choros exhilarat.

Ibi melos dulcissimum cordium quae in sua peritia requisierunt modos musicos, et ad novum canticum sine fine duraturum psalterium decachordum aptaverunt.

Ibi suavissima pulchritudo corporum et animarum super nivem candentium, et super coccum bis tinctum rubentium, et amores aeternos in thalamo Meo celebrantium.

Ibi castra Mea immortales triumphos agentia, forma virginum, adolescentum decore, victorum fortitudine disposita, quae regnabunt Mecum in aeternum et ultra.

Verum haec exigua sunt: neque gaudia Mea in exilio Babylonis satis intelligere potestis.

Fide Mea hic opus est, cum sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.

Arcana verba sunt, quae non licet homini loqui; cum angelicam superent eloquentiam.

Oculus non vidit, neque auris audivit, quae ex infinito pondere bonitatis Meae praeparavi diligentibus Me.

Propter haec ergo gaudia Mea, milites Mei novi, pugnate.

Caput X.

Suadet Suae passionis imitationem.

Nolite timere, pusillus grex: Ego protector vester sum, et merces vestra magna nimis.

Mihi credite; non est contemnendus decor dulcissimae Sion, quam dilexi, plusquam tabernacula Jacob, ut non merito pro ea pugnare debeatis, et hoc multo nunc animosius: quia universus Israel toto corde sequitur Absalom, quasi e quercu suspensus non esset infeliciter moriturus, et mitem David transgredientem torrentem Cedron, flentem, ac operto capite nudisque pedibus incedentem nemo est, qui fideliter sequatur.

Quam crudeles sunt Adae filii, regem suum mansuetissimum, in mediis laboribus, respuentes?

Torcular crucis calcavi Solus, et de gentibus, quas fuso sanguine redemi, non erat vir Mecum.

Considerabam ad dexteram, et videbam; et non erat, qui cognosceret Me.

Et vos posteriores servi Mei, quid vultis mecum

judicio contendere quasi gens, quae justitiam fecerit, et legem Dei sui non dereliquerit?

Omnes Me dereliquistis: sed et aeternus Pater Meus, propter vos, dereliquit ac percussit Me.

Nunc ergo, quanta desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde, cogitatione et affectu Me patientem comitamini, ut resurgenti sociemini.

Ne horreatis societatem dolorum Meorum, si dulcissimae vitae consortium exoptatis.

Mortificate membra vestra, quae sunt super terram: equum, qui est fallax ad salutem, enervate ut commortui et consepulti Mecum diluculo exurgatis, et dabo vobis pro vigilia somnum inter dilectos Meos, pro bello pacem, quae superat omnem sensum, pro obtinentia esum ligni vitae, quod est in paradiso altissimi Patris Mei.

Caput XI.

Monet parcum vitae praesentis usum.

Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, quibus a cursu possit retardari.

Vos autem, qui pro aeterna vita pugnatis, multo studiosius, quam filii hujus saeculi, ab omni impedimento vitae vestrae debetis abstinere.

An non consideratis, quia novissima hora est, neque misericordiae semper locus erit?

An pepigistis foedus cum morte, quae tanquam fur intempesta nocte venit?

Quare sequimini ventum, relasque aranearum texitis?

Quousque patiar eos, qui argentum thesaurizant et aurum, in quae confidunt homines?

Omnia sub sole transeunt; et mortalis vitae conditio non mansio vestra, sed peregrinatio est.

Reliquum ergo est, ut, qui emunt, tanquam non possidentes, qui gaudent, tanquam non gaudentes sint, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.

Praeterit enim figura inconstantissima hujus mundi, qui longissime abest a permansura civitate Mea.

Propter quod, electi Mei, qui jus aeternae haereditatis nec emittere, nec diminuere volunt, habentes alimenta, et quibus tegantur, tanto celerius currunt, quanto minus ponderis mundani portant.

Quid igitur vos solliciti estis in annos plurimos, quasi certo supervicturi, cum ignoretis, quid superventura pariat dies?

Graviter erravit homo ille, cui dictum est: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te, et quae congregasti, cujus erunt?

Spernite, amici Mei, quae brevi ac necessario pereunt, et divitiae si affluant, nolite cor apponere.

Caput XII.

Negotiorum multitudinem dissuadet.

Porro unum est necessarium, unum, inquam, illud, quod est bonum.

. Feci Ego hominem rectum, ut bonum hoc infinitae consolationis plenum per vias rectas quaereret, ac requireret; ille tamen, cum in honore esset, non

intellexit, sed mille laqueis et questionibus se implicuit, ac peregre a Me profectus est.

Non placuit illi suavissima conversatio Mea, et studium illorum, qui aedificant sibi solitudines.

Aquas fluviorum Damasci multo cum strepitu currentes sitivit, et fastidivit aquas Hesebon, quae dulcissimo silentio requiescunt.

Quaenam dementia est haec, cor, cujus unione vivitur, tam multiplici ac mortifera sectione dividere?

Adeone saecularia negotia animas coelo natas divertent atque pervertent, ut aeternae salutis negotio et tempus, et cura defit? Quaerite primum, o filii Adae, regnum Dei et justitiam Ejus, et in Me cogitatum vestrum pondusque jactate.

Haec sit sors et portio vestra vita mortali pretiosior, ut numeremini inter charissimos amicos Meos.

Quod si tempus aliis negotiis defit, jacturam temporalium bonorum cum aeternae vitae lucro patienter sustinete.

Nam si e contrario in varias sollicitudines distracti brevi mundi gloria prosperemini, quid soli ac sinceri boni succedet?

Dicite vos ipsi, quid profit homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?

Negotiatores terrae morientium, exquisitores terrenae prudentiae, institores Themanitae atque Sabaei, quo tenditis in varia figmenta dissipati?

Quis Mihi det, ut suavissima sponsa Mea Sulamitis, Ecclesia, inquam, Mea sit juxta dies pristinos, quando multitudinis credentium erat cor unum et anima una?

Fugite de medio Babylonis, et animam sitientem Mihi unitam recreabo.

Ducam eam in solitudinem, et dulcissime loquar ad cor ejus.

Caput XIII.

Monet curiositatem sciendi fugiendam.

Ne pascatis ventum, Adae filii, et doctrinas hominum, ne anxie quaeratis.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, et legisperitus in prudentia sua; sed in hoc glorietur omnis, qui gloriatur, scire et nosse Me.

Respicite, quid profuerit Aegyptiis et Atheniensibus sollicitudo sciendi.

Nonne sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens, et existimantes se aliquid scire, stulti facti sunt?

Nonne Athenarum praeceptores ignoto Deo aram posuerunt? et stultitiam suam, nescientes, quid agerent, publicarunt?

Infernus dilatavit animam suam, et omnes sapientes terrae absorpti sunt: qua cum inutilia et vana scire satagerent, ignoraverunt Me, in Quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei.

Etenim, si Ego Solus cognoscar, sciendi sitis expletur, et splendore candidissimo anima illustratur, licet nihil aliud noverit, praeter Me.

Si vero omnia quis noverit, excepto Me: rudis et ignarus erit, et indigebit, ut tanquam infans doceatur, quae sint elementa exordii sermonum Dei. Certe Paulus, fidissimus servus Meus, cum ob scientiae magni-

tudinem in pretio magno haberetur, nihil putavit se scire inter fratres suos, nisi Me Solum Crucifixum.

Quamvis enim multa didicisset abundantius aemulator existens paternarum suarum traditionum: ex quo tamen Ego apparui ei, et sapientiam Meam revelavi, omnia contempsit, et in sola plenitudine scientiae Meae requievit.

Discite ergo Me, filii hominum, et ad scholam suavissimae eruditionis Meae, spreto mundi gymnasio, transmigrate.

Caput XIV.

Docet amicitiam hominum declinandam.

Doleo super vos, humanae benevolentiae mercatores, quibus amicitia hominum nimis placet.

Fidelis amicus omni thesauro pretiosior est, raroque invenitur in terra aliena.

Mendaces quippe sunt filii hominum in stateris, nec fidem servare didicerunt.

Quid quaeritis in terra, quae versa est in salsuginem a malitia inhabitantium in ea?

Frater non redimit fratrem, redimit fortasse homo, qui non est frater, et qui nescit amare animam suam.

Filii Jerusalem, ne fidatis Idumaeis, qui amicitia violata, Chaldaeis confoederati dicunt: Exinanite usque ad fundamentum in ea.

Si placet vera amicitia, quaerite Me, nec jam dicam vos servos, sed charissimos amicos Meos, et amicitiae jure, omnium bonorum Meorum communicatione gaudebitis.

Non timebitis domui vestrae a frigoribus nivis,

omnes enim vestiemini duplicibus, nec erit, qui se abscondat a calore Meo.

Diligam vos, ut Jonathas David, sicut animam Meam: et laborum vestrorum fidelissimus consors ero.

Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi Mei: et ex amoris magnitudine, ut nutritius vester alam vos dulcissimo lacte Meo.

Quid moramini, o duri corde, amicitiae humanae renunciare, ac mediis visceribus imprimere benevolentiam Meam?

Recedite a tabernaculis impiorum, qui fraudulenter amant, ne involvamini in peccatis eorum: et amicitiam Meam studiosissime requirite.

Certe, ne vobis molestum videatur, et amicos multos ad interitum pertrahentes relinquere, unus Ego melior illis omnibus, ac fidelior non solum amicus, sed et frater et pater amantissimus ero.

Caput XV.

Docet oblectamenta varia respuenda.

Vani sunt sensus hominum, quibus non subest senectus mentis, et maturitas sapientiae Meae.

Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu: et videntur sibi filii Adae sapienter agere, si nimis humana oblectamenta, et exercitia quaerant, deposito exercitio timoris et amoris Mei.

Causantur otii fugam etiam ii, qui videntur supra modum spirituales et magnam diei partem mathematicis disciplinis, architecturae, aut picturae, aut ejusmodi artibus impendunt.

Quid est hoc? Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et pro veritate Mea quaeritis mendacium?

Si architectura placet, an superna Jerusalem non aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum? Circumspicite structuram civitatis Meae, fundamenta posita in montibus sanctis, murum in quadro lapidibus ex vivis consurgentem, portas ex sapphiro, et smaragdo artificiose caelatas, praealtas turres, quae eminent in lateribus aquilonis, et universas aedificii partes, quae civitatem Regis magni decent.

Si pictura placet, intuitum figite in splendoribus Sanctorum, et imagines vivas, ubi lucet dulcissima pulchritudo Mea, contemplamini.

Candorem illum nive puriorem, et ruborem porphyrite perfectiorem, quo splendet immortale corpus Meum, cogitate.

An non consideratis, per exercitia haec vestra vos ad salutem aeternam parum proficere?

Etsi enim otium vitetis, meliorum tamen bonorum damna patimini, quae vitare deberetis.

Vigilate ad postes ostii Mei, et exercitia ad aeternitatem profutura seligite.

Visitate domos orphanorum, subvenite egeno et pupillo; esurientem animam recreate.

Ludite Mihi in organis carminum Domini, in coetu suave sonantis Ecclesiae Meae, et Scripturae sacrae campos perlustrate.

Haec et ejusmodi alia sunt oblectamenta quaerentium Deum, quaerentium faciem serenissimam Dei Jacob.

Caput XVI.

Docet gulae vitium fugiendum.

Ex quo per cibum vetitum peccavit Adam, pater vester, prohibita convivia sectamini, filii hominum: et nisi saturati fueritis, murmuratis.

Corda vestra gravantur crapula, et ebrietate, et solas Aegypti ollas cogitatis.

Quaenam ruditas est haec? An escae profuerunt ambulantibus in eis?

Certe nimis caeca, et spiritui Meo inimica passio est haec, quae filios Meos a cultu et amicitia Mea divertit.

Incrassatus est enim dilectus populus Meus, et recalcitravit, et incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit saturatus Me, Deum, factorem suum: et ferina ingratitudine recessit a Deo, salutari suo.

Vae illis, qui inter profanas Chaldaeorum mensas computrescunt, et belluarum pabulo cupide serviunt.

Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc, et illas severe perdet.

Recordamini populi Mei per desertum transeuntis, et considerate, quid acciderit ei.

Petierunt, et venit coturnix, et pane coeli saturavi eos.

Et plui super eos sicut pulverem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata.

Sed quid profuit eis voracitas illa? Certe adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Mea ascendit super eos, et occidit pingues eorum, electosque Israel ab ingressu terrae promissionis impedivit.

Melius est cum Lazaro quondam paupere famem

pati, et in sinum Abrahae exultantibus Angelis deferri, quam cum divite epulone, qui sepultus est in inferno, post splendida convivia perire.

Ne abutamini creaturis Meis: sed cum timore Meo temperantiam colite, et eritis e numero illorum, qui Cum Abraham, Isaac et Jacob, caeterisque charissimis amicis Meis recumbent ad mensam nuptiarum Agni, et in amplissimo regno Meo.*

Caput XVII.

Monet honoris ambitionem fugiendam.

Vae vobis, Adae filii, qui quaeritis esse sicut dii: amatis gloriam hominum primosque accubitus in coenis, et primas cathedras in foro requiritis.

Quid vobis proderit jactantia, et honorifica stultorum existimatio?

Quam longe receditis a mitissima disciplina Mea, quam docui, ex quo Memetipsum exinanivi.

Sanius consilium est in novissimo loco sedere, et humilia de vobis cogitare.

Dicite Mihi, honoris mercatores, ubi sunt reges terrarum, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae?

Nonne sedes superborum destruxit Dominus, et sedere fecit mites pro eis?

Cecidit Babylon, et claritas nominis ejus obscurata est.

Considerate imperium aureum, argenteum, aereum et ferreum; Chaldaeos, Persas, Graecos et Romanos: nonne lapis unus, specie vilis, abscissus de monte sine manibus, comminuit eos?

Fixum est decretum hoc: Quicunque honorificaverit Me, glorificabo eum: qui autem contemnunt Me, erunt ignobiles. Contemnite, filii Mei, quod apparet, et non est; et fastum saeculi alta humilitate calcate.

Discite a Me, Qui sum corde humilis, et gloriam hominum, teste Patre Meo, non desideravi.

Haec est prima pars eruditionis Meae, quam installavi fidelissimis discipulis et imitatoribus Meis; qui laetantes ibant a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro dulcissimo Nomine Meo contumeliam pati.

Haec est gloria abscondita sub crucis humilitate, omnibus honoribus et imperiis praeferenda, et super speciem et divitias aestimanda.

Nolite ergo in re tanta obdurare corda vestra: sed alto mundi contemptu ad immortalem gloriam per contumeliam crucis festinate.

Caput XVIII.

Hortatur ad odium avaritiae.

Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram in hoc mundo.

Cur tam anxie adoratis aurum, quod quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis?

Nihil nisi terram diligitis, et opes Meas coelestes oblivioni tradere festinatis.

Cito cum dolore amittetis, quae nunc cum illicita delectatione possidetis.

Scriptum est enim dictante Spiritu Meo: Dormierunt

somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Fugite ergo avaritiam, quae est idolorum servitus: et praeter Me nullas opes aestimate.

Tantumdem enim amori Meo detrahitis, quantum in bonis caducis collocatis.

Minus enim Me amat, qui Mecum aliquid amat, quod propter Me non amat.

Nonne considerabitis, vos cito morituros ut sitim cupiditatis extinguatis?

Quorsum horrea nova aedificare, et domos aeternas in terra peregrinorum fabricare quaeritis, ut ibi argentum recondatis?

Thesaurizate potius vobis thesauros in coelo, ubi semper victuri estis, et misericordiis pauperum Mihi, Deo vestro, foeneramini.

Certe semitae omnis avari animas possidentium rapiunt, ut in terra deserta, invia et inaquosa, longe a salute Mea, longo exilio demorentur.

Deponite jam pondus terrae, qua gravamini: relinquite omnia, ut Me, Qui non habui inter vos, ubi caput reclinarem, sine onere sequi valeatis.

Quomodo enim Me expeditum et currentem sequi poteritis onerati?

Bene dixit Petrus fidissimus, servus Meus: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus Te; neque enim exultasset Mecum ad currendam viam, nisi pondus tantum abjecisset. Hoc ergo facite, et vivetis.

Caput XIX.

Hortatur ad odium parentum et consanguineorum.

Spiritus est, qui vivificat: caro autem non prodest quidquam.

Immo non solum non prodest caro, sed vehementer nocet.

Ideo fideles amici Mei, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, ne forte in vanum currerent aut cucurrissent juxta consilium Meum, omnem carnalem propinquitatem oderunt, et quasi Spiritus Mei venenum evitarunt.

Ex hoc numero fuit ille, qui laetabatur canens: Pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me. Non est inutilis commutatio, pro parentibus, qui ad servitutem et mortem generant, a dulcissimo Patre Meo inter filios Sion inclytos et amictos auro primo amantissime adoptari, et ad haereditatem aeternam jus habere.

Sed mundus hanc adoptionem non cognovit, et mortiferis consiliis, quos Pater Meus in Suam adoptionem vocat, naturalis legis colore, et aliis aequitatis apparentis umbris seducit.

Quid est hoc? Ego, Qui a purissima genitrice Mea nihil damni spiritualis pati poteram, ubi salutis vestrae causam agebam, quasi alienam non cognovi; et servi Mei a contagio carnis impurae non timebunt?

Sinite mortuos sepelire mortuos suos: et in aeternae salutis ingressu, vel progressu carnalium parentum; blandimenta consiliaque vitate.

Et Ego suscipiam vos, quasi fidelissimos amicos,

et suavissimos fratres Meos. Pater Meus Pater vester erit, et erit mater vestra mitissima Virgo, quae genuit Me!

Caput XX.

Hortatur ad mortificationem sensuum.

Attendite, filii, quae dico. Sensus et cogitatio hominum prona sunt ad malum ab adolescentia sua.

Propterea necesse est, ut mortificationem Meam in corpore vestro semper circumferatis. Equus enim effraenis in abundantia virium suarum non salvabitur.

Castigate sensus vestros, quasi juvenculos indomitos, ne sorte legem mentis transgrediamini.

Nec durum vobis videatur, oculos cohibere, ne mors intret per fenestras, et ostium circumstantiae ponere labiis vestris, ne verbis indisciplinatis Me offendatis: placebitis enim Mihi valde, et pro visus mortificatione videbitis lucem splendidissimam, quam videbat Tobias et Isaac, postquam caligaverant oculi ejus: pro labiorum vero custodia docebo vos dulcissimum sermonem Meum, qui linguas infantium facit disertas.

Certe Sancti Mei, qui regnum coelorum violenter rapuerunt; sensibus suis, quod volebant, constantissime negarunt: facti sunt custodes lectuli Salomonis, tenentes semper ensem districtum contra femur suum.

Sensuum enim pugna nunquam intermittenda est, si salvi esse velitis, ne pereatis, vel a sagitta iracundiae volante in die, vel a negotio impuritatis perambulante in tenebris, vel ab incursu ambitionis, seu daemonio meridiano.

Nullus locus, nullum tempus, quamdiu mortales estis, a sensuum proelio immunis est, ne igitur salutem vestram aeternam contemnatis.

Et quidem extremae dementiae est, sinere sensus vestros duci in aeternam captivitatem: cum possitis per modicum laborem et mortificationem infinitam consolationem eisdem sensibus in coelesti regno Meo superventuram comparare.

Quid quaeritis delectationes impuras? Ad vera potius et aeterna gaudia, brevi luctu, suspirate.

Caput XXI.

Monet mortis memoriam.

Utinam filii Adae saperent et intelligerent, ac novissima providerent!

Utinam et vos, qui non videmini repellere consilia Mea, saepe ac serio cogitaretis, qualis anxietas in hora mortis ventura sit: certe mundi desideria statim evanescerent, neque in aeternum peccaretis.

Omnes ad mortem velocius, quam a texente tela succiditur, properatis, paucitasque dierum nimis brevium finietur brevi: et tamen mortis vix unquam recordamini. Palatia sumptuosa, promptuaria plena, filiaeque vestrae circumornatae, ut similitudo templi, aperte demonstrant, quid inter vos ipsos meditemini.

Quid scitis, an prima, an media nocte, an galli cantu venturus sim, et in virga directionis rationem vitae petiturus?

Ego dinumero gressus vestros, et tanquam in sacculo signo debita vestra, quasi celeriter aes alte-

num exacturus: et vos mortem, nec per horam, cogitatis?

Non placet Mihi gravis oblivio haec, ob quam punivi civitatem Meam, Jerusalem.

Cum enim essent sordes ejus in pedibus ejus, non est recordata finis sui.

Si enim finem cunctorum viventium praevidisset, quomodo pedes inquinasset?

Transitus illius memoria cor premit, ne altum sapiat; sed in timore ac tremore salutem operetur.

Propter quod, filii Mei, inter negotia et gaudia saeculi frequenter mortis agonem doloremque pensate: ut per vias rectas justitiae ac immaculatae legis Meae alacriter tendentes, in aeternum non pereatis; sed tanquam fideles ac solliciti servi, statim ac venero et pulsavero confestim aperiatis Mihi, et intretis in aeternum gaudium altissimi Patris Mei.

Caput XXII.

Monet judicii timorem.

Qui justificari quaeritis, timete abyssum judicii Mei, in quo causas omnes filiorum Adae, cum accepero tempus, indicabo.

Dum Ego culpas hominum dissimulo, ipsi quasi tauri pingues sine fraeno timoris exultant.

Sed per Memetipsum juravi, quia Mihi curvabitur omne genu.

Ego faciam verbum in Israel, quod, qui audierit, tinnient ambae aures ejus.

Tacui enim, diu silui et patiens fui: sed in suprema

die irae, ut parturiens, cum impetu loquar. Nunc parco et mitissimo corde inimicos Meos ad poenitentiam et veniam voco: tunc vero, quando erit tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse coeperunt, deducam omnes gentes in vallem Josaphat et ibi disceptabo cum eis super novissimo testamento Meo.

Ne abutamini, o filii, mansuetudine Mea, quasi nunquam cum judice acturi: omnes enim vos manifestari oportet ante tribunal Meum, ut referat unusquisque, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.

Misericordia Mea superexaltat judicium, ut postea tam severe puniam, quam misericorditer nunc ignosco.

Timete iram Meam, pusilli et magni, et per opera bona timorem futurum praecavete.

Columnae coeli contremiscent et pavebunt ad nutum Meum; nam in angelica natura reperiam pravitatem: Quanto ergo magis aequum est, homines, qui habitant domos luteas, pavere judicium Meum, nec bibere quasi aquam iniquitatem?

Placeat vobis paternis visceribus dignum consilium Meum.

Si Me propitium in die ultionis videre desideratis, ante diem rationis Me tanquam judicem expavescite.

Vivite in multa cordis sollicitudine, Mihi Soli placere studentes; non enim proderit vobis favor, aut gratia hominum, si Me prius non placatis.

Videte, quod Ego sim Solus, et non sit alius Deus praeter Me.

Ego occidam, et Ego vivere faciam, et non est, qui de manu Mea possit eruere.

Ego reddam ultionem hostibus Meis: et iis, qui oderunt Me, retribuam.

Caput XXIII.

Monet fugam peccati.

Nihil est, filii charissimi, quod iram Meam provocet, nisi peccatum: cujus causa, tactus dolore cordis intrinsecus, delevi per diluvium hominem, quem formaveram; et excitatus sum ad puniendos inimicos Meos, tanquam dormiens, et tanquam potens crapulatus a vino.

Iniquitatem odio habui, et abominatus sum: intolerabilis enim Mihi est peccati turpitudo.

Angelis non peperci, et horrendis suppliciis orbem terrae percussi, ut grande peccati malum pensare disceretis.

Si ergo iram Meam vitare cupitis; quasi a facie colubri fugite peccatum, et per vias justorum rectas ad Me venire properate.

Aedificent alii Babylonem, et qui in sordibus est, sordescat adhuc: vos autem, qui Me sequi desideratis, ab omni peccato abstinentes curate, ut cito aedificentur muri Jerusalem, atque adeo, qui justificatus est, justificetur adhuc.

Non est pars in Filio Davidiis, qui peccare non timent: immo tradentur ipsi in manus gladii, et partes vulpium erunt.

Rem quippe nefandam operati sunt, et vestimenta sua in sanguine Agni non dealbaverunt.

Expurgate vetus fermentum, et sanctuarium cordis vestri, ubi habitare cupio, ne imposterum polluatis.

Apparebuntque vultus vestri coram Me formosiores per abstinentiam peccati, quam vultus eorum, qui in domibus regum nutriuntur in croceis, et amplexantur stercora peccati.

Estote imitatores Mei, sicut filii charissimi, ut repraesentetis imagine viva innocentiam Meam et spurcitias peccati impolluto calle pertransite.

Haec est sapientia justorum, qui culpam magis, quam inferni poenas timent, et studiosissime fugiunt in centiva peccati.

In dies singulos quaerunt aspergi sanguine Meo, et mundari, ac super candidissimam nivem dealbari.

Caput XXIV.

Monet compunctionem cordis.

Qui Mihi placere cupit, non quaerit altum sapere: sed in animo contrito atque sollicito a Me suscipi.

Propterea fugit omnia illa, in quibus animus sibi placet; et ea exercitia eligit, quae mundi fugam et lacrymas generant.

Ex hoc numero fuit rex ille, servus Meus, qui cum esset parvulus in oculis suis, nihil curans regni magnitudinem, media nocte surgebat ad confitendum Mihi, et innumeris suspiriis et gemitibus potum cum fletu miscebat.

Filii hujus saeculi, qui dignitates magnas ambiunt, et qui amore divitiarum descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, et illi etiam, qui per negotia quoque licita nimis distrahuntur, raro valde compunctionem habent.

Amici vero Mei, quorum anima concupiscit et deficit in atria Mea, inter ipsa negotia suspirant ad Me, et statis horis intrant in cubiculum, clausoque ostio effundunt in conspectu Patris Mei orationem suam, et tribulationem suam ante Ipsum pronuntiant.

Ex quo fit, ut compunctionis sensus descendat super humilia corda ipsorum, sicut pluvia in vellus, vel sicut stillicidia stillantia super terram.

Et vos ergo, filii Mei, alta fugientes, salutarem peccatorum dolorem, et compunctionem in abscondito requirite: flere discite et dulcissimis lacrymis stratum vestrum in silentio noctis rigate.

Et in vigilia matutina cordis contriti sacrificium odorabor: et reducam super inimicos vestros aquas maris cum intima laetitia cordis vestri.

Caput XXV.

Hortatur ad perfectam conversionem.

Usquequo, filii Adae, claudicatis in duas partes?

Mihi ex toto corde servire renuitis, et mundo partem cordis male divisi destinatis?

Quid dicam vobis? cur Me quasi durum Dominum timetis?

Convertimini ad Me, et Ego convertar ad vos.

Ego enim nunquam nocui viro, qui vellet servire Patri Meo: populus autem Meus, si non contempsisset Me, non allevassem lanceam Meam super eum.

Nunc vero, quid vultis, faciam vobis?

Ero Deus vester, et mitissimo corde filios prodigos suscipiam, quamvis substantiam consumpserint vivendo luxuriose.

Non rejicio publicanos, sed infinita dulcedine illis ad primum gemitum reconcilior.

Non irascor servo nequam supplicanti: sed decem millia talenta ad solas preces dimitto.

Quare ergo vos de Me non bene opinamini, et ad Me toto corde reverti dubitatis?

Sacrificate Mihi corda vestra, et per ignem exaudiam vos, et adducam per torrentes aquarum in via recta, nec impingetis in ea: quia factus sum vobis Pater, et populus vester, melius quam Ephraim, primogenitus Meus est.

Eritis Mihi foederati, nam ab antiquo dilexi vos, et luctum vestrum in gaudium convertere decrevi.

Sufficit praeteritum tempus peccato impensum: nunc vero, sicut exhibuistis membra vestra servire peccato sub tyranide Pharaonis, sic, quod reliquum est vitae, exhibite illa, ut serviant justitiae, sub imperio suavissimo filii Dei, Qui regnavit a cruce, et domuit orbem non ferro, sed ligno.

Solvite jam vincula colli vestri, captivi Adae filii, et ad libertatem filiorum Dei respirate.

Projicite jam idola mundi de medio vestri, ut in corde vestro Solus possim habitare.

Mundamini balneo sanguinis Mei, qui per sacramenta influit in animas vestras: et inter viva perfectaque Ecclesiae, sponsae Meae, membra spiritu vitali Meo regi, ac dulcissimo justorum consortio frui properate.

PARS II.

De Virtutibus, quarum actus Justorum prudentia praescribit.

Caput I.

Docet Jesus Christus summam sapientiam in vitae puritate, veroque virtutum cultu consistere.

Senectus venerabilis est, charissimi filii Mei, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani enim sunt, incontaminati sensus hominis: et aetas senectutis vita immaculata.

Vitinam verbum crucis, quod iis, qui salvi fiunt, Dei virtus et sapientia est, semel saltem adhaereret visceribus vestris, ut loti anima et corpore ascendentesque de lavacro pretiosi valde sauguinis Mei, cordis puritatem servaretis.

Ipsa enim puritas secreto erudiret vos, et occulta sapientiae Meae suavissimo magisterio manifestarem vobis.

In malevolam quippe et coinquinatam animam non introibit sapientia Mea, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

Ille vero solus ad aeternitatem sapiet, qui ingreditur sine macula, et manus suas servat innoxias, ne peccato ullo foedetur.

Haec est altior mundi eruditio Mea, quam David, servus Meus, accepit; dum super senes intellexit, quia mandata Mea immaculato corde quaesivit.

Haec est mentis maturitas, quam Agnes, tenera puella et dulcissima sponsa Mea, comparavit: Infantia

siquidem computabatur in annis: Sed erat senectus mentis immensa.

Et omnes, qui per veras virtutes, quae sunt ipsamet animae pulchritudo, exhibent Mihi puras animas suas, non habentes maculam, neque rugam, numerantur inter senes longaevos regni Mei, sapientiae laude in consilio justorum celebratos.

Abstergite ergo, filii sordes mentis; et accuratissimo virtutum Mearum studio extollite manus puras in sancta: faciemque Meam suavissimo novi sacrificii odore requirite.

Caput II.

Hortatur ad primam aetatem, per veras virtutes, Deo consecrandam.

Offerte Mihi primitias, charissimi filii, aetatemque primam sacrificio matutino, antequam polluamini, Mihi consecrate; et placebitis Mihi super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.

Quid vobis cum filiabus Madian, quae veros filios Israel carnali gratia corrumpunt?

Ne sequamini Moabitides et Sidonias: certissime enim subvertent corda vestra.

Sacrificate Mihi potius primum aetatis florem, et inter novellas pietatis plantas justitiae decorem germinate.

Certe, si sciretis, quam gloriosum sit ab ipsa pueritia Mihi servire: taederet vos mundanae consolationis, quae teneras ac inexpertas animas seducit.

Felices illi, qui ab infantia discunt timorem Meum, quo amabilem aetatem illam a corruptione praeservent.

Quasi lilia, inter spinas, in paradiso Meo florebunt: et tanquam cedrus, quae in Libano est, multiplicabuntur.

Quasi cinnamomum et balsamum aromatizans, virtutum cum aetate crescentium odorem in Ecclesiae Meae plateis effundent.

Et Ego habeo in deliciis dulcissimam juventutem, quae ut Mihi serviret, parentes et amicos nescivit, mundum negavit, et Me super omnia aestimare, quaerere et diligere decrevit.

Erunt Mihi sicut Samuel et Tobias, fidelissimi servi Mei, qui a primis annis usque ad senectutem Mihi placuerunt.

Bene incipient, meliusque proficient, adhucque multiplicabuntur in senecta uberi.

Et bene constantes erunt, ut posteris suis annuncient, quoniam misericors valde sum Ego, et glorifico dilectissimos amicos Meos.

Caput III.

Hortatur ad exercitium fidei.

Mirum est, filii charissimi, quanta sit ingratitudo vestra circa exercitium fidei; quae sicut lucerna lucet in caliginoso mortalis vitae loco, donec dies aeternitatis illucescat, et lucifer divinus oriatur in cordibus vestris.

Certe vobis datum est nosse mysterium regni Dei participesque fieri coelestium sacramentorum, ut cognoscentes ea, quae carnis oculi videntur, temporalia esse, vosque, ubi modo non videtur, habere meliorem et manentem substantiam, usu fidei contemneretis momentanea et diligeritis aeterna.

Nunc autem fidei exercitium oblivioni traditur, quasi ad bene vivendum parum salutare esset.

Non placet Mihi oblivio haec, quae multos quoque servos Meos occupavit: non enim utuntur fide Mea in prosperitatibus et adversitatibus, ut omnia vincant et se a peccatis immunes conservent.

Certe Moyses, servus Meus, grandis factus fidei exercitio, negavit, se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias aestimans thesauro Aegyptorum improperium Meum.

Aspiciebat enim, accenso fidei lumine, in remunerationem, quam sine fide non aspiceret.

Sic et vos, filii Mei, quibus revelata sunt mysteria infinitae consolationis plena, quae a sapientibus et prudentibus Pater Meus abscondit, debetis fide cor sincerum firmante uti ad mundi gloriam despiciendam, et crucis disciplinam prae divitiis et honoribus aestimandam.

Videte, quam parum profuerit tot sectis philosophorum definientium, argute disputantium, illa sterilis cognitio creaturarum, quia non fuit eis datum, ut cognoscerent Me.

Recogitate grande beneficium hoc, et cum intima gratitudine, ob revelationem fidei Meae, in corpore Meo, quod est Ecclesia, Me autorem salutis vestrae laudate.

Sitis sinceri, non scrutantes in mysteriis altissimis fidei majestatem Meam, ne forte a gloria opprimamini, sed in obsequium fidei: quae mites animos Mihi sine discussione credentes et corda casta requirit.

Caput IV.

Hortatur ad spem.

Jactate in Me, filii, cogitatum vestrum, et Ego vos enutriam: projicite in Me pondus laborum, et afflictionum vestrarum, et Ego illud tollam.

A saeculo enim non est auditum, ut confunderetur, qui in Me confideret.

Dura cervice et incircumcisis cordibus Mihi semper restitistis, adhuc et vos, qui inter discipulos Meos esse contenditis.

Non enim bene de Me sentire vultis; et contra misericordias Meas magnas nimia pusillanimitate pugnatis: quasi peccantibus parcere, aut vitiorum et passionum tentationumque victorias concedere, aut temporalia bona ad aeternam salutem profutura largiri nolim.

Numquid infidelem promissorum redditorem Me probastis?

Quando defui suspirantibus ad Me?

Certe vel ex ipsa experientia convincere possum, vos esse imitatores illorum, qui dixerunt: Percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt: Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo Suo?

Quid vobis videtur de coecitate hac?

Profecto si Ego potavi populum sitientem, sine dubio sperandum erat, Me panem esurienti populo daturum.

Quare ergo servi Mei experti priores misericordias Meas, non sperabunt posteriores, quas experientia Mea dulcissimae bonitatis sine difficultate promittit? filii modicae fidei, quare dubitatis?

Ego sum ipsa bonitas infinita, et delector benefaciendo iis, qui oderunt Me, numquid ergo non miserebor iis, qui Me die ac nocte requirunt?

Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater Meus coelestis dabit Spiritum bonum petentibus Se?

Nemo desperet veniam, quantumvis Me graviter offenderit: quomodo enim potero non parcere, Qui fuso redemptionis pretio Salvatoris officio et suavissimo (Jesus) Nomine glorificor?

Porro si confidenter vocetis Me, et si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra ut vermiculus, quasi lana alba erunt.

Si enim, cum adhuc peccatores essetis, nec de Me placando cogitaretis, misericordia Mea praevenit vos, an credibile sit, modo, quando jam cor Meum gemendo pulsatis, Me vos non exauditurum?

Ne sitis increduli et degeneres, quasi temporalia quoque bona vobis defutura sint: mandabo quippe nubibus desuper, et januas coeli aperiam: pluam vobis manna ad manducandum, et filiorum pane saturabo.

Respicite volatilia coeli, quomodo non serunt, neque nent, et altissimus Pater Meus pascit illa, neque unum saltem eorum est in oblivione coram Illo: quanto ergo magis vos, filii Mei, pro quibus dedi in manus inimicorum pretiosam animam Meam, non eritis mortui a corde Patris Mei?

Habete fidem Dei, dum laboribus et tentationibus exercemini.

Amen quippe dico vobis, si quis vestrum dixerit

alicui monti: Tollere et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, fiat, fiet ei.

Ego enim novi cor Patris Mei, a Quo si quis per Me, Filium Suum dilectum, in Quo Sibi complacuit, aliquid postulaverit, liberalius, quam dici possit, dabit ei.

Quod si non statim videtur semper exaudire, ideo id facit, quia sic expedit vobis, ut perseveranter orando majus meritum, et majus gaudium comparetis.

Sperate ergo in Eo, omnis congregatio populi, effundite in conspectu Ejus corda vestra: dico enim vobis, quia non fraudabit illos, qui perseveranter confidunt in Eo.

Caput V.

Hortatur ad amorem.

Filii, praebete Mihi desiderata valde corda vestra; et Me ex tota anima totaque fortitudine diligite.

Non possum quippe corda divisa sustinere; nemo enim potest duobus dominis servire: Sed, ut ratio et experientia docent, alterum diliget, alterum vero contemnet.

In hoc certe apparet stultitia filiorum Adae, quod cum extra Me requiem invenire non valeant, trahuntur apparenti voluptate rerum transeuntium, et corda sua pro nihilo vendunt.

Species decipit eos, et fallaci decore abalienati sunt retrorsum.

Sequuntur deos alienos, qui cultores suos ficta deitate seducunt.

Facti sunt filii hominum, quasi columba seducta non habens cor, nidificantes in alienis tectis, unde pulli passim surripiuntur.

Sanius consilium est filii Mei, nidificare in foraminibus petrae, et in molli caverna maceriae, quam vobis praeparavi; ut propinquitate cordis Mei laetaremini, et exultaretis ad gaudia Mea, quasi qui invenit spolia multa.

Ego vobis amicus, soror, frater, pater, mater et sponsus effectus sum: et ad infiniti amoris ostentionem, quasi colonus in terra spinas et tribulos germinante, feci pro salute vestra, quae nemo alius fecit: quare ergo alienamini a Me, et detrectatis dulcissimum consortium Meum?

Si utilia quaeritis, omnia Mea bona vestra sunt: et ad hoc vos invitare decrevi, ut fruamini aeterna haereditate Mea.

Si honorifica vultis, estote amici fideles, nimis enim honorificati sunt amici Mei, nimis elevatus est principatus eorum.

Si delectabilia placent, magna nimis est multitudo dulcedinis, quam praeparavi diligentibus Me.

Quocirca placeat vobis consilium Meum, ut cordium vestrorum tributum Mihi reddatis, si summi boni, in quo sunt omnia bona, vultis esse participes.

Quid moramini expectati valde, amici Mei?

Abjicite vanos amores, et verum amorem Meum, quo nihil in terris, aut in coelis dulcius esse potest, super mundi divitias, voluptates et honores aestimate.

Fument Mihi altaria cordium vestrorum castos amores spirantium, et odorabor odorem infinitae suavitatis, quem cupit anima Mea.

Considerate, filii, quantae sit consolationis, affectum

primogenitum Mihi consecrare, et quam stricto jure Mihi omnia primogenita sanctificare debeatis.

Ergo quippe sum ipsamet bonitas, pulchritudo et nobilitas infinita, Cui amor quoque infinitus debetur; et extremae dementiae est, Me relicto impuris amoribus sacrarium cordis foedare.

Quid jam exspectatis? Placeat vobis amicitia Mea magno pretio aestimanda.

Sum enim candor lucis aeternae ac speculum sine macula, sum dives inter omnes orientales, ut opibus augeam amatores Meos, sum corde mitissimo ad parcendum iis, qui spreverunt Me, sum eloquio dulcissimus, ut suspendam auditores scholae Meae, sum Rex cordium pacificus, et rerum universarum summus Imperator, et tamen vos conditione viles, inopes et ingratos, sine praeteritarum culparum exprobratione, quasi intimos amicos Meos recipiam et amplectar.

Sinite ergo ad amorem Meum, quo solo vivitur, saxea corda vestra moveri.

Caput VI.

Hortatur ad poenitentiam.

Tam grave peccati malum est, charissimi filii, ut, si fieri posset, poeniteret Me, fecisse hominem, quem formavi.

Pugnat enim cum infinita bonitate et puritate Mea, et majestati Meae vilissimas creaturas anteponit.

Obstupescunt coeli super hoc, et ejus portae desolantur vehementer.

Peccata enormia multiplicantur super numerum are-

nae maris: et filii, quos exaltavi, et enutrivi, spreverunt Me.

Quid dicam vobis? quid faciam generationi vestrae, quae ad misericordias Meas obduratur?

Certe, si inimici Mei, qui falsos deos colunt, maledixissent Mihi, sustinuissem utique: et propter ignorantiam quodammodo illos excusassem.

Vos autem, quibus illuxit formosa valde lux Evangelii Mei, excusationem non habetis de gravissimis peccatis, quibus irritastis Me.

Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione hac ingrati populi Mei; et comparatione illorum, qui ad praedicationem Jonae poenitentiam egerunt, damnabuntur multi filii regni et aeterna excommunicatione ejicientur in tenebras exteriores.

Inspirationes quippe Filii Dei post tergum monentis, et ad pacem et reconciliationem corde mitissimo invitantis repulerunt.

Nunc ergo vos, filii, infinitum numerum stultorum impoenitentium ne sequamini, sed revertimini ad cor.

Accedite ad Me de tenebris, et umbra mortis et candidissima luce gratiae illuminamini: et facies vestrae non confundentur.

Lugete fletu magno, ut doleri solet in morte primogeniti, quia venumdati estis, ut faceritis malum, et balneo lacrymarum corda vestra lavate.

Ne differatis vano consilio poenitentiam: juxta enim est dies perditionis, et adesse festinant tempora.

Videte, quid feceritis, dulcissima amicitia Mea dissoluta, aeternae consolationis jure amisso.

Venenum peccati festinat in mortem; festinate vos per intimum dolorem, et sacramentorum remedium ad vitam gratiae pretiosissimam jucundissimamque resurgere.

Caput VII.

Hortatur ad amorem proximi.

Recordamini, filii, novi ac dulcissimi testamenti Mei, quomodo, cum dilexissem Meos, qui erant in mundo, in finem dilexi eos: et ne obliviscamini signi amoris mutui, quo volui cognosci discipulos et amicos Meos.

Mandavi tempore incolatus Mei, et nunc per frequentissimas inspirationes idem repetens, haec mando vobis, ut sincerissimo amore diligatis invicem, sicut dilexi vos.

Sanavi infirmos vestros: erexi languidos, afflictos consolatus sum: cum iis, qui oderunt pacem, fui Pacificus: publicanos et peccatores amantissime recepi: vilitatem et rusticitatem non exhorrui: omnibus omnia factus sum: nec ullo taedio lassatus exclusi aliquem a suavissima conversatione Mea.

Quare ergo servi Mei, qui videntur supra modum Apostoli, pauperum et debilium fastidio vincuntur, et afflictorum onera portare recusant?

Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Causantur se meliorem partem Magdalenae dedisse, et ad proximorum calamitates obdurescunt.

Quid est hoc? Qualis doctrina est haec? non placet Mihi otium hoc, et commoditas parum consona pro-

ximorum dilectioni, quae est plenitudo dulcissimae legis Meae.

Estote misericordes filii, et miserias fratrum vestrorum promptissimo corde sublevate.

Ne addatis afflictionem afflictis, quorum clamor penetrat viscera Mea.

Ego enim pontifex vester, experientia quoque factus misericors, novi crudelia corda filiorum Adae, quae difficile ad fratrum suorum aerumnas, commoventur.

Dicite jam mores Meos, et emollito corde iram omnem, taedia et asperitatem superate.

Et Ego recensebo vos discipulorum Meorum signo notatos inter dilectissimos fratres Meos: qui sine fine gaudebunt adoptione altissimi Patris Mei, et satiabuntur ab uberibus consolationis Meae.

Caput VIII.

Hortatur ad obedientiam.

Filii dilectissimi, si vultis in mari magno, cujus fluctus ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos, secure navigare, imitamini Me, Qui cum essem Filius Dei, didici ex iis, quae passus fui, obedientiam, et per obedientiam consummatus, factus sum omnibus obtemperantibus Mihi causa salutis aeternae.

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.

Si enim aliis, qui repraesentant personam Meam, obedire assuescat, proprii judicii et propriae voluntatis, qua civitas Babylonis aedificatur, pericula vitabit, et sub umbra alarum Mearum ab aestu mundi requiescet.

Non ei nocebunt catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi; Ego quippe sum custos fidelissimus eorum, qui intellectum et voluntatem Mihi obedientiae sacrificia immolant, est enim holocaustum adipe, et pinguedine plenum in odorem suavissimum Patri Meo.

Vae illis, qui subesse nolunt, et proprio judicio omnia metire volunt; qui longe recesserunt a mansuetudine disciplinae Meae.

Coeci sunt et seipsos praecipitabunt, cogitationes enim mortalium timidae et incertae ipsorum providentiae sunt, neque valent ea mala vitare, quae non valent a longe prospicere.

Luciferi discipuli fiunt: et dum majoribus non acquiescunt, ad similitudinem idololatrarum peccant; quippe quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere.

Vos autem, filii, inclinate aurem vestram in verba oris Mei: et iis, quos Ego vobis praeposui, fideliter, quasi Mihi Ipsi, obtemperate.

Haec est magna pars prudentiae justorum, qui consilio Meo regi desiderant.

Haec est omnis Clericorum et Laicorum justitia, sapientia et fortitudo.

Haec est via ligni vitae, quam Cherubim flammeo et versatili gladio clauserunt.

Ite ergo, filii, et conficite viam hanc: ut sicut Ego factus obediens usque ad mortem, obedientiae remuneratione Jesus vocor et glorificor; ita et vos ad formosissimam gloriae lucem per obedientiam resurgatis.

Caput IX.

Hortatur ad castitatem.

O quam pulchra est, charissimi filii, casta generatio, quae coelesti claritate resplendet!

Nec rosae, nec lilia, nec hortorum amoenitas cum decore castitatis comparari possunt.

Quam splendidi virginum chori in platea Jerusalem ex auro mundo, crystallo simillima sequuntur Me et dulcissimam coeli Reginam, genitricem Meam?

Immarcessibilis et immortalis est gloria castitatis, quae servavit corpus immune a rugientibus praeparatis ad escam, et quasi myrrha electa dedit suavitatem odoris.

Ego Virgo et Virginis Filius ardentissime amo, quos singularis praerogativa castitatis ampliori dilectione facit dignos.

Sunt Mihi quasi columbae, quae lacte sunt lotae, et sine ullo inquinamento resident juxta gratiae Meae fluenta plenissima.

Deliciae Meae sunt corda casta, quae praeter Me amores omnes respuerunt, et vultus suos dulcissima pulchritudine splendentes Mihi Soli consecrarunt.

Haec sunt castra Mea nive candidiora, et sapphiro pulchriora, quorum forma delector.

His Ego manifesto secreta Mea, in his pono regni thronum Meum.

Hic est fructus plusquam suavissimus laboris, et passionis Meae.

Nunc ergo, filii, diligite Me, et despondete Mihi, quasi virgines, castas animas vestras, si placet vobis thala-

mus deliciarum Mearum, ubi gustatur in fonte ipso infinita dulcedo amoris Mei.

Quid agitis vagantes per amores impuros, qui vos divertunt a complexu Meo?

Eligite jam nuptias Agni candidissimi et virgineum florem per dolores et agones a spurcitiis carnis impolluto calle praeservate; et eritis fructus melle dulciores in paradiso malorum punicorum, quae amore sempiterno flagrant in amoenissimo paradiso Meo.

Caput X.

Hortatur ad paupertatem.

Ne timueritis, filii Mei, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

Quoniam, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo in infernum gloria ejus.

Certe melius est modicum justo super divitas peccatorum multas.

Ideo electi Mei, timentes, ne forte reprobi fierent, divitias, vel haereditate acceptas, vel donatas repulerunt, et paucis contenti, in labore et fatigatione, in fame et siti, in frigore et nuditate vitam mortalem agentes, ad supernam Jerusalem, ubi suas opes recondiderant, festinarunt.

Maluerunt circuire in melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis latentes: quam mollibus vestiri, sicut qui in domibus regum sunt: ne forte ob terrenam substantiam a regno coelesti excluderentur.

Haec fuit probatio fidei illorum multo pretiosior

auro, quod per ignem probatur: nam modicum passi aeternas opes, et inaestimabilia gaudia compararunt.

Imitati sunt Me pauperem, et in laboribus probatum a juventute Mea: permanserunt Mecum in tentationibus Meis, et ideo regnant Mecum in amplissimo regno Meo.

Et vos ergo, filii, tantam habentes impositam nubem testium, per patientiam boni operis, per incommoditates et abjectiones, quae sunt ditissimae paupertatis comites, ad Me venire properate.

Cavete mundi consilia, quae servos Meos subducere solent, dum paupertatis statum profitentes, nihil necessarium sibi deesse volunt, et indigne ferunt, si desit.

Non docui Ego has doctrinas hominum Me patientem sequi recusantium.

Non sunt hi veri ac beati pauperes spiritu, quorum est regnum coelorum.

Ne sequamini praeceptores hos, quos Ego non misi, prophetas hos, quibus Ego non sum locutus.

Estote veri et sinceri discipuli Mei, et paupertatem, dulcissimam sponsam Meam, coelestibus gaudiis foecundissimam mediis visceribus imprimite, et Ego scribam nomina vestra in medio corde Meo.

Caput XI.

Hortatur ad humilitatem.

Si scirent homines, o filii dilectissimi, donum Dei, quo humilia corda gaudent: Si scirent, quam sit propitius altissimus Pater Meus erga humiles trementes sermones ejus: et si saxis duriores essent, ad humilitatis studium converterentur.

In altis habitat Pater Meus, et superbos praecipitat: sed humilia corda amantissime respicit in coelo et in terra.

Suscitat a terra inopem, et de stercore erigit spiritu pauperem; ut sedeat cum principibus; et solium gloriae teneat.

Et Ego quidem, Qui in terra, quam dedi filiis hominum, humilitatem exercui (ubi, licet essem Unigenitus a Patre, plenus gratiae et veritatis, regnare nolui) humiles animos, tanquam dulcissimos fratres Meos amplector.

Tanta est enim suavitas humilitatis, quam a praesepio usque ad crucem verbis et operibus sine intermissione docui; ut a simplicium et humilium conversatione abstinere vix possim.

Si ergo vobis placet societas et conversatio Mea, recumbite, filii, in novissimo loco, et parvuli estote in oculis vestris.

Non enim habitabit in medio domus Meae, qui facit superbiam: superbo oculo et insatiabili cordi nunquam amicus ero.

Respiciam potius in orationem humilium, nec spernam unquam preces eorum: facti sunt enim ad proportionem humillimi cordis Mei.

Veni Ego vobis ministrare, et Meipsum exinanire, ut in Me, quid a vobis agendum esset, disceretis.

Ego versus sum hominibus in parabolam, factus opprobrium hominum, et postrema abjectio plebis; quomodo ergo fastum assumere, et majores aliis videri contenditis?

Quomodo sub nomine christiano, quod mundi contemptum et dimissum cor sonat, elationem (capitalem inimicam Meam) abscondere tentatis? Quid est hoc? Numquid non aperte revelatus sum servis Meis testificans, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur?

Quare ergo, per functiones etiam spirituales et sacras magni in Ecclesia Mea apparere desiderant?

Descendite jam, filii, e lateribus aquilonis, et capitibus vestris cinerem aspergite.

Vos vocatis Me, Magister et Domine, et bene dicitis: sum etenim.

Si ergo Ego, Dominus et Magister, lavi pedes vestros, et vos debetis alter alterius lavare pedes.

Exemplum enim, quo ferrea corda domarentur, dedi vobis: ut, quemadmodum Ego flexis genibus feci vobis, ita et vos, demisso corde, faciatis.

Caput XII.

Hortatur ad mansuetudinem.

Attendite, filii, legem novi testamenti Mei, et subdite collum jugo suavissimae mansuetudinis Meae.

Sedes superborum destruxit aeternus Pater Meus, et sedere fecit mites pro eis.

Propterea Ego, Qui mitis sum super omnes, qui morantur in terra, pacifico regno cordium, constitutus sum Rex ab Eo super Sion, montem sanctum Ejus.

Sed et purissima Virgo, et genitrix Mea, quae est inter omnes Adae filios mitis, civibus supernae Jerusalem, ut Regina mundi praeposita est.

Hoc est regnum amicorum Meorum non pugnando,

sed parcendo et perferendo paratum, cui cessit lacerans fortiter ungula, nec immobilia carpsit penetralia.

Hoc est regnum eorum, quos Ego candidissimus Agnus Dei misi in omnem terram, tanquam agnos inter lupos, cum domui orbem non ferro, sed ligno.

Haec sunt elementa prima scholae Meae, humilitas et mansuetudo.

Vos ergo, filii, quibus placet secreta et mundo incognita eruditio Mea, estote mites corde, et omnes contumelias et improperia, velut agni coram tondente se obmutescentes tolerate.

Ne moveamini de statu serenitatis et tranquillitatis vestrae, cum irridemini: sed omnem amaritudinem et asperitatem abjicientes, hilarem semper faciem in spiritu lenitatis ostendite.

Tanquam oves ad occisionem duci vos sinite, et inimicis in vestra corpora saevientibus vos inermes et mori paratos exhibete: sicut Ego feci, quando circumdederunt Me canes multi, et concilium malignantium obsedit Me: quando scilicet aperuerunt super Me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.

Irascantur filii gehennae, qui oderunt mansuetudinem Meam: vos autem, filii regni Mei, mitescite et ad possidendam terram permansurae beatitudinis vestrae patiendo et tacendo festinate.

Et Ego vos eruditionis Meae consortes, mundi contemptores, inimicorumque crudelium victores ex dulcissimo victoriae genere surgentes coronabo.

Caput XIII.

Hortatur ad patientiam.

Aperite aures cordis, filii Mei, dum fluit quasi ros eloquium Meum: et quae moneo, bene percipite.

Audite haec, omnes gentes, auribus percipite, omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper.

Os enim Meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis Mei prudentiam.

Rarissime apparet inter Adae filios, qui in tribulatione sit patiens et tamen multi, patientiae occasiones studiosissime fugientes, servi Mei cupiunt apparere.

Ad tempus credunt, et in tempore tentationis ignominiose recedunt.

Et quidem tolerabilius esset hoc infidelitatis genus, si Me non cognovissent, et quae Ego innocens pro illis peccatoribus pertuli, non credidissent.

Nunc vero, cum haec omnia cognoverint servi Mei, quid dicam, dum video illos fieri, sicut filii Ephrem, intendentes et mittentes arcum, et converti ad fugam in die belli?

Dicunt, se filios Patris Mei esse, et promittunt se scientiam Dei habere, et Mecum mori desiderare: et statim, ac tentationem aliquam, infirmitatem, ariditatem, vel adversitatem aliam eis immitto, ut probem, an ambulent coram Me in veritate, et ut tanquam aurum in fornace illos examinem: tristitia magna absorbentur, et murmurant contra Me.

Quid est hoc? Usquequo non credat Mihi populus Meus, quem per desertum, quod non seminatur, in

terram spatiosam, et suavissimo fructu foecundam deducere decrevi?

Ne credatis, filii, carni et sanguini, nec prudentiae humanae fidatis.

Sit vobis, velut thesaurus pretiosissimus, quaelibet occasio patiendi aliquid propter Me: et haec sit vobis summa consolatio, in hac mortali vita laboribus exerceri.

Hoc est signum electorum Meorum, quos exerceo et tento, quemadmodum tentavi Abraham, fidelissimum amicum Meum.

Haec est nota verae charitatis, quae omnia suffert et tribulatione, tanquam ignis oleo, nutritur.

Haec est via tutissima, qua itur in coelum, quae mihi conformes efficit, et quos praedestinavit in adoptionem filiorum clementissimus Pater Meus.

Haec via tetenderunt Sancti Mei, qui per labores et pericula regnum coelorum violenti rapuerunt.

Estote ergo vos, filii Mei, fortes in bello, et orate cum illo, qui dicebat: Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum.

Et post agones mortalitatis inaestimabili consolatione dilatabuntur corda et corpora vestra: et fruemini beatissima luce mea.

Caput XIV.

Hortatur ad gratitudinem.

Ex quo formavi hominem, o filii Mei, non cessavi die ac nocte illi benefacere et dolui super angustiis ejus, sicut mater dolere solet super afflicto unigenito filio suo.

Nec requievi videns afflictionem ejus, donec descendi, ut liberarem eum, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.

Factus sum Pontifex corde misericors, tentatus per omnia, pro similitudine absque peccato.

Nullum officium praetermisi, ut exaltarem et solarer filios Adae, fratres Meos, quos haeredes feci novi et dulcissimi testamenti Mei.

Omnem substantiam domus Meae pro dilectione gratitudineque donavi, si forte dona, quibus ferae mansuefiunt saxaque moventur, corda hominum emollirent.

Nunc vero post tot tantaque infiniti amoris signa non est, qui debita gratitudine respondeat tenerrimo cordi Meo.

Quid faciam tibi, generatio Adae crudelis quasi struthio in deserto?

Ego plantavi te vineam electam ad delicias Meas: quomodo conversa es in amaritudinem et fel draconum, vinea aliena?

Quid est hoc? Non est amor, non est gratitudo, non est inter homines, qui commemoret inaestimabilia beneficia Mea.

Canes ipsi, qui modico pane, cum multis verberibus a severis dominis aluntur, si forte absint, ob dominorum absentiam contristantur, et cum eos domum revertentes a longe vident, prae magnitudine laetitiae exultant, et eis jucundissime blandiuntur: et servi Mei, pro quibus dolores et agones mortalitatis tuli, et quos carne et sanguine Meo pavi et potavi, obliti sunt Mei.

Convertimini jam, filii Mei, ad vos ipsos et offerte vos Mihi in hostiam laudis: et dabo vobis pluviam voluntariam fontis vivi, quem ingratitudo siccaverat.

Si volueritis et audieritis Me benefaciendi cupidissimum, bona terrae viventium comedetis.

Abyssus invocabit abyssum in lege misericordiarum Mearum: quae descendent in capita vestra, sicut in verticem Nazaraei.

Non erit terra vestra, sicut terra Aegypti, in qua, in hortorum morem, aquae per fossas ducuntur irriguae: Sed meliori sorte largissimas de coelo pluvias recipiet: Et Ego allectus gratitudine vestra, prosperabo vos victuros Mecum cum sole, et ultra lunam, et numerabo vos inter dulcissimos filios cordis Mei.

Caput XV.

Hortatur ad fortitudinem.

Certate bonum certamen fidei, o filii, ut apprehendatis palmam vitae aeternae.

Estote fortes in bello, et pugnate viriliter cum antiquo serpente: et accipietis regnum sine fine permansurum.

Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Timete potius Me, Qui animas reproborum valeo perdere in gehennam: ut hoc timore armati vanos periculorum temporalium metus expellatis.

Si consistant adversum vos castra, ne formidetis: Ego enim vici mundum, habeoque in femore scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium.

Si fideles sitis ad legitime certandum sub vexillo Meo: unus e vobis fugabit mille, et duo fugabunt decem millia.

Pro nihilo enim humiliabo inimicos vestros, et super tribulantes vos mittam validam manum Meam.

Si exurgat adversum vos praelium daemonum et hominum, ne requiratis humana et infirma nimis auxilia: quibus si quis innitatur, quasi baculi arundinei et confracti perforabunt manus ejus: sed quaerite Me, et signum crucis Meae, in quo vincatis in acie castrorum ordinata.

Sed quid modo dicam vobis de nimis delicatis militibus Meis, qui apparentia tentationum et persecutionum pericula expavescunt; quasi ab increpatione Mea non dormitarent inimici eorum, qui ad praeliandum ascenderunt equos?

An et Ego non ascendi equos Meos, et quadrigae Meae est ipsa salvatio?

Nimia debilitas fidei, nimia incredulitas est haec.

Quid timetis umbras, amici Mei?

Sequimini potius Me; mundum tartarumque contemnite, et hostes vestri territi discedent.

Si semel fortiter adhaeseritis Mihi, neque mors, neque vita, neque persecutio, neque gladius, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit vos separare a charitate Mea.

Ponite pedes vestros super colla regum Madian, et reges Amorrheos usque ad internecionem delete.

Cum ingruerit bellum magnorum periculorum, et occasio ferendae pro Me mortis institerit, recordamini Mei, et in hostes vestros audacter irruite.

Pugnate pro lege novi et aeterni testamenti Mei, et victorias cogitate.

Ego Dux vester ero, et splendidissimam coronam ineffabili consolatione plenam pro victoria reddam.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei Mei vestimentis albis, et scribam super eum Nomen suavissimum Meum, et nomen civitatis novae Jerusalem.

Caput XVI.

Hortatur ad justitiam.

Justus est altissimus Pater Meus, et justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus Ejus.

Quocirca, filii Mei, si tanti Patris adoptio vobis placet, justitiam toto corde diligite, et iniquitatem odio habete.

Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.

Reddite Mihi sacrificium cordis contriti et humiliati, et perenne amoris holocaustum in altaribus cordium immolate.

Reddite superioribus fidelissimam obedientiam, aequalibus suavitatem, minoribus instructionem in spiritu lenitatis.

Nemini quicquam debeatis, nisi debitum unum, a quo vos liberare nolo, scilicet ut invicem in aeternum diligatis.

Hoc dulcissimo mutui amoris debito excepto, reddite unicuique, quod suum est: et merces operarii non maneat apud vos, subtilissimis enim vocibus clamat ad Me.

Qua in re dolendum est, filii Mei, quam gravi pondere conscientiae principum terrenorum opprimantur.

Vexant enim pauperculos subditos suos, sicut olim Pharao populum Meum, laterum et palearum pensum extorquentes, et injusta vectigalia crudeliter imponentes iis, qui in medio platearum fame pereunt: et tamen non curant gemitus pereuntium.

Verum propter miseriam inopum et gemitum pauperum exurgam Ego: et potentes de sede deponam. Illi depravant judicium, pupillo non indicant, humilem et pauperem non justificant, et causa viduae non ingreditur ad illos.

Ego tamen veniam judicare populum Meum in judicio, et pauperes in justitia.

Judicabo pauperes populi, et salvos faciam filios pauperum: et humiliabo calumniatores et praevaricatores, qui sanguinem innoxium effundunt.

Servite Mihi, filii, in timore, et ad justitiae decorem exultate: ut coronam justitiae, quam requiritis, immortalibus gaudiis plenam recipiatis.

Caput XVII.

Hortatur ad silentium.

Lingua effraenis, o filii Mei, capitalis inimica Spiritus Mei, casta corda in abscondito instruentis est.

Et tamen non solum saeculares homines, negotiatores terrae et exquisitores humanae prudentiae, linguae habenas relaxant: sed etiam Ecclesiastici servi Mei, et ii quoque, qui in claustris orationi assidue vacant, quicquid orando et psallendo acquirunt, loquacitate deperdunt.

Malunt cum hominibus vanis et fragilibus, quam cum Unigenito Dei Filio verba facere.

Tota die aedificant, et una hora aedificium destruunt.

O quam longe recedunt a secreta et suavi valde disciplina Mea!

Ego per annos triginta silui, et cum essem Dei Verbum per tres tantummodo annos linguam exercui et tamen non omnes servi Mei capiunt verbum istud.

Certe hoc exemplo usque ad stuporem admirando deberent erudiri, et erubescere, et digitum superponere ori suo: praesertim cum experientia cognoverint, in multiloquio peccatum non deesse, et ex una lingua indomita innumerabiles culpas, inquietudines, distractiones et discordias provenire.

Profecto qui sapiens corde est, sedebit solitarius, et tacebit, nisi cum charitas Mea urgebit illum.

Immo et frequenter silebit a bonis, ne forte lingua, quae bene coepit, postquam incaluerit, male concludat, et inaestimabilem cordis tranquillitatem verborum tumultu perturbet.

Felices illi, qui non solum prohibent linguam suam a malo, et labia sua, ne loquantur dolum; sed etiam a licitis verbis propter Me abstinent, et vix in sua causa rogati respondent.

Ego certe, dum ageretur de causa vitae ac mortis Meae, interrogatus tacui, ita ut miraretur Praeses vehementer.

Quapropter mirandum est, servos Meos non rogatos, sine moderatione velle loquaces et vanos esse.

Quid sibi vult licentia haec, qua infelix anima effunditur extra se?

Ille pretiosus devotionis sensus tanto labore col-

lectus, quomodo tam facile ac vane paucis verbis otiosis dissipatur?

Usquequo servi Mei religiosi sine intellectu erunt non considerantes, linguam modicum esse ignem, sed magnam sylvam incendere?

Usquequo pacem cordis, quae cum verborum licentia cohaerere non potest, parvi pendent?

Attendite, filii, quae dico, et silentium, quod est justitiae ornatus, et monasteriorum decor, studiosissimi colite. Et Ego vobiscum intus loquar, et quasi modo genitos infantes consolationis Meae dulcissimo lacte nutriam, et velut arca clausa novi testamenti servabitis Manna suavitatis Meae.

Caput XVIII.

Hortatur ad modestiam oculorum.

Oculi filiorum Evae depraedati sunt animas eorum: et portae per incautum aspectum apertae sunt.

Vidit mulier lignum visu pulchrum, quod utinam non vidisset.

Haec est origo mortis, quae in omnes homines pertransiit, et aspectum a ligno vitae divertit.

Propterea servi Mei, qui aeternae vitae desiderio tenentur, avertunt accuratissime oculos suos, ne videant mundi vanitatem, quae stulta corda seducit.

Melius est certe, filii Mei, oculorum carnalium luce, cum salute animae carere; quam spectaculis mundi parum castis et piis ad aeternam mortem vulnerari.

Idcirco Job, fidelissimus amicus Meus, pepigit foedus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine.

Turpes cogitationes illum vexassent, nisi sanctum foedus cum oculis pepigisset.

Claudite et vos, filii, mortis fenestras, et corda vigilanter custodite.

Certe si desideratis delectabilia valde regni Mei spectacula videre, formosissima corpora glorificata, et pulcherrimam urbis sanctae structuram, cujus Ego, ut sapiens architectus, fundamenta in mortalibus sanctis posui, circumspicere: debetis a mortalium corporum aspectu libenter abstinere.

Quin etiam et propter presentem internae lucis claritatem, qua oculi cordis delectantur, immensae utilitatis et consolationis est, oculos carnis coercere.

Profecto, filii, doctrina haec dulcissima de oculorum modestia scholae Meae propria est.

Virginis enim Filio oculi in altum surrecti placere non possunt.

Atque ideo non frustra Evangelistae Mei notarunt, Me oculos in rebus gravioribus sublevare solitum esse: quasi dicerent, Me illos non sublevatos habere consuevisse.

Et haec justa querimoniarum causa est, quam habeo adversum servos Meos, imitatores filiarum Sion, quas odivi, eo quod erecto collo, nutibus oculorum ibant.

Et enim si considerant, quid ipsi de interiori luce deperdant, et quale scandalum proximis opponant; modestiae honestatem et decorem studiosius quaererent et inveniret.

Estote, filii, imitatores Mei, et honestissimae matris Meae, et sincero columbarum intuitu Meo solum intueri desiderate accedenteque retributionis tempore di-

cam vobis: Respicite jam, et levate capita vestra, quoniam appropinquat expectata valde, et infinitae consolationis plena redemptio vestra.

Caput XIX.

Hortatur ad diligentiam.

Hora est jam, charissimi filii, vos de somno surgere, et breves dies vitae bonis operibus ante noctem implere.

Si enim Apostolis Meis visum est, novissimam horam esse, in cujus rei testimonium significavi Ego per Angelum Meum servo Meo Joanni, quae oportet fieri cito, aequum erit vos consummationi saeculi propinquiores opera multa bona instanter operari.

Filii hujus saeculi in generatione sua prudentiores filiis lucis sunt: mirum enim est, quam celeriter currant ad solatia sua.

Instante passionis Meae tempore, quando sollicite vigilandum erat, dormiebant discipuli, sed pes Judae festinabat in dolo ad effundendum innoxium sanguinem Filii Dei.

Solam salutis aeternae causam homines lente agunt: in caeteris omnibus causis sine requie festinant.

Quid est hoc? Quomodo mortis instantia, aeternae redemptionis amor, perpetui cruciatus timor, non exstimulant corda vestra ad currendas vias duras?

Certe si infelices illi, quos aeterna morte juste damnavi, impetrarent a Me unam horam e multis, quas vos pro nihilo perditis; tam diligenter ac vehementer operarentur, ut annos multos peccando consumptos hora illa restaurarent, ne ad inferni tormenta redirent.

Electi quoque Mei, qui exultant in gloria, et laetantur in cubilibus suis, si modicum horae spatium ad operandum et merendum obtinerent ardentissime negotiarentur, ut sempiternam consolationem augerent.

Vos ergo, filii, audite disciplinam Meam, estote sapientes, et nolite abjicere eam.

Tempus breve est: Venit nox, in qua nemo potest operari.

Negotiamini igitur, dum venio, et vigiliis, orationibus, jejuniis, misericordiis pauperum, passionum mortificatione et omnium virtutum exercitiis die ac nocte permansuras opes Meas cupidissime comparate.

Ego vos lassos recreabo, et recipiam vos plenos bonis operibus, tanquam comparticipes et cohaeredes infinitae haereditatis et laetitiae Meae.

Caput XX.

Hortatur ad magnanimitatem.

Si sciretis, charissimi filii, quam magna sit domus Mea, et ingens locus possessionis Meae, omnes labores, sudores et martyria Sanctorum Meorum, exercitia levia vobis viderentur.

Ineffabilia enim sunt praemia et solatia justorum, quae praeparavi in abscondito faciei Meae.

Et licet omnia hominis membra verterentur in linguas, frustra laboraret omnis humana eloquentia, tanquam qui vase modico totum oceanum vellet includere.

Levate oculos vestros in montes, et infinitam remunerationem saepissime cogitate: ut magna semper operemini.

Respicite, amatores mundi, qui terrenos principatus

ambiunt, quam liberaliter opes suas effundant, quam difficiles actus exerceant, quam graves repulsas, dolores et amaritudines e calice daemoniorum bibant: quae tamen omnia aequo animo ferunt, modo per exiguum tempus regnent.

Quare ergo vos, qui Mecum sine fine regnaturi estis, manus dissolutas et genua debilia ad magnos labores et agones non roboratis?

Dixerunt milites Holofernis, inimici Mei, Judith pulchritudinem admirantes: Quis contemnat populum Hebraeorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?

Quomodo igitur pro dulcissima pulchritudine supernae Jerusalem vos, ignavi filii Mei, non animose dimicatis?

Parum magnanimi estis, et neque Me, neque amoris erga vos Mei magnitudinem aestimatis.

Numquid Ego unquam dixi: Possum filios Adae una gutta sanguinis redimere et reconciliare clementissimo Patri Meo: nolo ergo totum sanguinem profundere, tot dolores et ignominias hominum causa tolerare?

Certe sine ullo termino intraverunt aquae usque ad animam Meam; et cum essem infixus in limo profundi, Pater Meus omnes fluctus Suos induxit super Me.

Propter vos, filii, veni in altitudinem maris magni: et tempestas tribulationum demersit Me.

Ut quid ergo parce Mihi servire, et non potius, quae retro sunt obliviscentes, ad anteriora vos extendere certatis?

Contemnite parva et mediocria, milites Mei, et scuto fidei galeaque salutis armati, per infamiam et bonam

famam, per adversa et prospera, a dextris et a sinistris, ad magnos honores et coronas immortales dimicate.

Qui vicerit, dabo ei sedere Mecum in throno Meo: sicut et Ego vici, et sedeo cum altissimo Patre Meo.

Caput XXI.

Hortatur ad orationem.

Si victoriam vitiorum et passionum desideratis, filii Mei, si ascensiones in corde disponere et ad cor altum accedere optatis, corda sursum erigite, et orationis studio magnam diei partem consecrate.

Ego enim diligo portas Sion, ubi exercetur coelestis conversatio, qua nihil est in terris amabilius.

Ibi spirat suavissima virtutum fragrantia, quae est sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

Ibi flat aura lenis, quae a mundi et carnis aestu corda refrigerat.

Ibi purissima lux Mea sedentes in tenebris exhilarat.

Ibi oleum laetitiae participes Meos inungit, et ad luctam sive militiam vitae disponit.

Ibi repletur adipe anima, sponsa Mea, et aperiuntur labia exultationis ad laudandum magnum Nomen Meum.

Ibi salit sicut cervus claudus, et solvitur lingua mutorum, quia scissae sunt aquae in deserto, et torrentes in solitudine: et anima, quae erat arida, vertitur in stagnum et sitiens in fontes aquarum.

Ibi communico humilibus corde secreta Mea, et lacto mansuetos, et pauperculos ipsis uberibus ineffabilis consolationis Meae.

Ibi Ego impero ventis et mari, cujus procellis mites

corde turbantur, et fit tranquillitas magna simillima coelo sereno.

Ibi ad praeceptum Meum omnes bestiae sylvae congregantur, oriente sole, et collocantur in cubilibus suis.

Ibi anima videt et affluit, et miratur, et dilatatur prae magnitudine inaestimabilis laetitiae Meae.

Ibi patet fons domui David, amici Mei, ut bibant a Me, fonte vivo, intima gaudia Mea.

Ibi ministratur frumentum electorum, et vinum germinans virgines, Mihi, sponso suo, in thalamo Meo castissime adhaerentes.

Ibi pluit manna de coelo ferens secum omne delectamentum, quo casta corda fruuntur.

Ibi altaria cordium Mihi fumant, et dirigitur ad Me oratio pura, quasi sacrificium vespertinum in odorem suavissimum, qua quiescit ira Mea, quae contra peccatores exardescit.

Ibi denique exercetur liberalissimus et benefaciendi cupidissimus amor Meus.

Discite ergo, filii Mei, sapientiam hanc, omnium bonorum genitricem: et doctrinas hominum prae hujus amore contemnite.

Haec sit prudentia et pretiosissima eruditio vestra, multis laboribus et conflictibus comparanda.

Abjicite negotia saeculi pro dulcissima parte otii hujus: et quidquid animam ab eo divertit, quantum per vos fieri poterit, exhorrescite.

Ne sequamini consilia filiorum hujus saeculi, qui inter mundi curas innumerabiles spiritum opprimunt, ne ad Me respirare possit.

Vae illis, quam stulte agunt, quam graviter sibi nocent, quantis opibus et solatiis seipsos privant, quam inhumane Me Solum relinquunt.

Felices illi, quorum haereditas melle dulcior conversatio Mea est, et omne opus eorum oratio.

Haec sit, dulcissimi filii, haereditas vestra: et in abscondito amplectar vos quasi fidelissimos amicos Meos.

Caput XXII.

Hortatur ad perseverantiam.

Omne pietatis studium, o filii, sine perseverantia inane est, cum ad aeternitatem non proficiat.

Propterea, cum essem apud vos, perseverantiam saepe praedicavi, cum scirem eos, qui mittunt manum ad aratrum, et respiciunt retro, non perventuros ad coronam.

Utinam caperetis verbum hoc, et usque ad vitae finem in viis justitiae ambularetis.

Frustra enim bene coepistis, si in media via deficiatis.

Mirum est, quanta sit hominum stultitia, qui cum e servitute Pharaonis liberati et per desertum mortalis vitae fere ad portas terrae viventium educti fuerint, labore modico, qui superest, deterrentur, et ad Aegyptum redire constituunt.

Quid est hoc? Sic stulti sunt, ut cum spiritu coeperint, carne consummentur? Tanta passi sunt sine causa?

O insensati Adae filii, quis vos fascinavit?

Currebatis bene ad coronam immortalem, nunc vero alius vestram coronam accipiet.

Ablatum est a vobis regnum Dei ob ingratitudinem

et inconstantiam vestram, et dabitur genti facienti dulcissimos fructus ejus.

Parum laboris supererat, ut ascenderitis in palmam, et colligeretis fructus ejus, quibus in aeternum vesceremini.

Vano consilio seducti estis, et transactos labores enervatis.

Vos ergo, filii, qui puro corde accessistis ad Me, et cognovistis rectas vias Meas, estote fideles usque ad mortem, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Virum injustum funibus peccatorum constrictum mala capiant in interitu: vos vero filios Meos, qui Me sequi coepistis, morientes sequantur bona opera vestra, et in osculo pacis amantissime claudam Ego oculos vestros.

Cito transit, quod currit in tempore: modicum est, quod supervicturi estis.

Ego vos protegam et dulcissima societate recreabo in hac molesta navigatione, donec deducam vos in portum voluntatis vestrae ac Meae.

Bonum certamen certate, bene coeptum cursum consummate: et de labore fessi fruemini aura spiritus vitalis Mei, qui perflat hortos pensiles suavissimae Sion, quam dilexi.

Aspicite a longe amoenitatem regionis, in quam ascenditis circumeuntes terram Edom, et ad purissimas Jordanis aquas e siti deserti suspirate.

Ego suscipiam vos fideles servos Meos: et de capite Amana, ubi ferae habitant, surgentes humanissime complectar, et aeterno amore consolabor.

Haec sit perennis meditatio vestra suspiriis et gemitibus voces turturis imitantibus plena; donec liberati

de corpore mortis hujus, quae per peccatum introivit, et regnavit, gratiae Meae decorem induti, immortale regnum immensis divitiis et inaestimabilibus gaudiis plenum, gloriosa victoria et infinita laetitia comparetis.

Caput XXIII.

Hortatur ad custodiam et augmentum virtutum.

Cavete, filii, ne vulpes parvae, quae demoliuntur vineas, proventum vinearum vestrarum, quas multo labore coluistis, impediant.

Ne contemnatis minima, neque animi remissioni locum detis: habetis enim pretiosissimum thesaurum gratiae, et virtutum in vasis fictilibus corporum mortalium: et in vobis ipsis geritis, unde certamina periculosa toleretis.

Vae illis, qui cum rubore ac sudore arduas virtutes in schola Mea compararunt, et quasi de victoria securi dormitare incipiunt.

Non est consilium sanum, secure dormire, ubi fures effodiunt et furantur.

Sanius consilium est, quod dederunt pastores illi, qui in nocte natalis Mei erant vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

Certe mirabile est, homines super greges pecorum vigilare; et servos Meos nimium super se dormire, quasi in vanum acceperint animam suam.

Nolite somno gravari, filii Mei, quia in terra inimicorum estis, qui tota die constituunt vobis praelia.

Currite velociter, et sic currite, ut comprehendatis.

Date animas vestras pro testamento Meo, parati

potius mori, quam coelestis gratiae Meae et virtutum Mearum detrimentum pati.

Nonne videtis, gehennae filios divitias ita custodire et augere, ut inter spinas viventes nunquam sollicitudine careant?

Utinam et vos divitiarum Mearum detrimenta timentes, staretis semper ut custodes lectuli Salomonis gladium tenentes, ac solliciti propter timores nocturnos.

Haec est pars magna prudentiae justorum, qui, postquam justi facti sunt, diligentissime vigilant, ne forte reprobi fiant.

Ibi culpam timent, ubi culpa non est: et prae desiderio Mei suspicantur fures, ubi non sunt.

Gloria quippe et divitiae in domibus eorum, quarum custodia sollicitudinem generat, receditque somnus ab oculis eorum, ut olim recessit ab oculis Jacob, charissimi amici Mei.

Haec sit, o filii, aemulatio vestra: cavete, ne extinguatur in nocte lucerna cordis vestri: manumque vestram mittite ad fortia, et nunquam a labore et fatigatione, pro conservanda coelesti gratia Mea, animum relaxetis.

Et Ego laborantes adjuvabo, et replebo operibus bonis, quae in pace Mea vos morientes sequentur.

Et suavissimus spiritus Meus dicet justis Meis, ut jam bene probati dulcissime requiescant a laboribus suis.

PARS III.

Quae continet multa consilia ad Christianam perfectionem comparandam.

Caput I.

Hortatur Jesus Christus ad perfectam omnium affectuum abnegationem.

Quicunque sub vexillo crucis Meae militare, et Me patientem sequi decrevistis, inclinate aurem vestram in verba aeternae vitae Meae, et sermones Meos in medio cordis abscondite.

Ego veni in mundum, non pacem mittere, sed gladium, ut separarem homines non solum a rebus terrenis, quas nimio amore possident, sed etiam a parentibus et amicis et, quod majus est, a propriis affectibus et desideriis, quae mergunt homines in interitum, et animas Meo sanguine redemtas in aeternam servitutem pertrahunt.

Haec est prudentia justorum, qui non modo renuntiant omnibus, quae possident, ut Me currentem sequantur; verum et animas proprias oderunt, ut creetur in eis cor mundum, et spiritus rectus innovetur in visceribus suis.

Considerant enim, quid acciderit peccatoribus insensatis, qui nimis amarunt stultas animas suas: qui sicut oves in inferno positi sunt, et mors depascet eos.

Propter quod fortes facti sunt in bello adversum semetipsos, ut abnegantes impietatem et omnia saecularia desideria sobrie et pie viverent in Me: et fideli

corde in tempore retributionis Mihi dicere possent: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus Te.

Vos ergo, filii, qui vultis in coelum ascendere de deserto mundi deliciis affluentes, abnegate vos ipsos, et deponentes omne pondus, levate ad Me manus puras, et immaculata corda Mihi sacrificate.

Neque durum vobis videatur, animam propriam, et omnia mundi bona relinquere propter Me.

Licet enim modico tempore tristitiam habeatis; succedet expectata valde laetitia Mea, qua gaudebit cor vestrum.

Certo omnis disciplina in praesenti quidem non videtur esse gaudii, sed moeroris: postea tamen viris exercitatis per eam fructum pacatissimum reddet justitiae.

Ad vesperum tenebrarum mundi demorabitur fletus: et ad clarissimum apparentis gloriae matutinum laetitia.

Ne respuatis, filii Mei, consortium eorum, qui seminant in lacrymis, et in exultatione metent.

Relinquite omnia confidenter, et affectus omnes abscindite propter Me: et Ego vita vestra, anima et consolatio vestra, et tota vestri laboris merces ero.

Caput II.

Monet respondere divinis inspirationibus.

Ego sto ad ostium cordis, et pulso, cupiens introire, et requiescere in reclinatorio Meo, ubi posui delicias Meas.

Haec est desiderata valde requies Mea in saeculum saeculi: hic habitabo, filii Mei, quoniam elegi eam.

Vos discurritis per vicos et plateas, quaerentes

requiem in terra aliena: et Ego quaero requiem in corde vestro tanquam in deliciosissimo thalamo Meo.

Semper enim in omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini libenter morabor, atque in electis Meis altas radices mittam.

Si ergo tenemini vero desiderio praesentiae Meae ac aeternae salutis vestrae, aperite Mihi pulsanti, et inspirationibus Meis nunquam aures obturetis.

Quid enim boni vobis accidere poterit, si Mihi non pateat janua domus vestrae, quam coelestibus gaudiis implebit visitatio Mea?

Cavete, filii Mei, dum inspiro vobis coelestia desideria, ne surdi et caeci efficiamini, sicut illi, quibus per annos quadraginta proximus fui, dicens: Semper hi errant corde.

Illi enim scientiam Meam repulerunt: quibus idcirco juravi in ira Mea, ne introirent in requiea Meam.

Vos autem, qui Me humana carne vestitutum, praeceptorem suavissimum et mitissimum habetis, inspirationibus Meis aures castas et fidelia corda praebete: neque lucem meam, quae filiorum haereditas est, extinguite vel obscurate.

Certe fideles amici Mei adeo sollicite Meis admonitionibus respondere solent; ut si inter praesentis vitae negotia Me intus loquentem et orandi, vel legendi, vel aliquid pium agendi desiderium inspirantem sentiant, statim dicant: Hoc signum magni Regis est; eamus et inquiramus Eum, et offeramus Ei clauso cordis cubiculo desideria nostra, quasi virgulam fumi suaviter olentis, ascendentem ex aromatibus myrrhae et thuris.

Hi sunt Mihi charissimi: quia non student hominibus placere, sed adhaerere Mihi, et Me omnibus mundi commoditatibus et voluptatibus anteponere.

At illi, qui inspirationes repellunt, vel cito exequi nolunt, justo judicio Meo in dies magis magisque alienantur a Me, et cordis desolationem et obdurationem in suae infidelitatis poenam incurrunt.

Imitamini, o filii, Apostolos Meos, qui statim ac eos vocavi, relictis omnibus, secuti sunt Me: et nullis humanis rationibus acquieverunt.

Et Ego, dum invocaveritis Me, celeriter exaudiam vos, et e magna tribulatione venientes, ac super nivem sanguine Meo dealbatos deducam in aeternam requiem Meam.

Caput III.

Monet puritatem intentionis in bonis operibus.

Beati servi illi, qui in omni opere suo moventur sola et pura intentione placendi Mihi.

Qui simplicem oculum columbarum habentes nihil desiderant vel quaerunt praeter Me.

Sed vae mundo! Quam pauci sunt, qui commoditatem suam, vel lucrum, vel gloriam hominum non quaerant.

Circuite vias Jerusalem et inquirite, an inveniatis virum facientem fidem, et non quaerentem, quae sua sunt: et propitius ero ei, et laudabunt eum in portis opera ejus.

Verum scio hujusmodi viros rarissime inveneri: et non solum plebeios ignorantes viam Domini, sed optimates etiam bona opera, quae faciunt, oculo nequam malae intentionis corrumpere.

Gloriantur ipsi etiam Ecclesiastici, qui videntur recte agere, se propter Ecclesiae, sponsae Meae, bonum in suis praelationibus et dignitatibus laborare: et tamen redditus dignitatum et honores hominum potius, quam gloriam Meam requirunt; testimonium ipsis perhibente conscientia ipsorum, et cogitationibus, cum remorsu animae, invicem accusantibus et defendentibus.

Quin etiam, quod magis dolendum est, ipsi religiosi, qui mundum contempsisse videntur, in suis exercitiis legendi, praedicandi et consulendi, non tam Mihi, quam hominibus placere student.

In veritate dico vobis, quia virgines fatuae sunt: et dum laudes humanas expetunt, oleum laetitiae, quam generat bona conscientia, in vasis cordium suorum habere nolunt.

Quid est hoc? Ubi est fructus pretiosissimi sanguinis Mei?

Quomodo obscuratum est aurum antiquae charitatis, qua servi Mei in Ecclesia primitiva flagrabant: qui per Episcopatus et officium praedicationis non ad divitias et honores, sed ad tormenta et persecutiones ad Me currebant.

Revertimini, filii Mei, ad primam charitatem, et oculum intentionis inungite collyrio sanguinis Mei; ut in omnibus oneribus et honoribus nihil nisi gloriam Meam requiratis.

Et Ego, qui sinceritate cordis delector, remunerabo labores Mei causa susceptos: et sicut incorrupta intentione confessi estis Me coram hominibus, ita Ego confitebor vos coram altissimo Patre Meo.

Caput IV.

Hortatur ad resignationem in Dei beneplacitum.

Nihil est, filii charissimi, quod majorem cordis pacem generet, quam perfecta resignatio in beneplacitum Meum. Si enim in omni adversitate et prosperitate cor hominis in iis, quae facio, sibi complaceat; nulla ei nocebit adversitas, quia nulla ei dominabitur iniquitas.

Immo hauriet aquas in gaudio a Me, fonte vivo, et amantissimo Salvatore suo: quia sive valeat, sive aegrotet, sive laudetur, sive vituperetur, laetabitur in salutari suo, Qui facit omnia secundum consilium rectissimae voluntatis Suae.

Haec est sapientia viri justi, quem non contristabit, quicquid acciderit ei; gaudet enim gaudio magno valde, cum omnia ei eveniant juxta desiderium suum, quod semper cohaeret cum dispositione providentiae Meae.

Utinam mundi sapientes, qui Me condemnant, ut ipsi justificentur, discerent prudentiam hanc, quae non invenitur in terra suaviter viventium.

Non adaequabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturae mundissimae componetur.

Non lucebit aurum coram ea, nec appendetur argentum in comparatione ejus.

Inaestimabilis enim est perfecta resignatio cordis, quid Ego velim semper attendentis, atque in eo ipso dulcissime requiescentis.

Dolent principes terrarum super morte charorum, nec ullam consolationem admittere volunt: et justus laetatur morte primogeniti sui, quia ex Mea voluntate succedit.

Vos ergo, filii, qui desideratis frui pace filiorum Dei, in omni eventu voluntatem Meam spectate, et confidenter acquiescite: et fidelissimi servi Mei Job verba celebrate: Sicut Domino placuit, ita factum est: sit Nomen Domini benedictum.

Et Ego paternam et maternam curam vestri geram: circumducam vos per mundi desertum: et ero in umbraculum ab aestu: totaque saeculi hujus nocte ero vobis in clarissima illuminatione ignis.

Si perfecte in Meo beneplacito quiescatis, omnis substantia domus Meae vestra erit.

Meus est dies et Mea est nox, Ego fabricatus sum auroram et solem, Ego feci omnes terminos terrae, aestatem et ver, Ego plasmavi ea.

A solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari, omnia subjacent imperio Meo: neque est, qui possit resistere voluntati Meae.

Quocirca si voluntas vestra una et eadem cum voluntate Mea sit, omnia vestra erunt, quia omnia obtemperabunt voluntati vestrae.

Et peracto vitae cursu, in signum regiae dignitatis sedebitis cum senatoribus terrae: et inenarrabilis laetitia exultantes adhaerebitis strictissimo complexu cordi Meo, ad cujus proportionem formati estis.

Caput V.

Hortatur ad primam diei partem orationi assignandam.

Audite, filii, quae loquor, concrescit enim in pluviam dulcissima doctrina Mea.

Omnia primogenita Mea sunt: et proinde illa Mihi

sacrificare, primitiasque omnes in altaribus cordium vestrorum intima gratitudine Mihi offerre debetis.

Certe qui mane vigilaverint ad Me, pium ac suavem invenient Me.

Propterea justus cor suum tradidit, ut vigilet ad Me diluculo, antequam negotia et sollicitudines mundi occupent sensus ejus.

Scit enim, quanti ponderis sit, primas cogitationes et prima desideria Mihi consecrare, et omnem fiduciam in Me ponere.

Sic fidissimus servus Meus David magna sollicitudine ante curas et negotia regni Me quaerebat, quod sincero corde cantavit dicens: Praevenerunt oculi Mei ad Te diluculo, ut meditarer eloquia Tua.

Beati, quos a somno excitat sollicitudo Mea, ut in matutinis meditentur in Me: ut omnis eorum oratio et operatio a Me semper incipiat, et per Me coepta finiatur.

Horum certe animae in manu Mea sunt: et quia primum quaerunt regnum Dei et justitiam Ejus, non tanget illos tormentum malitiae, et mors animae fugiet ab eis.

Ego enim virtus et vita eorum, odoratus suavissimum odorem holocausti matutini defendam illos, et in processu diei dirigam opera eorum, sicut ipsi summo mane direxerunt ad Me corda et corpora sua.

Illos vero, qui mane surgunt ad ebrietatem sectandam, et saecularia negotia sine timore Meo gerenda, patiar vexari, et per ipsa, quae agunt, excruciari: ut idola mundi, quae colunt, surgant, et opitulentur eis, et in necessitate eos protegant.

Vae illis, quam graviter errant non praevenientes faciem Meam in laude, ut protegantur auxilio Meo.

Si ascenderint in altitudinem nubium, inde detraham eos: quia more gentilium non proposuerunt Me, adjutorem suum: sed speraverunt in divitiis vel astutiis suis; et praevalere tentarunt in vanissima vanitate sua.

Vos ergo, filii, ante ortum solis et ante strepitum filiorum hujus saeculi, in thuribulis cordium, amoris igne flagrantium, incensum orationis ponite et adolete.

Et Ego vobis in silentio ad Me suspirantibus praesto ero: imprimamque coelestia desideria visceribus vestris, quae pro magnitudine consolationis anhelabunt ad aeterna gaudia, quae vobis praeparavi in primogenita civitate Mea.

Caput VI.

Hortatur ad solitudinem amandam.

Si scirent homines, quam sit amabilis solitudo, quae a justis quaeritur, ut gaudeant ibi Mecum libertate filiorum Dei: ipsi etiam negotiosi filii saeculi certis temporibus jugum mundi projicerent, et speluncas montium ad quaerendam faciem Meam sollicite peterent.

Inaestimabilis enim est dulcedo conversationis et sapientiae Meae, quam nemo principum hujus saeculi cognovit.

Non enim potest inter tumultus negotiatorum absconditae suavitatis gustus inveniri.

Propter hoc illi pauci sapientes antiqui, quibus dignus non erat mundus, extra turbas requisierunt Me, et in remotissimis desertis dulcissimos Spiritus Mei fructus comederunt.

Inter feras et inter scopulos facilius, quam in mediis urbibus invenitur sapientia Mea.

Ibi ad praeceptum Meum elevatur anima, sicut aquila; et in arduis ponit nidum suum, atque in praeruptis filicibus commoratur.

Ibi contemplatur escam melle dulciorem secretae communicationis Meae: et affectus ejus quasi aquilarum pulli lambunt sanguinem Meum.

Ibi Ego loquor ad cor Jerusalem, dicoque verbum absconditum a mundi prudentibus: et quasi furtive suscipit auris cordis venas subtilissimi susurri Mei.

Ibi ob silentii, et solitudinis opportunitatem Solus Ego traho omnes vires animae post Me in funibus novi Adam et in vinculis dulcissimae charitatis.

Vos ergo, filii, exite de Ur Chaldaeorum, et Ninivem, civitatem grandem, certis saltem diebus, relinquite, ac remotum aliquem locum, ubi vobis occurram, eligite.

Ne sequamini politica consilia, quibus certissime avertentur corda vestra, et obdurabuntur, ne placeat illis conversatio Mea.

Videte, quid egerint Sancti Mei: qui etiam curam animarum gerentes, ut sine detrimento animarum suarum alios salvos facerent, populos interdum aliis curandos per dies aliquot committebant, Mihique Soli totis viribus in solitudine vacabant, et fortiores ad laborem recurrebant.

Fugite servitutem Aegypti, et super montes Bethel ad contemplandam coeli serenitatem ascendite.

Crescite jam, et manducabitis cibum grandium, et

tanquam fideles amicos Me in deserto sequentes, aqua purissima et suavissimis palmae fructibus alam.

Caput VII.

Monet recursum ad Deum contra inconstantiam.

Filii, accedentes ad studium sapientiae Meae, scitote inconstantiam periculosam infirmitatem esse.

Trahitur hoc malum haereditate Adae, patris vestri, qui per peccatum inconstans factus est.

Haec est conditio hominis, qui egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, nunquamque in eodem statu permanet.

Vae peccatori, qui recessit a Me, vera fortitudine et firmamento suo, et ad horas singulas consilia mutat.

Peccatum peccavit Jerusalem: propterea instabilis facta est.

Migravit a Me ferens secum inconstantiam cordis, et multitudinem servitutis: et cum regna multa peragrasset, non invenit requiem.

Vae columbae, quae ab arca recedit: quia in diluvio aquarum multarum non inveniet, ubi possit requiescere pes ejus.

Saepe servi Mei contra regulas prudentiae justorum sana consilia, quae prius elegerant, relinquentes, peccant aberrantes a meliori proposito, quod inspiraverat illis clementissimus Pater Meus.

Cito fecerunt, obliti sunt operum Ejus, et non sustinuerunt consilia Ejus.

Et haec est ratio, propter quam parum in schola Mea proficiunt, quotidie incipientes aedificare, nec valentes consummare.

Doleo vicem illorum, et vellem firmiter durarent in salutari consilio Meo.

Si ergo desideratis, filii, malum hoc grande vitare, recurrite ad Me, totisque visceribus inconstantiae remedium implorate.

Ego enim vici mundum, et veni curare instabilitatem ejus.

Neque vos frangat experientia hujus mali, quo anima diu affecta, quasi luna mutatur, et ad singulos ventos, instar fluctuum maris commovetur.

Ego enim congrego, sicut in utre aquas maris, et pono in thesauris abyssos.

Et quando Mihi placet, voco ad Me discipulos Meos, ut ambulent super aquas, tanquam super solidissimam petram.

Constantes estote, et videbitis auxilium Meum praesentissimum super vos: dummodo fidelissime statuatis, consilia a Me inspirata in posterum sequi.

Sinite jam in opiniones varias ferri, et propositum Mihi placendi, quod arripuistis, usque ad mortem sustinete.

Et Ego coelesti fortitudine vobis adero, et firmabo super vos misericordes oculos Meos.

Caput VIII.

Hortatur ad sacramenti poenitentiae usum.

Summum malorum, filii charissimi, peccatum est, quod animae vitam extinguit.

Si ergo peccatis, cavete, ne regnet in vobis peccatum, et festinate converti ad Me, currentes ad balneum pretiosissimi sanguinis Mei.

Ne probetis consilia eorum, qui laetentur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, nec remedium poenitentiae requirunt.

Nimium stulti et audaces sunt, qui Deum ad iracundiam provocarunt, et aeternae poenae reatum incurrerunt: et tamen nihil de futuro cogitantes, comedunt, bibunt et dormiunt, et ducunt in bonis dies suos.

Mirum est, quomodo non timent, qui fecerunt sibi Deum inimicum!

Quomodo non timent, ne sicut viventes, sic in ira absorbeat eos?

Horrendum est enim, incidere in manus Dei viventis.

Certe hi fatui, presentis vitae amore capti, oderunt animas suas, quarum remedium non requirunt.

Vos igitur, filii, si ex humana conditione peccaveritis, ne differatis poenitentiam; sed planctum et tristitiam, quae salutem secundum Deum stabilem operatur, assumite.

Leprosi si estis et morti proximi, abstergite lepram balneo sanguinis Mei per sacramenti poenitentiae canalem decurrentis: et caro vestra restituetur, sicut caro pueri parvuli: et recuperata candida gratiae veste numerabo vos inter dilectissimos filios Meos.

Nec taedeat vos humilis confessionis, qua in animo contrito detegitis peccata vestra: brevi enim humiliatione et verecundia aeternam vitam comparabitis.

Certe modicum est, quod a vobis postulo, si consideretis bona, quae ibi proveniunt.

Graviorem profecto poenitentiam Ego pro vobis egi, quam vos ipsi: Si enim appenderentur in statera

peccata vestra et calamitas, quam Ego vestri causa pertuli, quasi arena maris haec gravior appareret.

Properate ergo ad remedium vestrum, et Ego suscipiam vos.

Verba confessionis humilia et ferventia proferte, qualia servus Meus David de peccato admonitus protulit, dicens ex intimis praecordiis: Peccavi.

Et Ego transferam a vobis peccata vestra: et effundam super vos aquam mundam, atque mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

Et propter conscientiae testimonium luctus vester vertetur in gaudium: secundum multitudinem quippe dolorum vestrorum, quibus afflixistis corda, intimae consolationes Meae laetificabunt animas vestras.

Caput IX.

Hortatur ad sacram communionem.

Ego aeterna sapientia aedificavi Mihi domum humanitatis Meae, et ut facerem convivium pinguium medulatorum, miscui vinum pretiosissimi sanguinis Mei, et posui mensam, ita ut panis convivarum esset purissima caro Mea.

Et postquam instruxi lautissimum convivium, non quievi, sed misi ad plateas et moenia civitatis pueros Meos et inspirationes Meas, ut cordibus hominum loquerentur, et dicerent: Venite, comedite panem Meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

Nunc autem pauci valde sunt, qui vescantur vitalissimo pane Meo, quasi omnem saporem suavitatis non haberet.

Viae Sion lugent, eo quod non sit, qui veniat ad solemnitatem Meam, qua corda casta dilatantur.

O quam stulti sunt Adae filii, qui per escam mortui sunt, et per escam vivificari nolunt!

Quid est hoc? Quid optabilius et suavius invenire possunt, qui delectamenta mundi requirunt?

Ubi est sincera fides et purus amor, cujus nutrimentum et fomentum panis de coelo missus factus est?

Certe facies christiani populi exusta videtur, quasi non esset triticum et vinum: et pelles ejus, consumpta carne, ossibus siccis adhaesit.

Ventum est enim ad calamitatem magnam, eo quod plurimi filii Ecclesiae, sponsae Meae, semel tantum in anno panem vitae comedunt, et libertatis genus existimant, ad frequentem communionem non accedere.

O stulti et tardi corde ad credendum et diligendum Me!

Nonne oportebat, quasi grave mortis supplicium timere non amplius, quam semel in anno, pane vivo refici?

Quare ergo supplicium hoc ipsi Adae filii sponte sua sibi sumunt, et fame mortalissima siccantur?

Non est sanum consilium hoc: ingratissimo et durissimo corde digna est alienatio haec.

Vos ergo, filii, qui desideratis vivere propter Me, frequenter manducate Me.

Aperite Mihi penetralia cordis vestri, et intra viscera vestra Meae dulcedinis avida recondite Me.

Dilatate os vestrum, et implebo illud: et extensis desideriorum brachiis amplectimini Me.

Certe tantus esse deberet dulcissimi panis amor, ut neque diebus, neque noctibus ab altari, ubi servatur sacramentum Meum, recederetis, solaque inevitabilis necessitas vos ab eo loco violenter abstraheret.

Recedite ab eis, qui Me derelinquunt, et recedentes a Me non in coelo, sed in terra scribuntur, quorum alius discedit in villam suam, alius ducit uxorem, alius vadit ad Babylonicam negotiationem suam.

Imitamini filios primitivae Ecclesiae Meae unanimes in domo, et saepissime communicantes in fractione panis, quo vivitur et aperitur via ad immortalem vitam Meam.

Haec sit negotiatio vestra: haec sit sapientia et fortitudo vestra: haec sit delectabilissima exercitatio vestra.

Accedite ad Me, et inaestimabilem dulcedinem Meam in ipso fonte gustate, et eritis leonibus fortiores, aquilis velociores, et facies vestra splendebit sicut sol.

Et Ego vobiscum habitabo: et splendoribus aeternis, ac infinita laetitia, futurae gloriae praenuntia implebo viscera vestra.

Caput X.

Hortatur ad officia misericordiae.

Induimini, filii Mei, viscera misericordiae et afflictis compasti, et succurrere dicite.

Haec est requies Mea, ut per vos lassae manus roborentur, et genua debilia confortentur.

Pauperculis et contritis corde tanquam Mihi Ipsi subvenite: et Ego Ipse, Qui pauper fui in terra, quam dedi filiis hominum, retribuam iis, qui in persona egenorum honoraverunt Me.

Facite vobis animos de substantiis vestris, ut recipiant vos in aeterna tabernacula.

Si ad mensam Meam in amplissimo regno Meo cum principibus sedere vultis; ne comedatis buccellam

vestram soli; et inopes de velleribus ovium vestrarum calefiant.

Benedictio perituri veniat super vos, et oculos viduae expectare ne sinatis.

Et Ego odorabor misericordiam magis, quam intempestivum sacrificium: et pro misericordiis pauperum respondebit vobis justitia redemptionis Meae.

Attendite voces miserorum, quibus emollitur cor Meum, et hospitalia domosque afflictorum, fame et egestate pereuntium cum muneribus visitate.

Vae crudelibus, quorum promptuaria sunt plena, eructantia ex hoc in illud, et e fenestris elaboratis, sine compassionis sensu, prospiciunt nudos, et fame ac frigore gementes filios Meos.

Viscera crudelia odivit anima Mea.

Fugite crudelitatem: et super afflictos flete, et amplectimini pretiosa valde pignora Mea.

Accurrite velociter, et mittite eleemosynam in sinum pauperis: et ipsa subtilissimis vocibus orabit pro vobis: et reportabit laetum nuntium firmissimae spei, et coelestis laetitiae Meae.

Beati illi, a quorum conspectu pauperes nunquam desolati recedunt.

Beati, qui gemitus egenorum nunquam repellunt, nec importunitate vincuntur.

Beati, qui miserendo delectantur, quoniam mercedem magnam, mensuramque bonam, et confertam, et coagitatam recipient; et cum infinita consolatione intrabunt in aeternum gaudium clementissimi Patris Mei.

Caput XI.

Hortatur ad tolerantiam et remissionem injuriarum.

Si vere sapientes ac beati esse desideratis, filii charissimi, scitote, vos fore beatos, cum homines vobis maledixerint, et exprobraverint, et dixerint omne malum adversum vos, si patienter sustineatis, non reddentes malum pro malo, sed vicentes in bono malum.

Haec est altior mundo eruditio Mea, quam docui discipulos Meos, factus opprobrium hominum, et postrema abjectio plebis.

Haec est prudentia justorum saepe notata in dulcissimo testamento et Evangelio Meo.

Cum enim essem honore infinito dignus, quasi Unigenitus a Patre, splendor gloriae et figura substantiae Ejus, versus sum in parabolam civitatis regiae et sacerdotalis, quam dilexi.

Veste alba ad contemptum indutus fui, et circumdatus purpureo vestimento, tenens sceptrum, arundinem et coronam dolore et irrisione plenam.

Descendi ad postremam vilitatem, et abyssi operuerunt Me.

Quis hic cognosceret Filium Dei altissimi inter improperia innumerabilia, quae ceciderunt super Me?

Scriptum est: Vidimus Eum, et non erat Ei aspectus, neque decor, unde nec reptuavimus Eum.

Quid hic dicam de ignominiosa comparatione Barrabae cum Dei verbo, per quod facta sunt omnia?

Quomodo optimates sanctae Civitatis praeposuerunt hominem seditiosum, latronem et homicidam Regi, Redemptori et Deo suo?

Sed neque hic opprobria Mea cessaverunt: adhuc enim morienti caput agitantes insultabant, ut saturatus opprobriis interirem.

Et tamen in omnibus his irrisionibus, quibus adversum Me loquebantur, qui sedebant in porta, non Me ulcisci cogitavi, sed cor mitissimum exhibui, et infiniti amoris ostensione pro irrisoribus sanguinem Meum, et supremas intercessionis voces ad Patrem misi.

Hoc est exemplar, quod imitari debetis, filii, ut injurias patienter feratis, et remittatis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Bibite Mecum calicem improperii datum a Me vobis in mensura: et opiniones hominum pro nihilo ducite.

Quid interest, si vani homines male de vobis sentiant aut loquantur?

Numquid propterea delebo vos de libro vitae, et honoribus aeternis exspoliabo?

Si hominum contemptum Mecum hilari vultu feratis, filii Mei, nomen vestrum requiretur a generatione in generationem, laudesque vestras suavissime pronuntiabit Ecclesia.

Et Ego in generatione, cum venero in majestate, celebrabo clarissimas victorias vestras.

Caput XII.

Monet patientiam internae desolationis.

Super flumina Babylonis, in captivitate dura, longe a dulcissima Jerusalem, civitate vestra, sedetis, filii Mei.

Quocirca ipsa exilii vestri ratio postulat, ut internas desolationes patiamini suspirantes ad libertatem

filiorum Dei, qui jam laetantur in Ecclesia magna, quae sursum est.

Neque rationi consonum esset, coelestis patriae privilegia in terrae incolatu habere velle.

Propter quod justi Mei, quos Ego in charitate perpetua dilexi, quamdiu mortali vita vivunt, alternis consolationibus et desolationibus exercentur, ut multiplices coronas acquirant.

Certe Paulus, servus Meus, non erat semper ut Benjamin adolescentulus in mentis excessu, ut in tertio coelo audiret arcana verba, et potaretur torrente voluptatis Meae: Sed frequenter mortificabatur tota die, aestimatus sicut ovis occisionis gravatus supra virtutem, ita ut taederet eum etiam vivere.

Haec est vicissitudo electorum, qui nunc ascendunt usque ad coelos, nunc descendunt usque ad abyssos, et anima eorum desolatione tabescit.

Ex quo apparet, quam male de Me loquantur aliqui servi Mei, qui statim ac ariditate vexantur, omnem patientiam abjiciunt, et murmurant adversum Me.

Nonne omnia tempus habent, et diversum est tempus laetitiae a tempore luctus?

Quem electorum Meorum non exercui, ut viderem, an puro corde sequeretur Me?

Quoties distuli et probavi David, amicum Meum, factum ad exemplar cordis Mei?

Mirabile est servos Meos, qui semel gustarunt suavitatem Meam, tempore derelictionis non laetari, et exultare in Me memores uberum Meorum super vinum.

Absit a vobis, o filii, dejectio et infidelitas haec,

ne sitis ex numero illorum, qui confitentur Mihi tantummodo, cum benefacio eis: sed intima gratitudine, tam desolationem, quam consolationem numerate inter magna beneficia Mea: tam nocte, quam die cantate inaestimabiles misericordias Meas.

Ego novi, quid expediat vobis: nunc vos reficiam ad duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmas in Elim, nunc inter deserti arenas vos sitire patiar, ut quaeratis et diligitatis Me.

Probabo vos filios Meos, et examinabo, sicut examinatur argentum, ex quo formantur vasa electionis ad ministerium templi Mei.

Et postquam vos modico tempore probavero, recordabor vestri, miserans adolescentiam vestram, et laudans fidem et charitatem desponsationis vestrae: quia fidelissime secuti estis Me in deserto ariditatis in terra, quae non seminatur.

Caput XIII.

Docet diversos motus naturae et gratiae.

Considerate vos ipsos, filii Mei, qui, quasi Rebecca, duos populos bellantes in utero uno portatis: ut animales affectus spiritui subjicientes vocemini, et sitis pacifici filii Dei.

Natura quaerit exaltari et ambulare, sicut vanae filiae Sion extento collo ad ostensionem vanitatis suae.

Gratia quaerit humiliari sub potenti manu Dei, et hominibus vilis apparere.

Natura cupit divitias et commoditates, ut inveniat consolationem.

Gratia cupit inopiam et incommoda, renuens in hoc mundo consolari.

Natura quaerit occasiones vane et superflue loquendi, ut hominibus placeat.

Gratia quaerit occasiones tacendi, ut Soli Deo probetur.

Natura desiderat familiaritatem et conversationem hominum.

Gratia desiderat solitudinem et absconditam communicationem Meam.

Natura optat curiosa, et nova semper scire ac invenire.

Gratia optat simplicem et castam eruditionem Meam.

Natura appetit dulcia et lauta convivia.

Gratia requirit vilia pauperum alimenta.

Natura cupit diu vivere: Gratia putat lucrum, cito mori.

Natura odit psalmodiam, vigiliam et orationem.

Gratia laetatur Ecclesiae cantu, nocturnis suspiriis et orationibus.

Ecce, filii, quam longe discrepant natura et gratia! Certe sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltantur viae Meae a viis vestris.

Vos ergo, si desideratis eo ascendere, quo ascendit divina gratia Mea, ut fons aquae salientis in vitam aeternam, motus naturae corruptae reprimite, et legem Spiritus Mei purissimo corde servate.

Exercete gladium spiritus, quod est verbum Dei, et animales affectus viriliter resecate.

Estote, filii, columbae deargentatae, cujus praemia posteriore tempore ventura sunt in pallore auri, quo gratiae merita in regno Meo remunerantur.

Recedite ab aedificatoribus Babel, cujus culmen nunquam pertinget in coelum.

Ego enim descendam, ut videam civitatem et turrim, quam aedificant filii Adam naturae motibus incitati: et confundam linguas et cogitationes eorum oppositas mansuetudini Meae.

Vacate potius, et sine strepitu malleorum aedificate taciti ruinas Jerusalem, quas per gratiam Meam implere desidero.

Dicernite in vobis ipsis, quid gratia suggerat contra naturam, quasi exploratores vigiles turri Libani, quae respicit contra Damascum, urbem inimicam almae civitatis Meae.

Et Ego vos instruam invictae fortitudine militiae Meae; et habebo inter dulcissimos filios Meos.

Caput XIV.

Monet studium et amorem sacrae scripturae.

Doleo vicem sapientum mundi, o filii Mei, quia tanquam multa febre phrenetici, ut sitim sciendi expleant, plurimas hominum doctrinas cum labore et anxietate discunt, et sanctos castosque libros Meos solatio habere nolunt.

Colunt terram sterilem spinas et tribulos germinantem, unde alienatio mentis et stimuli conscientiae nascuntur, et paradisum Eden, ubi crescit arbor scientiae boni et mali, et lignum vitae consurgit, suavissima cultura operari et custodire non curant.

Quid sibi vult amentia haec?

Quid quaerunt imitatores Cain profugi et vagi in terra aliena?

Currunt atque discurrunt per humanas disciplinas, et evolvunt multa volumina, in quibus nulla fit mentio Mei, quasi non audierint Jesum Christum, Dei virtutem, et sapientiam esse, et scriptura sancta spiritum vitae contineri.

Mirum est hoc, homines christianos, qui noverunt, ubi sapientia inveniatur, et qui sit locus intelligentiae, scholam Meam deserere, quam reges et Prophetae cupierunt.

Vos autem, filii, qui de spiritu vitali Meo vivere, et tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum in tempore suo reddere desideratis, miti corde legite, et meditamini fidelia testimonia Mea; quorum declaratio intellectum dat parvulis et simplicibus, cum quibus est secreta sermocinatio Mea.

Quaerite suppliciter, et invenietis: pulsate constanter, et aperietur vobis sensus ad capienda melle dulciora, et mundo altiora eloquia Mea.

Postulate in fide, nihil haesitantes de infinita bonitate et suavitate Mea.

Clamate ad Me, et exaudiam vos, et ostendam vobis grandia et firma, quae ignoratis; replebitque scientia Mea pectora vestra: Et apparebit vobis formosissima lux e coelo, qua suspendemini admirantes altissimam sapientiam castitate et simplicitate sermonis Mei velatam, ut mundis corde et humilibus reveletur.

Ingrediemini in absconditos sensus spiritus Mei, qui scrutatur profunda Dei: et egrediemini pinguiores, quam antea, a pascuis dulcissimae sapientiae, quam e puteo alto Mei cordis haurietis.

Caput XV.

Hortatur ad quaerendum magistrum vitae spiritualis.

Ne innitamini prudentiae vestrae, filii, quamvis multa didiceritis: Sed imitamini sponsam Meam innixam super dilectum suum.

Multos seduxit nimia aestimatio sui, ita ut altum saperent, nec dignarentur senum et expertorum judicium sequi.

Justi vero et mites corde, nihil sibi fidentes, multa sollicitudine quaerunt magistros, non prurientes auribus, sed qui vel corripiant et increpent in misericordia, vel instruant in spiritu lenitatis, juxta regulas absconditae sapientiae Meae, quam omnes de se presumentes ignorant.

Propter hoc, filii, qui erratis ab utero, ne placeatis vobis ipsis in ea scientia, quam in scholis fortasse comparastis: sed statim, ac Mihi servire incipietis, extimate vos indigere, ut doceamini, quae sint prima elementa exordii sermonum Dei: et in hac sententia perseverate.

Opinentur alii, quod volent et se sapientes esse confidant: Vos autem propriae cognitioni studentes recordamini patris vestri primi Adam, qui, cum in honore esset, non intellexit, et ad secundum Adam, Qui est Dei virtus et sapientia, humiliter recurrite.

Et Ego per servos Meos, quos illuminavi splendore sapientiae Meae, docebo vos viam prudentiae, ut super omnes mundi doctores intelligatis.

Ostendam vobis, ubi cubem in meridie: ne vagemini post greges sodalium Meorum, qui personam Meam fingunt, sed non mores Meos repraesentant.

Deduco vos per vias rectas, et a longe ostendam vobis regnum altissimi Patris Mei: ut sciatis a viae principio, quo dirigenda sint primogenita desideria vestra.

Non relinquam hominem nocere vobis, sub salutari umbra alarum Mearum, per desertum vitae mortalis ambulantibus: et ero vobis Me ductorem sequentibus sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans.

Haec est lex fidelitatis Meae, ut nunquam deseram humiles corde, qui voluntatem Meam de servorum Meorum ore requirunt: et eo ipso, quod sibi diffidentes alieno judicio subduntur, facilius et brevius eos ad perfectionem christianam inaestimabili lucro et intima consolatione perducam.

Hanc igitur instructionem Meam, filii, studiosissime arripite, et suavissimae disciplinae Meae honestatem et securitatem amate.

Caput XVI.

Ostendit discrimen vitae justorum et impiorum.

Ego quos amo, castigo, et tanquam aurum in fornace tribulationis probo, vasa enim electionis sunt, quae igne examinantur.

Respicite servos Meos, quibus dedi potum in lacrymis in mensura, et videbitis illos novissimos tanquam morti destinatos, e quibus alii ludibria et verbera experti, alii vincula et carceres passi, alii per medium secti, et in occisione gladii mortui sunt.

Alii fugientes de civitate in civitatem, alii in solitudinibus errantes, alii in maris insulis absconditi,

ostenderunt se peregrinos esse super terram, ut haereditatem filiorum Dei in coelo possiderent.

Quod si Ego interdum non reliqui virgam peccatorum super sortem justorum, ne electi Mei tribulationis magnitudine superati extenderent ad iniquitatem manus suas; non ideo putare debetis, Me nolle electos Meos laboribus et angustiis exerceri.

Stulta enim cogitatio est haec: neque decet infinitam bonitatem Meam, servos Meos dilectissimos tot coronis privare, et gloriam Meam diminuere.

Certe quo chariores Mihi sunt, eo gravius eos tentari permitto, et velut iratus repello, sicut repuli Israel, servum Meum, semen Abraham, amici Mei.

Quod adeo verum est, ut non solum eos tentari sinam, sed et Ego tentem eos, ut virtus tentata resplendeat et respondeat victoribus Meis cras justitia Mea.

Haec est nota justorum: ut ducant vitam amaritudine plenam, et inebrientur absynthio, qui bibituri sunt vinum dulcissimum in regno Patris Mei.

Peccatorum vero vita contraria est.

Ipsi enim, quorum spes in terra posita est, in labore justorum hominum non sunt, et cum hominibus piis non flagellantur.

Non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor dolentium in domibus eorum.

Oves eorum foetosae, abundantes in partubus suis: boves eorum crassae.

Omnia eis ad nutum succedere videntur, et vana laetitia filii eorum exultant.

Haec est pars impiorum, qui servantur ad poenam.

Haec sunt vasa irae apta ad interitum, quae sustineo in multa patientia: ut ostendam divitias gloriae Meae in vasa misericordiae, quae Pater Meus praeparavit in gloriam.

Propter quod moneo vos, filii Mei, ut gloriemini in tribulationibus, tanquam in salutis aeternae signis, scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem, spes autem adoptionis filiorum Dei non confundit, sed exhilarat conscientiam, et generat fortitudinem ad viam mandatorum cum exultatione currendam.

Currite ergo, filii, per dolores et sudores: ut labores manuum vestrarum suavissimo sapore plenos in regno Meo manducetis.

Caput XVII.

Describit mortem justi.

Ecce quomodo moritur justus, et nemo considerat, cum consideratio et suavis valde, et ad convertendas animas efficax sit.

Certe justus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit, non solum postquam intraverit in gaudium Domini sui, sed etiam in ipso transitu mortis, quae est ultima rerum terribilium.

Cum enim ipse mortem bene vivendo superaverit, non tanget illum tormentum mortis, licet videatur oculis insipientium mori.

Tunc quippe, postquam hiems transiit, imber abiit et recessit, ver novum aeternae consolationis incipit apparere: et dum auditui ejus per bonum nuntium,

Ego do gaudium et laetitiam, exultant ossa tam diu humiliata, et vehementer concupiscit in atria Mea.

Tunc videt, quam bona fuerit negotiatio ejus, et laetatur super bona opera sua, sicut qui invenit spolia multa.

Tunc sentit, quam vera fuerit vox, quam audivit Joannes, servus Meus, de coelo dicentem sibi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: et ex intimis medullis exultat cum iis, qui ad coenam Agni vocati sunt.

Tunc animae laboribus et tentationibus probatae, atque repulsae loquor ad cor dulcissime et amantissime dicens: Surge, propera, amica Mea, columba Mea, et veni.

Jam satis pugnatum est in terra inimicorum: Veni, jam coronaberis et possidebis, Quem diu desiderasti.

De torrente laborum bibisti in via: propterea exaltabis caput et omnem terram solidissimam, quam conspicies, tibi dabo.

Modicum laborasti atque flevisti: in aeternum requiesces atque ridebis.

Jam transierunt nubila vitae laboriosae atque sollicitae, respice serenitatem coeli et candidissimam lucem apparentem tibi.

Ne formides a facie inimicorum obsidentium te, quia Ego tecum sum, ut liberem a tauris pinguibus sponsam Meam.

Egredere jam de carcere corporis, ubi tam diu inclusa fuisti, ut fruaris pretiosissima libertate civitatis Meae.

Veni, vestieris purpura et abysso, filia Sion, quae prudentiam justorum didicisti et omnem ornatum saeculi contempsisti propter Me.

Diligo te, sponsa, sicut animam Meam: ne timeas, quia ab aeterno amavi, et elegi te.

Veni dulcissima electa Mea, et ponam in te regium thronum et deliciosissimum reclinatorium Meum; concupivi enim Ego Rex Pacificus suavissimum decorem tuum.

In hunc modum, filii Mei, recipio in pace venientem de militia animam justi, quasi charissimam praedam Meam.

Cogitate vos hujus consolationis magnitudinem, et per bona opera vitae ad bonam et beatam mortem properate.

Omnes, quantumvis peccatores, bene mori vellent, sicut infelix Balaam, dicentes: Moriatur anima Mea morte justorum, et fiant novissima Mea horum similia.

Sed non erit bene in extremis iis, qui optant extrema justorum, et non curant observare principia.

Sequimini Me, dum vivitis, o filii, et Ego vos morientes, ut fidelissimus adjutor in opportunitatibus, visitabo.

Caput XVIII.

Describit mortem peccatoris.

Existimant homines peccatores, Me peregre profectum nunquam rediturum, ut ponam rationem cum eis.

Stulta nimis est persuasio haec, cum statutum sit omnibus hominibus semel mori.

Cito veniam reddere unicuique secundum opera ejus: et sicut nullum opus pietatis sine praemio relinquam, ita nihil impietatis inultum remanebit.

Veniet nox, in qua nemo potest operari, quando jubebo ministris Meis, ut servum nequam, crudelem in conservos suos, et ingratum innumerabilibus misericordiis Meis, mittant in tenebras exteriores.

Vae impio in malum!

Vae horae illi extremae, in qua peccatoris anima adultera in umbram mortis et horrorem sempiternum praecipitabitur!

Erat in terra defixa, ubi capiebat prohibita solatia sua, immemor angustiae superventurae: et avellitur de tabernaculo suo fiducia ejus, et calcat super eam, quasi rex, interritus.

Tunc dicit illi cor suum immenso pondere iniquitatis oppressum: Vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Deum tuum, et non fuisse timorem Ejus apud te.

Jam non superest locus poenitentiae, et peccata tua, terroresque Dei militant contra te.

Quid profuit tibi jactantia et color mundanae gloriae, quam quaesisti?

Ecce omnis voluptas tua in amaritudinem versa est; et devorat pulchritudinem cutis tuae primogenita peccati mors.

Respice canes multos latrantes et rabie incitatos, qui te circumstant, ut te praedam suam inferorum faucibus detrudant.

Haec et similia suggerit cor hominis injusti male morientis: qui antequam exspiret, cruciatum inferni in ipso lecto praesentit.

Et Ego aequissimus judex impio morienti sic respondeo: Stulte egisti, infelix homo, cum recessisti a Me.

Multiplicasti delicta, quasi nunquam moriturus, nemo nunc eripiet te de manu Mea.

Quando videbas furem, et currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas: quando os tuum

adversus innocentes abundabat malitia, et lingua tua concinnabat dolos, Ego patienter sustinebam, ut te longanimitate Mea ad poenitentiam provocarem.

Tu vero odisti disciplinam Meam, et projecisti sermones et inspirationes Meas retrorsum: et secundum duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizasti tibi iram in diem irae, et justi judicii Mei.

Recurre nunc in angustia mortis ad Deos tuos, in quibus habebas fiduciam.

Surgant, et opitulentur tibi, et in necessitate te protegant.

Hoc est judicium et sors hominis extra gratiam Meam morientis, qui sua impietate constringitur et damnatur.

Quocirca qui habet aures audiendi audiat, et tanquam reus ingemiscat, ut Me quasi judicem in vita sustinens, in agone mortis quasi clementissimum patrem inveniat.

Caput XIX.

Hortatur Jesus Christus ad considerationem vitae Suae.

Desolatione desolata est omnis terra, o filii, quia nullus est, qui recogitet corde, et consideret opera Mea, quibus saxa moventur.

Certe Christiani omnes totius vitae Meae exempla deberent attente meditari; ut prudentiam justorum ediscerent, et viam civitatis supernae invenirent in loco horroris et vastae solitudinis. Sed praeter paucos absconditos et abjectos servos Meos, qui in toto corde suo exquirunt Me, vix invenitur, qui delectetur consideratione vitae et operum Meorum, in quibus lucet

candidissima misericordia Mea. Illi vero pauci servi Mei, quibus dulcescit meditatio Mea, sive pueri, sive juvenes, sive senes sint, enituntur providere Me semper in conspectu suo: ut faciant omnia opera sua secundum exemplar, quod in monte perfectionis eis monstratum est.

Audierunt, decrevisse aeternum Patrem Meum electos Suos, quos praescivit et praedestinavit, conformes fieri imagini filii Sui, ut sim Ego primogenitus in multis fratribus: et tota fortitudine sua conantur honestissimam formam Meam imprimere visceribus suis.

Beati certe sunt hi amici Mei, qui non sola consideratione, sed imitatione quoque in seipsis repraesentant innocentissimam vitam Meam.

Propter quod, filii Mei, estote sapientes, et hunc librum vitae statis horis legite atque relegite.

Haec sit perennis exercitatio vestra omnibus doctrinis altior, et omni thesauro pretiosior: quae ad omnem eventum confirmabit humilia et casta corda vestra.

Legant alii curiosas vel vanas terrenorum regum historias, e quibus occasionem suae vanitatis et damnationis eliciunt: Vos vero avidissime studeatis historiae Meae, quae mites animos et aeterna salutis desideria creat.

Et Ego piis affectibus vestris misericorditer respondebo: et extincto mundi desiderio traho vos in funiculis humanitatis Meae, ut dum visibiliter Me cognoscitis, praesentissimo auxilio Meo in rerum invisibilium amorem rapiamini: et de suavissima consideratione vitae Meae in divinitatis notitiam, ubi fons aeternae consolationis manat, ascendatis.

Caput XX.

Monet contemplationem divinarum perfectionum.

Beati mundo corde, quoniam ipsi in coelesti patria Deum clare videbunt, et in vita quoque mortali formosa valde luce Mea illustrabuntur, ut quod majus omnibus est, purgato mentis oculo cognoscant.

Haec est pars magna sapientiae justorum, qui respuentes omnem mundi sollicitudinem, inaestimabili suavitate spectacula aeterna et invisibilia contemplantur; ut ad infinitam bonitatem ac pulchritudinem Meam bene affecti omnem gloriam hominum despiciant, et ex toto corde Me diligant.

Haec est prudentia, quam fortissimi milites Mei abnegatione sui, et elevatione mentis supra omne, quod videri potest, compararunt.

Hic est thesaurus absconditus, quem qui invenit homo, vadit, et prae gaudio illius vendit omnia, quae habet, donatque pauperibus, et promptissima voluntate sequitur Me.

Propter quod, filii Mei, si desideratis cognoscere et Me, et clementissimum Patrem Meum, abjicite curas alias, et a finibus Tyri et Sidonis, ubi auditur strepitus negotiatorum mundi, ad montem Visionis cito recedite.

Scitote, quia non habitat bonum in carne vestra; et proinde ab ea quoque discedite, et sensuum officia parce permittite: ut ad verticem Phasga erectione cordis ascendentes, exploretis a longe terram aeternae promissionis, ubi gustatur fructus paradisi Mei.

Surgite super vos ipsos, et quantum fert humana fragilitas, oculos mentis in candore lucis aeternae figite.

Contemplamini infinitam majestatem et suavissimam pulchritudinem formae Dei, quam, postquam probati fueritis, visuri estis.

Aperite penetralia cordis et viscera vestra ad potum aquae purissimae, e fonte vivo manantis, dilatate.

Ego vos in summitate Horeb erudiam, et per intervalla fessos recreabo: ut discatis, quia melior est dies una, vel etiam hora una in atriis Meis super millia.

Ardebunt coram Me corda vestra, quasi lampades ignis atque flammarum: et fortissimus amor Meus vincet fragilitatem vestram.

Scio, quia, ut olim Jacob, servus Meus, cui fuit nomen Israel, strictissimo amplexu tenebitis Me, neque recedetis, donec dulcissima benedictione Mea roboremini.

Huc, filii Mei, per labores et agones aspirate: et extensis brachiis desideriorum ad suavissimae Sionis altitudinem per arctam viam ascendite.

Caput XXI.

Hortatur ad pacem cordis quaerendam.

Beati pacifici, quoniam dulcissimo nomine et inaestimabili consolatione filii Dei vocabuntur: neque vane vocabuntur, quia per adoptionem infinita consolatione plenam tales erunt.

Omnia in eis pacifica sunt: quia et anima, et corpus convenerunt in unum, et omnia pro captu suo sitiunt ad Deum, fontem vivum.

Haec est pax pretiosissima, quam dedi, et fidelissimo testamento reliqui discipulis Meis, quos mundus odit, et tanquam hostes suos persecutus est.

Haec est pax, cui electi Mei gaudent in coelo, et pauci aliquot iu terra: quia conversatio eorum in coelis est, et thesauros suos in coelo condiderunt.

Pax haec tam longe est a filiis hujus saeculi, quam longe est a peccatoribus salus.

Non enim est pax impiis, quamvis illam sollicite requirant, dum illicita desideria sua explere conantur.

Pax vera justorum privilegium est; quia unice diligunt immaculatam legem Meam, et non est illis scandalum.

Ego Rex Pacificus, Cui tributa reddunt omnia corda nobilia in coelo et in terra, auctor sum pacis hujus, quam mundus non cognovit.

Abyssus saeculi dicit: Non est in me, et mare negotiorum mundi loquitur: Non est mecum.

Perditio inferni et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam Ejus.

Certe beati sunt, qui pace Mea fruuntur, quae superat omnem sensum et omnes mundi honores, divitias et voluptates.

Vos ergo, filii, inquirite pacem hanc, et persequemini eam: contemnite omnes thesauros regum terrenorum, et omnes negotiationes filiorum Agar; ut ad eam pervenire possitis.

Humilitatem et mansuetudinem Meam discite, ne pertubemini variis eventibus rerum: et Ego, Qui humilia corda nunquam despexi, postquam vos probavero, ita ut navis vestra pene mergatur fluctibus, imperabo ventis passionum et tentationum, ut requiescant: et fiet tranquillitas adeo magna, ut admi-

remini dicentes: Quam bonus et potens est Altissimi Filius, quia mare et venti obediunt Ei?

Si vestra non curetis, sed in Me omnem sollicitudinem projiciatis, dabo vobis, dilectis Meis, somnum cum vigilia cordis bene cohaerentem: ut inter mundanas varietates secure quiescatis habentes ibi fixa corda, ubi vera sunt gaudia.

Diligite Me totis visceribus, et praeter Me neque vitam, neque mortem, neque honorem, neque infamiam aestimate, et orietur intra vos justitia et abundantia pacis, donec a sua varietate auferatur luna.

Haec est haereditas filiorum Dei.

Hae sunt opes regum, qui Mecum sine fine regnaturi sunt: quas praeparavi humillimis et mansuetissimis electis Meis in sancta civitate Mea.

Caput XXII.

Hortatur ad gratiam humiliter occultandam.

Filii, fugite vanam ostentationem gratiae Meae, neque narretis cum jactantia quasi gratias agentes, quod jejunetis bis in sabbato, et opera bona faciatis.

Vae illis, qui pleni sunt sermonibus, quos coarctat spiritus uteri sui: quorum venter est, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.

Hae virgines fatuae non diu habebunt oleum devotionis, et spiritualis laetitiae in vasis cordium, secretum Meum custodire nolentium.

Melius consilium est, gratiam Meam humilitatis pallio tegere, et in abscondito laetari Mecum, in secreta voce

exultationis et confessionis, qua conservatur et crescit misericordia Mea.

Cavete singularitatem, qui simul vivitis, et communes actus, sine affectione et signis novitatis frequentate.

Estote unanimes in domo Mea, quae similitudine actuum exteriorum et aequalitate decoratur.

Castra Dei sunt haec, et tentoria Israel pulchra et ordinata: ne praetereatis ordinem, ut prae aliis appareatis.

Certe si ambulaveritis in magnis et in mirabilibus super vos: sicut puer ablactus jacet tristis in genibus matris suae; sic et vos privati dulcissimo lacte devotionis decumbetis in gremio Ecclesiae, genitricis vestrae ac sponsae Meae.

Haec est enim justa retributio vanae et singularis ostentationis eorum, qui conservare nesciunt suavissimum manna Meum.

Intelligite, quae dico, filii, ne fiant corda vestra, sicut uter in pruina, qui humore siccato, gelu constringitur: et efficiamini inepti ad requirendam faciem Meam.

Beatus vir, qui semper est pavidus, etiam cum abundat consolatione Mea: ipse enim per gratiam Meam augebit incrementa frugum justitiae et laetitiae, quae bonae conscientiae testimonium est.

Filii, in terra inimicorum et latronum habitatis; ne portetis thesauros publice in via; sed studiosissime abscondite illos, et coram solo Patre Meo merita vestra multiplicate.

Et clementissimus Pater Meus, qui videt in abscondito, reddet vobis coronas immortales infinita conso-

latione plenas: quae aestimatione Mea omnem mundi gloriam et opulentiam superabunt.

Haec sit prudentia vestra, qua mundi sapientes seducatis, ut seductores et veraces: sicut qui ignoti et Mihi cogniti: sicut nihil habentes, et in sacrario cordis clauso omne bonum possidentes: et gratia Mea pleni ad beatissimam lucem gloriae festinantes.

Caput XXIII.

Ostendit in nullo bono esse gloriandum.

Considerate, filii, misericordias Meas, quae confitentur Mihi et mirabilia Mea, quae feci filiis hominum.

Omne donum quantumvis parvum, aut magnum, desursum est, descendens a Patre luminum, Qui gratis vocavit vos in admirabile lumen Suum.

Non enim vos prius dilexistis Eum, sed Ipse prior amore fidelissimo dilexit vos, et coelesti gratia Sua praevenit vos, et circumcidit praeputium cordis vestri, ut diligeritis Eum totis affectibus et viribus.

Et Ego Unigenitus Filius Ejus dedi vobis potestatem, filios Dei pretiosissima adoptione fieri, non exspectans a vobis praeveniri.

Non enim vos Me elegistis, sed Ego gratuito elegi vos, ante mundi constitutionem: ut essetis sancti et immaculati consortes infinitae justitiae et puritatis Meae.

Gratia Mea estis, quidquid estis; et nihil habetis, quod a dulcissimo Deo, fratre et amico vestro, non acceperitis: et per Me habetis accessum ad aeternum Patrem Meum: a Quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur, et omnis pius affectus originem trahit.

Per Me non ardetis jam igne sempiterno, quem meruistis; et per Me habetis spem incedentem usque ad interiora Dei, quam Ego impressi visceribus vestris.

Per Me a gratia, in qua statis, non excidistis; et versa non est in luctum inaestimabilis laetitia vestra.

Cum ergo sine Me nihil possitis facere, et ne unam piam cogitationem habere valeatis: cavete, ne bonis operibus, quae ex gratia Mea facitis, exaltemini, et vane vobis tribuatis altissimam gloriam Meam.

Cogitate, quid de se senserint charissimi amici Mei, quorum memoria glorificor et delector.

Certe Abraham, servus Meus, cui peculiarius amicitiae signum dedi, vix de se aliud aestimavit, quam quod esset pulvis et cinis.

David vero, electus Meus, ex humili loco vocatus parvulus fuit in oculis suis: neque unquam sibi tribuit misericordias Meas, quas in organis laetitiae die nocteque cantavit.

Ne furemini laudem Meam: sed laudis hostias super altaria cordium in simplicitate multa sacrificate.

Agnoscite, quid ex vobis sitis, filii Adae, et adoptionem filiorum Dei castis oculis, et puris manibus celebrate.

Et placebit Mihi sacrificium laudis, sicut dies saeculi, et sicut anni antiqui, quando pauci illi famosi amici Mei toto corde quaesierunt faciem Meam, et recensebo vos inter majores natu electissimi populi Mei.

Caput XXIV.

Docet, vitam hanc esse justorum exilium.

Ex quo peccavit Adam, pater vester, filii charissimi, et male usus est amoenissimo paradiso, in quo posui eum, ut operaretur et custodiret illum, coepit ipse cum filiis suis exul esse, et in regionem longinquam proficisci.

Sed regionem hanc laboribus et angustiis plenam peccatores, quasi patriam suam diligunt: et corda sua terrae affigentes, requiem et diuturnam habitationem in exilio requirunt.

Justi vero et electi Mei, scientes se in terra aliena, ob peccati poenam, habitare, multis lacrymis et suspiriis lamentantur adversam sortem suam: et organa laetitiae e salicibus Babylonis suspendentes, nullam consolationem admittunt.

Sunt similes Joseph, servo Meo, quando descendit in Aegyptum, et amico Meo Jacob, quando fuit accola in terra Cham.

Barbara et inhumana est generatio Adae justis Meis, quorum lingua quasi peregrina in mundo non intelligitur.

Exercentur dura servitute tanquam homines nati ad laborem: neque calicem aquae frigidae gratis inveniunt.

Vultus et habitus et mores longe diversi sunt a filiis hujus saeculi sponte in terra viventibus, qui servitute delectantur.

Propter quod ingemiscunt gravati, dolentes maxime, quia incolatus nimis prolongatus est.

Clamant ad Me quotidie, quasi pulli corvorum,

vagantes, eo quod non habeant cibos: et sicut mercenarii exspectantes finem operis sui.

Exspectant lucem, et non vident, neque ortum surgentis aurorae, eo quod saeculi noctem tenebrosus turbo possidet, ut diutius exerceantur et considerent, quam infelix sit conditio derelinquentium Me: et suspirent ad dulcissimam patriam et charissimam libertatem suam.

Beati, qui se exules esse cognoscunt, et magnificas domos in terra non sua aedificare nolunt: quia coelestem sapientiam hanc ad discernendum et judicandum caro et sanguis non revelavit eis, sed altissimus Pater Meus et suus, Qui in coelis est.

Non adhaerebit terrae cor illorum, neque spem suam in principibus ponent.

In curribus et equis non confident: neque dicent obrizo: fiducia Mea es.

Non erunt tributarii Pharaonis: neque solatia parum casta sequentur.

Vos igitur, filii, haec attendentes, futuram inquirite civitatem, et Chananaeorum regum consortia atque palatia diligentissime vitate.

Operi quippe et labori vestro merces magna reposita est.

Caput XXV.

Hortatur ad fervens desiderium summi boni.

Omnia sub sole transeunt, charissimi filii, et cor hominis infiniti boni capax sedare non possunt.

Solus Ego, Qui sum ipsum bonum infinitum, cor hominis explere valeo, quod per divinam fidem Meam didicistis.

Experientia quoque sollicitudinis, quam patimini, convincit vos: quia nunquam, cor vestrum in quantalibet affluentia dicit, satis est: quamvis omnia mundi bona utilia, et honorifica, et delectabilia possideatis.

Attendite reges terrae semper inquietos, et meliora bona sollicite quaerentes, et audite jam disciplinam Meam.

Rex erat fidelissimus servus Meus David, et oblitus regni sui, ardentissime canebat: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Deus.

Neque unquam sitis illa sedata est, donec operatus sum salutem in medio terrae, et in candidissima luce gloriae palam apparui Ei.

Quod ille bene novit, quando firmissima spe laetus cantavit:

Satiabor, cum apparuerit gloria Tua.

Quid ergo quaeritis, filii? Quo tenditis per varia desideria?

Audi, Israel, dulcissima verba vitae: dirige ad Me vota tua, et dilata os tuum, et implebo illud.

Aperite Mihi sinus intimos et latebras viscerum vestrorum: et aperiam Ego vobis venam fontis vivi, ut sine taedio satiemini.

Ne suscipiatis fictam mundi redemptionem, ut meliorem, quam Ego promisi vobis, inveniatis resurrectionem.

Ne quaeratis in lectulo humanae commoditatis, Quem diligit anima vestra: sed surgite velociter et ferventissimis desideriis atque gemitibus ad fertilissimam regionem vivorum suspirate.

Estote viri fortes, et coadunatis animae viribus ad

serenissimam faciem Meam, et ad castissimos amplexus Meos fortissime properate.

Numquid non est aequum, ut abjectis curis aliis anima vestra desideret Me in nocte, et spiritu vestro in praecordiis vestris sollicitudine amoris anhelantibus, de mane vigiletis ad Me, ut saturemini fruitione infinita bonitatis et decoris Mei?

Ascendite non passibus, sed igneis affectibus ad conspectum dulcissimae pulchritudinis Meae, qua tota civitas primogenitorum exhilaratur, et validissime concupiscite suavissimam formam Dei.

Filii Sion electi, erigite sursum corda; et regem vestrum Salomonem in omni gloria sua decore coronatum, cujus vultum filiae Tyri in muneribus deprecantur, flagrantissime desiderate, legem membrorum adversantem legi mentis amando vincite, et supergredientes omne, quod creatum est, in pulchritudinem increatam, et lucem formosissimam deficite.

Et respondebo Ego purissimis affectibus vestris, et odorabor odorem suavitatis ascendentem ex ara cordis vestri, in amplissimis atriis domus Domini, in medio triumphantis, et super mel dulcissimae Jerusalem.

PARS IV.

Quae continet alia monita communia, et alia ad status diversos pertinentia.

Caput I.

Monet Jesus Christus, omnia oblivioni tradere, ut sola Dei memoria remaneat.

Beati, qui scrutantur attentissime testimonia clementissimi Patris Mei: et in toto corde exquirunt Eum.

Sepositis enim negotiis aliis, quae charitas, vel justitia, vel obedientia non requirit, in lege dulcissimi et aeterni testamenti Mei meditantur dies ac noctes: et spirituales hostias pacificas semper Mihi puro corde sacrificant.

Cor eorum et cogitatio apud Altissimum, in Cujus conspectu, per vigiliam charitatis, jugiter versantur: et timent ab Eo seperari, sicut mors timeri solet.

Cognoverunt enim, quia vita in voluntate Ejus, et ira in indignatione Ejus: et propterea per dies atque noctes studiosissime cogitant, quomodo possint placere Illi: et diligentissime vitant, quicquid oculos tantae majestatis offendit.

In justificationibus Ejus mediantur, neque unquam obliviscantur sermones Ejus.

Ego sapientia una cum Patre Meo cuncta componens et ducens unamquamque creaturam ad terminos suos, dilexi vos Adae filios, et de unoquoque singulatim cogitavi, stans super cujusque custodiam, ac si caeterorum oblita Illi Soli intendere velim.

Et dum assumpsi naturam hominis, omnia opera

Mea, passionem ac mortem Meam ad unumquemque direxi, ut in Ecclesia magna quilibet per Me redemptus cantet omnes fideles et antiquas misericordias Meas.

Totus Ego Rex pacificus, non ex operibus justitiae, quae fecistis vos, sed secundum suavissimam bonitatem et clementiam Meam, factus sum singulis vestrum, quasi nutrix fovens filios suos: neque sollicitum pro vobis cor Meum a singulorum cura aliorum cura divertit.

Si ergo Ego tam intentus singulis sum, cum bonorum vestrorum non egeam, et vos debetis totis visceribus Mihi praecordia vestra consecrare, Me semper meditari atque diligere, cum sine Me nihil esse, aut operari valeatis.

Expandite manus et viscera vestra ad Me, cum sit anima vestra sicut terra sine aqua Mihi, et Ego foecundabo illam, ut laetetur gemellis amoris foetibus et sterilitas recedat ab ea.

Nihil ei, dum Mihi vacat, deesse poterit: dabo illi regiones gentium et labores populorum sine labore possidebit, ut custodiat justificationes Meas: et legem Meam plenam dulcedine et dilectione requirat.

Certe sancti Mei, qui omnia detrimentum fecerunt, ut Me lucrifacerent, summo studio divinam praesentiam ante negotia, et lucra omnia ponere et servare curarunt; et hoc uno negotio tranquillissimo, quasi patrimonio suo, intime laetati sunt: et exultarunt, sicut exultare solent in virentibus pratis agni ovium.

Filii, concupiscite solum decorem Meum, et memoriam Mei, omnium honorum matrem, quasi aurum purissimum custodite: et Ego vos in omni adversitate fidelissime custodiam.

Caput II.

Conqueritur de oblivione Dei.

Quid est, quod dilectus populus Meus in domo Mea fecit scelera multa, et oblitus est Mei, quasi Ego morte ignominiosa et dolore plena non redemissem eum?

Ego nihil praetermisi, quod ad salutem et consolationem populi christiani pertineret.

Illi enim destinavi supremas misericordias Meas; quibus ferae mansuescerent.

Ejus sunt fidelissima promissa Mea, testamentum et legislatio coelestis gratiae Meae: et mitissimo corde cum populo acquisitionis versor, quasi ludens tn orbe terrarum, ut inspirationibus, et gratuitis donis Meis corda dura emolliam, et vescer dulcissimo fructu sanguinis Mei.

Et tamen populus Meus oblitus est Mei diebus innumeris.

Neque solum pauperes, et ignari, et optimates, qui negotiis saecularibus oppressi quasi gigantes gemunt sub aquis, Mei non recordantur, sed ipsi etiam Ecclesiastici, qui profitentur, se nosse Deum, et quasi Nazaraei, se totos Mihi consecrarunt, Mei memoriam parum curantes, ad studia saecularia, et ludos, et venationes, ad hortorum culturam et avaritiae negotiationem convertuntur.

Quae perversio et duritia cordis est haec?

Quare, filii Mei, sequimini deos alienos, qui decipiunt et corrumpunt animas vestras?

Usquequo lugebit terra, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt Me?

Convertimini jam, filii charissimi, et afferte Mihi

gloriam et honorem: continuis spiritualium hostiarum oblationibus et cordis ascensionibus faciem Meam cito requirite.

Sumite psalmum laudum Mearum, et pulsate tympanum ad perenne canticum gratiarum actionis celebrandum.

Pergite exercere psalterium jucundum cum cithara, ad canendam totis viribus magnitudinem misericordiae Meae.

Considerate et admiramini vias Meas, et in adinventioninus Meis exercemini.

Delectamini in factura Mea et in operibus manuum Mearum, cum populo, qui scit jubilationem, exultate.

Et experientia cognoscetis, quam suavis et salutaris sit memoria Mea, et quam tristis et mortalis oblivio Mei.

Decernite ex tota fortitudine vestra memores esse Mei de terra Jordanis, cujus aquis abluti et sanctificati estis: et imaginem formae Meae intimis visceribus imprimite.

Et Ego pergam vobis benefacere, et secundum magnam et admirabilem misericordiam Meam recordabor vestri, et vocabo vos ad aeternam haereditatem felicissimi regni Mei.

Caput III.

Dolet super Ecclesiasticis.

Quomodo obtexit caligine in furore Suo Dominus filiam Sion, dilectam sponsam Meam, peccatis Ecclesiasticorum denigratam?

Praecipitavit omnia speciosa Jacob propter scelera filiorum Meorum, quorum culpa egressus est a filia Sion omnis decor ejus: quia nobilior et formosior Ecclesiae Meae pars graviter deformata est.

Sanctitas illa antiqua Ecclesiasticorum cum Ecclesia nascente nascentium, et sine fastu et astutiis saeculi, simplici ac fideli corde, in domo Mea ministrantium extincta est.

Video Ego gentes ingressas sanctuarium, de quibus praeceperat altissimus Pater Meus, ne intrarent in Ecclesiam Suam.

Gentilium peccata, ambitio, avaritia, incontinentia in Ecclesiasticos transierunt: qui facti sunt velut tauri pingues per prata sine timore currentes.

Propter quod magna ex parte dissipavit Pater Meus tentorium Suum: demolitus est tabernaculum mansionis Suae, et oblivioni tradidit festivitatem et Sabbatum.

Polluta sunt manus eorum, qui exercent vasa Domini, quorum calendas et solennitates odivit anima Mea.

Quid est hoc? Populus primogenitus Meus, qui deberet esse gloria et fortitudo Mea, est principium doloris Mei.

Jam non est exemplum vitae, quo plebi parvula instruitur ad pietatem, et animatur ad gradiendum per viam, quae ducit ad vitam.

Vae genti consecratae, quae in commotionem capitis versa est.

Omnes, qui bene considerant, obstupescunt, et dicunt: Haeccine est gens perfecti decoris, gaudium universae terrae?

Debuerat quotidiano sacrificio et dulcissimo Ecclesiae cantu ad pietatem inflammari et lapidea corda saecularium exemplo suo movere: et tamen alienata est retrorsum, et mercede conducta, non pura intentione Mihi servit.

Revertimini ad cor, filii Mei, et considerate novissima vestra.

Expurgate vetus fermentum Adae, ut sitis nova conspersio ab omni vetusta corruptione aliena.

Epulamini in azymis sinceritatis et veritatis, et primitivae Ecclesiae beatissimàm lucem et formam omni mundi decore amabiliorem intuemini.

Implete mensuram status vestri mundo altioris, et coelorum cives candore lucis aeternae nitentes innocentia vitae sectamini.

Et recondam vos, ut charissimos amicos Meos intra penetralia mitissimi cordis Mei.

Caput IV.

Admonet Episcopos officii Sui.

Pastores multi, quibus commisi curam gregis Mei, demoliti sunt haereditatem Meam, quam Ego a Patre Meo clementissimo postulavi.

Honoravi illos coram populo Meo; ipsi vero contempserunt Me, et ab exemplari suo longe recesserunt.

Secuti sunt doctrinas filiorum hujus saeculi, qui vocaverunt nomina sua in terris suis, non curantes, an eorum nomina scripta essent in coelo.

Bonum opus dicunt, se desiderasse, quia Episcopatum desideraverunt: sed non tenuit eos boni operis desiderium, sed amor reddituum, secundum aestimationem hominum, qui argentum thesaurizant.

Vae pastoribus Israel, qui amore honoris et dignitatis ad praelationem ascenderunt: confitentur, se in statu perfectionis esse, et tamen neque ante honorem

illum christianam perfectionem acquisierunt, neque post obtentam dignitatem, juxta regulam perfectionis vivunt.

Quod abjectum erat, non reducunt, quod infirmum erat, non confirmant: quod fractum erat, non consolidant: quod maculosum erat, non emundant.

Praevaricantur dulcissimam legem Meam, semetipsos ovium velleribus vestientes, oves vero perire pro nihilo aestimantes.

Quid dicam vobis, Ecclesiae viri, quos patior inimicos, sub imagine personae Meae, abutentes magna patientia et misericordia Mea?

Bonas facite jam vias vestras, et juxta cor Meum studia vestra corrigite.

Pascite, amici Mei, gregem Meum verbo et exemplo vitae, forma facti gregis ex animo.

Loquimini ad cor Jerusalem; et parvulos ejus apostolico lacte nutrite, ne forte exalent animas suas in sinu matrum suarum.

Instruite ignorantes viam Domini, dejectos corde roborate, subvenite egeno, et pupillo, humilem et pauperem justificate.

Estote sobrii, casti, hospitales, et scripturae Meae studio intentissime vacate.

Requiescite jam inter medias duorum testamentorum sortes, nova veteribus conciliantes, ad dandam scientiam salutis plebi Meae.

Et deponentes omnem humanum affectum, non ut mercenarii, sed, ut amici fidelissimi, causas sponsae Meae tractate.

Et Ego vobis reddam coronas virides, quae nunquam marcescent: et cum senatoribus supernae civitatis Meae vos duplici stola indutos sedere faciam in felicissimo regno Meo.

Caput V.

Monet fugam praelationis.

Attendite, filii et ministri Ecclesiae Meae, loquor: verba enim a sapientibus mundi abscondita pronuntio.

Ego palam locutus sum mundo, et primos accubitus primasque cathedras recusavi.

Factus sum inter discipulos Meos, tanquam qui ministrat: et fugi Solus in montem, ne turbae Me raperent, et constituerent regem super se.

Ego Deus absconditus et tectus pallio humilitatis et laboris, quo servire Me fecisti in peccatis vestris.

Non Ego clarificavi Me Ipsum, neque honorem aut praelationem Mihi sumpsi; sed clarificavit Me prius percussum et humiliatum Pater Meus, ut ascenderem de abjectione ad honorem, quasi radix de terra sitienti.

Non Ego occupavi regnum, sed vocatus et constitutus sum Rex ab Eo super Sion, montem sanctum Ejus: non ut mollibus vestirer, sed ut praedicarem cum labore suavissimum praeceptum Ejus.

Quocirca, filii, mirabile est, quomodo sine timore Meo, sine propriae infirmitatis cognitione praelationes quaeritis atque requiritis?

Quem magistrum imitamini, filii Mei?

Quomodo non palpitat vobis cor, dum sollicitudine multa per interpositos quoque terrae principes, in qui-

bus non est salus, quaeritis fieri et poni custodes in vineis, qui vineam unicam propriae conscientiae non custodistis?

Qui domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam adhibebit?

Quid dicam vobis, qui vestrae damnationis diligentissimi operatores estis?

Certe sancti Mei, quos praeesse aequum erat, timentes, ne alios salvos facere conantes, ipsi reprobi fierent, praelationem accuratissime fugerunt.

Sciebant enim Saulem, quasi unius anni puerum innocenter regnare coepisse, et regno abutentem in aeternam damnationem incidisse, quamvis principio suae assumptionis non fuisset vir melior illo in Israel.

Honores et dignitates cor inebriant; et a casto timore Dei etiam viros justos avertunt.

Propter quod, filii Mei, gens sancta et uncta oleo sanctificationis Meae, estote humiles in oculis vestris, et praelationem studiosissime cavete.

Profecto in Ecclesia primitiva, quae fervebat calore sanguinis Mei, praelatio et mors comites erant: quia tyranni Episcopos primum ad necem postulabant: et idcirco vanitas honoris et divitiarum pura corda praelatorum a Me non divertebat: nunc vero quando non imminet occasio mortis, et suppetunt honor et commoditas, timoratae conscientiae praelationem diligentius vitare deberent.

Ego scio, quos elegerim, discite modestiam, et de vobis ipsis humiliter sentite.

Non respicio staturam hominis, sed cor sapiens et intelligens.

Qui idoneus est, ex ipsis speluncis ad praelationem accipietur: nam et Pater Meus, cum placuisset Illi David, de post foetantes accepit eum, pascere Jacob, servum suum, et Israel, haereditatem suam.

Haec cogitate, filii, et aestimate: atque subesse potius, quam praeesse contendite.

Et Ego vos fidelissimos servos Meos honoribus aeternis exaltabo.

Caput VI.

Admonet religiosos.

Charissimi filii, quos ex saeculi mari magno ad statum religionis misericorditer vocavi, habeo adversum vos multa lacrymis digna, quae attente cogitare et corrigere debetis.

Ego plantavi vos in paradiso Meo, ut perfecta renuntiatione omnium rerum et abnegatione propria voluntatis et judicii sequeremini Me renibus accinctis, et quasi lectucas agrestes manducantes, in transitu hujus vitae confitentes, quia peregrini estis super terram, et ad patriam coelestem festinatis.

Segregavi vobis, dilectis Meis, humanas consolationes respuentibus pluviam voluntariam internae visitationis. Sic enim Ego solari consuevi ablactos a lacte et avulsos ab uberibus.

Suscitavi vobis patres, religionum fundatores, qui fidelissimo corde fecerunt omnes voluntates Meas: et altera manu proeliantes, altera aedificantes circumdederunt altis moenibus montem sanctum, quem dilexi.

Quomodo ergo praevaricati estis pactum Meum

votis solennibus in medio Jerusalem confirmatum, et primam charitatem non servastis?

Congregatio justorum et pars electa Ecclesiae Meae, quomodo gemens conversa es retrorsum?

Quomodo emarcuit flos primitivae observantiae, quo Nomen Meum laudari solebat a solis ortu usque ad occasum?

Jam non est cultus ille obedientiae per fidem operantis.

Illa paupertas, solatia coeli per incommoditates terrae requirens ablata est.

Aemulatio illa Sanctorum, contemptus mundi, sensuum mortificatio et decor monasticae disciplinae, a filia Sion egressus est.

Frustra videntur laborasse patres vestri, quorum statum assumpsistis et fidem non observatis.

Quis non miretur ruinam vestram, o plebs Mea, quam e multis nationibus elegi?

Quis audivi talia horribilia, quae fecit nimis virgo Israel?

Numquid evelli possunt aquae erumpentes frigidae et defluentes, ut, ubi Ego dedi fontem uberem misericordia, siccetur terra?

Vae statui religionis declinantis a rigore observantiae: quia cum his novissimis temporibus homines seipsos amantes, quando professionem emittunt, promittant eadem, quae sancti religionis institutores promiserunt, remisse vivunt, nec eadem observant.

Raro valde religiosus perfectus, quasi stella matutina in medio nebulae splendescens, invenitur.

Reliqui vero innumerabiles sicut arena, quae jacet in littore maris, erraverunt in invio et non in via.

Et facta est terra eorum in desolationem et in sibilum sempiternum.

Omnis, qui praeterierit per eam, obstupescet et movebit caput suum.

Elegeram Ego gentem, ut habitarem in medio ejus, et diligerem illam, sicut animam Meam, sed ipsa recessit a Me factaque est habitatio draconum, et dimisi filios ejus secundum desideria cordis eorum, ut contra suorum patrum instituta irent in adventionibus suis.

Nunc ergo, filii Mei, ne declinetis cor vestrum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.

Sed memores estote, unde deciderit corona gloriae vestrae; et respuentes omnia consilia hominum insipientium in observantiam excusantium antiquam laudem totis viribus renovate.

Germinet denuo terra vestra herbam virentem, et lignum pomiferum juxta genus suum.

Ego mittam Spiritum Meum, ut recreemini, et facies terrae renovetur.

Confortamini, et convertam captivitatem vestram affluentem gratia Mea, sicut affluere solet aqua torrentis in Austro.

Mittam lampades in visceribus vestris, ut fortissime impedimenta superetis.

Quid timetis, filii charissimi, quasi abbreviata sit manus Mea?

Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri.

Ego vos iterum parturiam, donec reformetur primus status in vobis.

Et post aedificium novae Jerusalem reddam vobis fidelissimis servis Meis multiplices coronas, inaestimabilibus gaudiis et honoribus plenas.

Caput VII.

Monet sacerdotes.

Mundamini, qui fertis vasa Domini, et pollutum nolite tangere, ne forte moriamini.

Attendite verba Mea, charissimi sacerdotes novi et aeterni testamenti Mei, et induimini suavissimum justitiae decorem, ut sancte sancta tractetis, et Nomen Meum infinita veneratione dignum non polluatis.

Feci vos consortes sacerdotii Mei, ut essetis mediatores populorum, quorum pondus portatis, et averteretis iram Meam, ne disperderet eos.

Et ideo deberetis nive candidiores esse, et corda manusque puras extollere in sancta, ut decor sacrificii vestri ascenderet ad altissimum Patrem Meum et donaret vobis delicta populi.

Considerate dignitatem vestram, quia uncti estis oleo sancto Meo, et panem vitae, qui de coelo descendit, quotidie comeditis.

Tanta est perfecta altitudo dignitatis vestrae, ut montium vertices superetis, et coeli coelorum vobis inclinentur.

Quid ergo dicam vobis, cum videam vos in coelesti dignitate constitutos homines esse, et secundum hominem ambulare?

Mirabile est, vos corpore et sanguine Meo quotidie pasci, et vitiis caeterorum hominum, qui profane vivunt deformari.

Quid est hoc? Quomodo non transformamini in Me, et innocentia vitae resplendetis?

Exuite jam, filii Mei, veterem hominem, ut singulari pietate tantum caeteris hominibus praestetis, quantum illos dignitate praeceditis.

Adhaereat esca, quam sumitis visceribus vestris: et corpora vestra, quae Dei templum facta sunt, ab omni corruptione praeservate.

Luceat lux vestra sole clarior coram hominibus, quorum culpas abluitis, ut exemplo vitae vestrae emolliti atque conversi, glorificent per fructus justitiae clementissimum Patrem Meum, Qui in coelis est.

Fugite commercia filiorum hujus saeculi, qui vitae puritatem oderunt: et Ecclesiae, sponsae Meae, disciplinam toto corde sequimini.

Haec sit jugis meditatio vestra et intima laetitia, qua inter mortalis vitae fastidia delectemini.

Discant alii prudentiam, quae de terra est, qui merguntur in terrenis desideriis, quasi plumbum in aquis vehementibus: Vos vero, qui pane vitalissimo nutrimini, cavete, ne regales epulas immundis cibis maculetis.

Altiores mundo estis: coelestia cum mundi contemptu cogitate atque diligite, et altissimum justitiae sacrificium in Mei memoriam purissimis affectibus sacrificate.

Et non solum placebit Mihi holocaustum vestrum plusquam sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, qui inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, sed supra omnia mundi bona jucundabor in castis et humilibus cordibus vestris, quae ardebunt igne charitatis in conspectu Meo.

Caput VIII.

Monet principes terrae.

Audite, principes terrae, quae dico, et sepositis curis aliis, vos quoque, reges, intelligite, et erudimini, qui judicatis terram.

Ego vobis dedi excellentiam hanc, ut tolleretis medullam cedri, et optima quoque terrae comederetis.

Certissime enim per Me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.

Propter quod intima gratitudine deberetis servire Mihi, et gloriam Meam studiosissime amplificare.

Et tamen erigimini adversum Me: quasi non Ego, sed manus vestra excelsa fecerit haec omnia, quae aliis hominibus mirabilia videntur.

Non bene utimini infinita bonitate et misericordia Mea, per quam in throno sedetis.

Quaenam alienatio mentis est haec?

Numquid non omnia Mea sunt, et valeo deponere potentes de sede, et exaltare humiles, qui vivunt in simplicitate cordis, et tremunt ad sermones Meos?

Cur elevamini, filii Adae, et quaeritis esse sicut dii?

Non est potentia, neque sapientia, neque fortitudo contra Dominum, Qui curvat imperia.

Profecto licet amor et gratitudo deesset, timor saltem deceret movere vos, ut Regem regum, qui Lucifero non pepercit, timeretis: Ipse enim alligat reges in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis: sed et nunc quando putatis, vos posse quidquid placeat, stultissime agitis, dum in quolibet negotio non ad Me, sed ad consiliarios, vel milites, vel ad

aurum multum confugitis non considerantes, quia cor regis est in manu Mea, et quocunque voluero, vertam illud.

An existimatis omnia, quae cogitatis et conamini, condita non esse apud Me et signata in thesauris providentiae Meae?

An non exigam rationem de injustis vectigalibus et tributis, quibus viduas et orphanos affligitis et sanguinem dolentium absorbetis?

Estote, filii Mei, reges magni pietate, et solium vestrum misericordiis multis exaltetur.

Justitia et judicium sit ornatus et praeparatio sedis vestrae, et pax dilatet regiones vestras.

Reddite Mihi tributum casti timoris et amoris, et subditorum corda non ad ostentationem vanam, sed ad vera et aeterna bona exemplo vitae movete.

Reges gentium dominantur eorum, et tyrannice subditos opprimunt: vos vero, servi Regis pacifici, Qui mansuetudine infinita regnavit a ligno, patres potius, quam dominos repraesentate.

Sic eritis reges non solum corporum, sed etiam cordium, et regendi suavitate amplificabuntur domus vestrae.

Et Ego vos fideles consortes Meos de terreno ac temporali regno ad coelestis et aeterni regni Mei consortium hora novissima vocabo.

Caput IX.

Hortatur divites saeculi.

Ne laetamini, filii, super multis divitiis vestris, quasi alia bona meliora non sint, et domos aeternas in terra, quam diligitis, possidere valeatis.

Stulta enim est cogitatio haec, quam experientia quotidiana condemnat.

Quanti mercatores coacervant aurum et argentum, sine requie et sine fine, et in poenam sollicitudinis et laboris infiniti non dimidiant dies suos?

Tempus breve est, Ego venio cito.

Quorsum ergo tanta sollicitudo, cui omnes mundi opes satisfacere non possunt?

Satis divites facti estis: et certum est vobis multa bona superfluere, quae clamant adversum vos pro pauperibus et afflictis, qui cupiunt saturari de micis, quae cadunt e nimis lauta mensa vestra.

Quid ergo de superfluis agere cogitatis?

Mittite panem vestrum super inopes, quasi super transeuntes aquas, et illum in littore maris magni repositum invenietis.

Consilium Meum vobis placeat: Redimite misericordiis pauperum animas vestras, et emite parvo pretio jus magnum in regno immortalitatis Meae.

Quid moramini deponere grave pondus divitiarum, sub quibus fatigamini, nec ad vitalem auram aeternae felicitatis respirare valetis?

Elevate capita vestra, et respicite opes Meas, quas largitione eleemosynarum lucro magno comparare potestis.

Beati, qui ad currendam salutis viam se exonerant, et misericordia divites sunt, quoniam ipsorum miserebor.

Percipite, filii, quae moneo: et facite, ut opes vestras manus pauperum in coeleste gazophylacium deportent: habebitisque thesaurum non deficientem in coelis.

Quid timidi estis, quasi vobis propter eleemosynas multas egestas superventura sit?

Absit profana cogitatio haec: immo propterea domus vestrae multiplicabuntur.

Offerte Mihi confidenter de substantia vestra, et de primitiis frugum vestrarum: et implebuntur areae vestrae frumento, et vino torcularia redundabunt.

Voces et desideria pauperum pro vobis orantium penetrabunt viscera Mea.

Et Ego vos Mihi per misericordiam similes amabo: domos magnas aedificabo vobis in terra: et in superna Jerusalem, quae mater vestra est, mansiones infinitae consolationis, et pacis abundantia plenas praeparabo.

Caput X.

Admonet homines negotiosos.

In pace cordis ad aeterna bona suspirantis factus est locus Meus, et habitatio Mea a strepitu negotiatorum longe remota facta est in Sion.

Qui cor suum effundit, sicut aquam, in terrena negotia et sollicitudines saeculi, peregre recedit a portu tranquillitatis bonae conscientiae, quae, abjecta cura saeculi, intime gaudet jucundissima habitatione Spiritus Mei.

Filios Tyri facientes operationem in aquis multis, et sine fine laborantes non permittam ad pacem Sionis pervenire, quamvis pacem sine requie requirant.

Considerate, filii, qui negotiorum aquis suffocamini, quo tendat infinita sollicitudo vestra: et quam insipienter agitis, dum cor vestrum, quod Mihi totum sacrificare deberetis in tot curas dissipatis.

Qui non colligit Mecum, dispergit: qui non est Mecum, contra Me est: qui non amat et quaerit communicationem Meam, non est bene affectus · erga Me: Utinam haberetis aures audiendi Me; et daretis locum inter tot negotia mundi negotio uni salutis vestrae, quod praeponderat universis mundi bonis, quae apparent, et non sunt.

Usquequo vim facietis suavissimo Spiritui Meo, Qui secretis inspirationibus instruit vos ad projiciendam molem tantam ex humeris vestris, et pacem Meam aeternae salutis nuntiam requirendam?

Sinite jam, filii, oppressionem hanc, et ad auram vitae immortalis respirate.

Etenim omnia, quae diligitis et negotiamini, finem habent, et tela, quam ordimini, cito succidetur.

Quare ergo non praemeditamini tristem exitum laboris vestri, et convertimini ad dulcissimum otium Meum, ubi veram laetitiam et spem gaudiorum matrem invenietis?

Quod si vobis durus est hic sermo, et non potestis sustinere eum, quasi negotia deponere non valeatis: destinate saltem modicum tempus, ut Mecum quotidie negotiemini.

Clamate ad Me in fortitudine, et rerum temporalium pondere gravati cadite coram Me: ut misericordia motus auferam a vobis jugum ferreum, sub quo cibum, qui perit, operamini.

Recedite a tabernaculis Ismael, et servitutem duram detrectate.

Captivi filii Mei, quaerite libertatem honestissimam

filiorum Dei: agnoscite christianam dignitatem: et nolite ad servorum labores degeneri conversatione redire.

Si cordis auribus audieritis verba Mea, Ego ostendam vobis suspirantibus ad Me, quanto sit dulcius Patri Meo, quam mundo servire.

Et dabo vobis cor carneum, ablata duritia vestra, ut jam sequamini Me, et voluntas vestra requiescat in suavissima lege Mea.

Caput XI.

Hortatur ad custodiam cordis.

Filii, omni custodia custodite corda vestra, neque in hac vigilia dulcissimae dilectionis unquam dormitetis.

Custodite corda, sicut amatores mundi custodiunt aurum, ne forte per ingratitudinem vel incuriam pereatis de via justa.

Ne admittatis consilia hominum, qui sanguinem Meum aestimare nesciunt, et salutem aeternam suam non magnopere curant.

Murum aeneum circumdate cordi, ne hostes vestri nocendi cupidissimi aedificium spiritus evertant.

Ego novi fragilitatem cordis humani, quod facile seducitur, ut in varios amores dividatur.

Experientia quoque scire potestis, quoties cor vestrum captivum egrediatur a seipso, ut serviat creaturis, quarum voluptate trahitur.

Vigilate et diligentissime cavete tactum mortuorum, quibus plenus est mundus, ne forte moriamini.

Templum Dei sanctum est, quod estis vos: cavete, ne domus Mea, quam decet sanctitudo, profanetur.

Praemeditamini occasiones peccatorum, ut declinetis eas: et dum iter facitis per terrena commercia, ubi affetuum pedes pulvere humano sordescunt, etiam pulverem pedum vestrorum excutite.

Lavamini frequenter, et postquam loti fueritis, iterum emundamini; nam et qui lotus et mundus est, indiget, ut lavet pedes.

Neque vobis asperum videatur consilium Meum, quia vestra corda ardentissime diligo, propterea que postulo, ponatis Me ut signaculum super illa, ut Ego illorum Dominus cognoscar.

Fortis enim est ut mors dilectio, et implacabilis amoris aemulatio: atque ideo ferre non possum cordis vestri consortes.

Servate ergo fideliter vos ipsos Mihi, et intima consolatione laetamini, quia vos totos Solus Ego postulo, et non est Mecum Deus alienus.

Quid enim dulcius vobis accidere potest, quam Mei juris et regni esse, totisque visceribus adhaerere Mihi?

Utinam verba haec Mea penetrarent animas vestras, et vos ad aeternam cordis custodiam excitarent.

Posui Ego ex infinita bonitate erga hominem totum cor Meum: aequum ergo erit, ut homo cor suum totum Mihi reddat.

Grati igitur estote, filii, et escam hanc suavissimam Mihi afferte.

Et Ego, Qui exigua munera non despicio, magnum sacrificium hoc odorabor, faciamque, ut jugiter ardeat in altari Meo.

Et demum ejus suavitate allectus attraham vos ad

Meipsum, et recondam vos fidelissimos servos Meos cordisque custodes in thalamo, quem filiae regum cupierunt, hoc est, in penetralibus tenerrimi cordis Mei.

Caput XII.

Instruit tentatos.

Filii, oportet vos probari, si accepti estis Deo, ut Ego in vobis glorificer, et vos majori gloria coronemini.

Aurum probatur in igne, et homo in camino tribulationis.

Confortamini, et estote robusti, nec ullo modo serviatis Philistaeis.

Non vos relinquam, vel patiar tentari supra id, quod potestis: Sed faciam potius cum tentatione proventum.

Laetamini, cum exercemini multiplici colluctatione adversus carnem et sanguinem, et adversus principes quoque tenebrarum harum: quoniam Ego vobiscum sum, ut eruam vos de manu inimicorum vestrorum, qui saluti vestrae vehementer infidiantur.

Non est voluntatis Meae ruina hominis, neque unquam suspirantes ad Me deserui in tempore senectutis.

Ego vici mundum.

Ego pontifex vester, vir dolorum, et sciens infirmitatem, cum pugnantibus pugno, et cum victoribus vinco.

Beati eritis, si per omnia ad similitudinem Meam tentemini, et patiamini foris pugnas, intus timores.

Si enim sufferatis tentationem, et Ego renes vestros et cor vestrum exuram; eritis felices tanquam filii excussorum, qui timore et probatione Mea prosperantur.

Accipite, mites corde, consilium Meum: quando tenta-

tio vos multum angit, celeriter invocate Me, et sine ulla haesitatione confidite, vos gratia Mea juvante victuros.

Clamate ad Me fortiter, et in spem contra spem credite: et videbitis mirabilia, quae operabor in medio vestri.

Recordamini, electi populi Mei, ad littus rubri maris suspirantis, et Pharaonem propinquantem cum mortis horrore timentis.

Ego increpui mare rubrum, et exsiccatum est: et deduxi servos Meos in abyssis, sicut in deserto.

Neque solum in angustia salvavi eos propter gloriosissimum Nomen Meum; sed et in aliis eventibus, quando clamaverunt ad Me, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eripui eos.

Cavete, filii, diffidentiam, quae pugnat cum dulcissima misericordia Mea.

Etiam si ad portas mortis accedatis, adhuc sperate in multitudine magnitudinis, et suavitate infinitae bonitatis Meae: et habentes summum sacerdotem, Qui penetravit coelos, et interpellat pro vobis, exercete vestrae spei fortissimam et solatio plenam confessionem.

Contemnite minas mundi et inferni, fundati supra firmam petram angularem, quae ruinam non timet.

Et infirmabuntur crura omnium regum Amorrhoeorum, qui transitum vestrum in terram fidelissimae promissionis impedire conantur.

Pugnate pro aeterna laude Mea et salute vestra: et Ego coram vobis omnes inimicos vestros humiliabo.

Caput XIII.

Hortatur ad considerationem mysterii Incarnationis.

Amant homines novitatem, et rerum novarum studio delectantur: et tamen cum novum fecerit Dominus super terram, quando foemina circumdedit virum, pauci sunt, qui novum hoc et mirabile mysterium dignum considerent.

Non placet Mihi, filii Mei, oblivio haec, et nimis dura ingratitudo: quia et gloriae Meae et saluti, consolationique vestrae contraria est.

Ego posui homines in dulcissimo memoriali Nominis Mei, ut illorum Deus nominarer: et cum in forma Dei essem, ex altitudine illa infinita descendi, ut factus homo, essem amantissimus frater et amicus vester: quo certe beneficio vos conditione fragiles angelicis spiritibus anteposui.

Nusquam enim Angelos apprehendi, sed semen Abrahae apprehendi, placuitque aeterno Patri Meo, ut vobis potius, quam supremis creaturis assimiliarer.

Hoc est verbum breviatum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ad inenarrabilem gloriam et consolationem vestram; ut exultetis spe consortii Mei, tanquam primogeniti et amantissimi fratris vestri.

Quid timetis, fratres Mei dilectissimi, Verbum, quod erat in principio apud Deum, caro vestra factum est: quid superest, nisi ut hospitio delectabili habitet in vobis, tanquam in optatissima requie Sua?

Ego sum frater vester, filius hominis, sitim et famem, calorem et frigus, et alia multa mala vestri

causa passus: confidite et diligite Me: neque enim fratribus Meis quicquam negabo.

Utinam agnosceretis dignitatem vestram, et Mihi per omnia similes conversatione vitae efficeremini, casti, humiles, mites, misericordes et coelestium bonorum aestimatores.

Habetis stimulum amoris, ex quo non horrui virginis uterum, ut, tanti mysterii non ignari, miremini et dilatemini, et exultetis consortio Incarnationis Meae.

Habet filia Sion regem mansuetum, non in curribus et equis gloriantem, sed benignitate et misericordia magnum, divitem in omnes, qui invocant Illum.

Accedite cum fiducia ad thronum gratiae Meae, non formidantes majestatem Dei absconditi et operti velamento humanitatis vestrae.

Ego enim sum Princeps pacis, faciens utraque unum, delens, quod adversum vos erat chirographum decreti, dissolvens vincula colli vestri.

Ego Emmanuel semper vobiscum in foedere amoris aeterni permansurus, protegam vos: et, si Me non respuatis, in omni adversitate et prosperitate habeo vos tanquam dulcissimos fratres Meos.

Caput XIV.

Hortatur ad aestimationem redemptionis.

Considerate, filii, quae moneo, et in cordis centro verba Mea conservate.

Non bonis corruptibilibus, auro nempe et argento, redempti estis de vana conversatione paternae haereditatis vestrae, quam ex Adam accepistis: sed pre-

tiosissimo sanguine Agni immaculati, Qui dignus est accipere divinitatis gloriam et honorem, qui vero Deo et Salvatori mundi debetur.

Redemptio vestra, quam operatus sum in ligno, ubi, quae non rapui affluentur, exsolvebam, lux sole clarior est, quae ostendit infinita bonitatis et misericordiae magnitudinem, per quam commota sunt super labore vestro tenerrima viscera Mea.

Attendite, filii Mei, quae legitis, et obstupescite super consilio antiquo, quod elegi, ut redimerem captivos Meos, et praedicarem vinctis libertatem filiorum Dei.

Certe si semel adhaereret digna aestimatio sanguinis Mei visceribus vestris, mirabiliter arderetis atque combureremini vivo igne dulcissimi amoris Mei.

Quis enim non accendatur et ardeat, quando considerat Me, Altissimi Filium, ad labores hominum descendisse, et per sudores et labores calceamentum divinitatis, quae caro humana est, ad Aethiopes et Idumaeos extendisse?

Quis adeo durus corde sit, quem instrumenta passionis et mortis Filii Dei non compungant?

Petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, sol luxit et obscuratus est, terra tremuit, et attonita quievit, dum cataractae coeli apertae sunt et abyssus sanguinis Mei decurrentis in terram abyssum misericordiae vobis tribuendae, exjustitia meritorum Meorum, invocavit e coelo.

Quis ex vobis sapiens, et in latibulo cordis custodiet haec, et per experientiam intelliget misericordias Domini?

Utinam cogitaretis, quo pretio empti sitis, et quam

stricto jure totum cor vestrum Mihi debeatis: Vos per salutarem considerationem hanc fructu redemptionis copiose gauderetis, et Ego fructu laboris Mei jucundissime laetarer.

Meditamini, filii, grande mysterium hoc et dilectam animam Meam, quam pro vobis dedi in manus inimicorum ejus, prae omnibus mundi thesauris, honoribus et delectationibus aestimate.

Et sicut cedrus, quae in Libano est, multiplicabimini: eritque vobis quasi torrens voluptatis inaestimabilis redemptio Mea.

Caput XV.

Ostendit, suave esse, servire Deo.

Quid est, quod filii Adae horrent verbum crucis, tanquam durum, et insuave, et unusquisque in viam suam declinavit?

Me quasi durum Dominum sollicite fugiunt, et principibus terrae servire malunt.

Mirum est hoc. Cum enim Solus Ego aeternam vitam et plenam consolationem eis dare possim: per justitiae semitas ad montem Domini ascendere recusant, et montes alios difficiliores superare conantur. Etenim solus mons Dei, mons bonorum omnium aggregatione coagulatus et pinguis: ut quid ergo fingunt homines montes alios coagulatos, cum difficultates mundi, etiam quando superantur, steriles sint?

Certe servire Deo regnare est: quocirca mirabile videtur, homines regnandi cupidissimos Mihi servire nolle.

Neque solummodo mirandum est, quia regnare

detrectant, sed etiam, quia infinitam suavitatem legis Meae neque requirunt, neque cognoscunt.

Profecto si in via Dei ambulassent, habitassent pacificem super terram, et cor prae magnitudine laetitia dilatassent: sicut ille, qui ambulabat in latitudine, quia mandata Mea totis viribus exquisivit.

Intelligite, quae dico, filii, et saporem veritatis Meae ipsa experientia gustate.

Qui Mihi fideliter servit, bonae conscientiae laetitia exultat, et firmissima spe aeternae retributionis verius gaudet, quam si totius mundi honores, divitias et voluptates possideret.

Et interim, dum laborat et mala multa sustinet, Ego secretis inspirationibus et illuminationibus ejus infirmitatem corroboro.

Ego doceo manus ejus ad proelium, et singulos digitos ad bellum: ut sine timore de manu inimicorum suorum liberatus, constantissime serviat Mihi.

Dicit confidenter: Pone me juxta Te, et cujusvis manus pugnet contra me.

Major laetitia et suavitas percipitur in proeliis sub vexillo Meo, quam in pace mundi, quae in sola superficie haeret, nec laetitia cordis appellari potest.

Hinc est, ut soli justi vere laetentur, et exultent, et vere glorientur soli recti corde.

Hanc ergo prudentiam discite, filii, neque humanis consiliis acquiescere velitis!

Tollite jugum Meum suavissimum super vos, qui prudenti conjectura colligitis nomina vestra scripta esse in libro vitae.

Aperite sinus viscerum vestrorum, et coelestis consolationis aquam sitienter haurite.

Fleant illi, qui remorsu conscientiae cruciantur et per latam viam perditionis furiose currunt.

Ridete et exultate vos, qui Mihi servire decrevistis; vos praesertim, qui reliquistis omnia, et secuti estis Me: quia in hac vita centuplum accipietis, et cum gloriosissimo triumpho et totius supernae Jerusalem acclamatione vitam aeternam possidebitis.

Caput XVI.

Ostendit, triste esse, peccato servire.

Non est pax et cordis laetitia impiis, qui faciunt peccatum, et proinde servi sunt peccati.

Moestissima est, filii charissimi, servitus haec, quam homines magno pretio emere solent.

Sollicite quaerunt gaudia, nec inveniunt: quale enim gaudium accidere possit iis, qui in umbra mortis sedent, et lumen coeli non vident?

Excoecavit illos malitia eorum datique sunt in reprobum sensum: atque ita coeci et insani, per varia desideria, quasi arietes non invenientes pascua, discurrunt.

Sensus eorum, tanquam parvuli rationis expertes, ducti sunt in captivitatem ante faciem daemonis tribulantis: et ideo, ut captivi per eadem, per quae peccant, puniuntur, stimulos conscientiae jam ibi sentientes, et cruciatum aeternum praesentientes.

Vae illis, qui rebelles fuerunt lumini, et disciplinam vitae non receperunt.

Attendite, filii, quae moneo.

An putatis, horrendum non esse, peccatorem hominem, dum peccat mortaliter, certo scire, si in eo statu moriatur, ut facile potest, se igne sempiterno torquendum esse? comedit et bibit et jocatur, quantum potest: sed parum potest, quia est post commissum peccatum, et in ipsis gaudiis illicitis, dum peccat, Ego immitto illi terrores conscientiae, ut justus appaream in sermonibus Meis, et vincam, cum judicavero.

Infelices homines, quasi tumentes super se fluctus timent iram Dei, Quem oderunt: et pondus Ejus ferre non possunt.

Propter quod velint, nolint, ipsis operibus suis ostendunt, se odisse lucem, et timore servili perterritos a facie Mea fugere ac timere, sicut Cain, ne omnis, qui invenerit illos, occidat eos.

Ad omnem strepitum suspicantur, se jam ad judicium vocari, et sibi videntur terribilem tubam audire.

Mihi credite, filii, omnes labores justorum, omnes eorum persecutiones ac tentationes, magna solatia sunt, si cum durissima peccati servitute comparentur.

Fugite servitutem hanc, et ut ipsas inferni portas perhorrescite.

Aspirate ad nobilissimam libertatem Meam, vita Mea pretio partam, neque periculo tanto animas vestras, quas redemi, insipienter committatis.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, sustinete Me proeliantes proelium Domini pro tuenda libertate, quae melior et amabilior est super vitas.

Et digni eritis, qui accipiatis nomen novum in amplissimo regno Meo, quod nemo scit, nisi qui accipit.

Ubi cum libera matre vestra, quae sursum est, cantabitis in aeternum dulcissimas misericordias Meas.

Caput XVII.

Ostendit, paucos salvos fieri, plurimosque damnari.

Arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam, etsi enim omnes illam invenire possint, seipsos tamen nimis amantes, spatiosam viam perditionis eligunt, novissima sua considerare nolentes.

Beati pauci illi, qui toto corde Me requirunt, et brevi angustia aeternam consolationem operantur.

Tristitia illorum vertetur in gaudium, quod non auferetur ab eis.

Vae tamen illis, quorum numerus est, sicut arena, quae jacet in littore maris, qui timore tentationum et difficultatum victi per latam viam gradiuntur, neque conantur in eo numero paucorum fortium recenseri.

Inimici sunt crucis Meae, sine qua salus esse non potest, quia ex ea salus mundi pependit.

Quaerunt avidissime, quae sua sunt, et dulcissimam legem novi testamenti Mei prae membrorum lege contemnunt.

Honores et voluptates, tanquam tauri pingues, vehementer sectantur: neque disciplinam Meam aure cordis percipere volunt.

Vae innumerabili genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, qui abalienati sunt retrorsum, impingentes in viis suis, et uvas acerbas bonorum temporalium comedere festinantes.

Viae supernae Sion lugent, eo quod non sint, qui

veniant ad aeternum sabbatismum, ubi gemitus et dolor non erit amplius.

Infernus dilatavit os suum, ut fortes et pingues terrae deglutiret: innumerabilis enim populus descendit ad eum.

Justi vero Mei e multis millibus electi raro splendent in saeculi hujus nocte, ubi sunt tenebrae palpabiles, similes illis, qui oppresserunt Aegyptios, inimicos Meos.

Seminavi Ego colonus terrae verbum Meum, et tantummodo quarta pars in corde bono et optimo fructum attulit in patientia.

Nihil autem homines magis oderunt, quam exercitia patientiae: et propterea perdunt animas suas, quas in vera patientia possiderent.

Stulti sunt valde, non considerantes, electorum signum esse, pressuram pati, cui succedit inaestimabile refrigerium, quod oblivioni tradit omnes mundi pressuras et dolores.

Etenim mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: statim autem, ac peperit puerum, jam non meminit pressurae, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

Quale ergo gaudium erit, quod succedit, quia natus est homo in coelum?

Filii, audite Me: conamini et arctam viam mundis pedibus incedere, et ad beatissimum numerum paucorum fortissime suspirate.

Pro nihilo ducite, si ingrediatur putredo in ossibus vestris, et subter vos scateat, dummodo cum paucis electissimis ascendatis ad populum accinctum resurgen-

tium, quorum formosissimis corporibus animae gloriosae cinguntur.

Ne cadatis animo, quasi nimis arduum sit in illo numero felicissimo comprehendi: si enim legitime certetis, ut vere cum gratia Mea valetis, inter ipsa proelia laetari, et firmissimae spei motibus exultare potestis, aspirantes ad palmam, cujus suavissimis fructibus Mecum in coena magna sine fine fruemini.

Caput XVIII.

Monet, semper ad Deum pro auxilio recurrere.

Filii, nullus status, nullus locus in vita mortali est adeo securus, ut ad Me in horas singulas pro auxilio gratiae Meae recurrere non debeatis.

Nam qualis status securior, quam Apostolatus? et tamen cum Ego duodecim elegissem, unus ex eis diabolus effectus est.

Qualis locus tutior, quam paradisus, in quo posui hominem, quem formaveram? et tamen Eva, mater vestra, respondit: serpens decepit me.

Militia sine induciis est vita hominis super terram: in qua et pusilli et magni in multos errores et peccata labuntur.

Propter quod cavete, filii, ne sitis fidentes in vobis ipsis, quasi in summo periculo non versemini.

Vapor est vita vestra, ad modicum apparens, et vento quolibet exterminatur, et anima corpore fragilissimo inclusa fit sibimetipsi gravis; timereque debet instantem ruinam, ad quam sua fragilitas illam impellit.

Orate, ne intretis in tentationem, et cum hoc mundo damnemini.

Multi sunt inter vos infirmi et imbecilles, et saepe dormiunt multi servi Mei, evigilate et state succincti lumbos mentis vestrae, ne forte inopinata morte moriamini.

Quaerite Me sollicite: venite et revertimini, die nocteque pulsate: adversarius enim vester sine requie circuit, quaerens, quem avidissime devoret.

Facite vobis speculum, et insidias hostium vestrorum explorantes, intimis gemitibus brachium Meum implorate.

Oculi quippe Mei erunt aperti, et aures Meae erectae ad orationem ejus, qui in tribulatione sua fortiter clamaverit ad Me.

Qui cecidit, clamet, et resurgat; qui stat, videat, ne cadat, et misericordem animam Meam vespere et mane et meridie pulsare non cesset.

Ego Nomine dulcissimo vocor, Adjutor in opportunitatibus in tribulatione.

Si ergo mala patimini, vel angustiamini, cor Meum cito pulsate, ut ex officio suo in vestrum adjutorium intendat; et ad vos adjuvandos hinnulorum more festinet.

Recurrite ad Me, et curram Ego, ut vos eripiam a pressura vestra.

Credite, vos non esse sufficientes, non solum mala vincere, sed ne cogitare aliquid pium ex vobis, quasi ex vobis, et spem vestram omnem in visceribus misericordiae Meae collocate; et fidelissimo adjutorio vobis praesto ero, et de manu odientium liberabo.

Si corde puro requisieritis Me, Ego capillos capitis vestri numerabo, ne unus pereat: si transieritis per ignem, flamma non laedet vestimenta vestra, et odor ignis non erit in vobis.

Desiderium pauperum inopiae suae cognitione clamantium exaudiam: et praeparationem cordis eorum audiet propinquissima ad preces humilium auris Mea.

Caput XIX.

Hortatur ad zelum animarum.

Perit mundus, o filii, et infinitus est numerus stultorum per viam perditionis velociter currentium: et non est, qui doleat vicem pereuntium.

Ego fudi sanguinem Meum, ut educerem homines de lacu miseriae, et luto faecis, et statuerem supra fitmam petram pedes eorum, et non est, qui adimpleat ea, quae desunt passionum Mearum, in corpore Meo, quod est Ecclesia.

Nam de iis, qui foris sunt, mirum est, quanta sit oblivio et alienatio mentis.

Princeps tenebrarum Satan circuit terram, et perambulat eam quasi Dominus, gloriaturque se innumerabiles populos praedari, et exiguum esse numerum eorum, qui salvi fiunt.

Et tamen multi servi Mei, qui succurrere postulent parvulis petentibus panem, vel etiam iis, qui fame pereunt, et panem postulare nesciunt, non miserentur proximorum, quasi Deus non mandasset unicuique de proximo suo.

Quid dicam vobis, servi Mei, qui ad misericordiam spectaculo pleno doloris non movemini.

Quomodo non liquefiunt viscera vestra super fratribus vestris, qui a facie tempestatum famis deficientes clamant: Ubi est triticum et vinum?

Quomodo, qui zelum habere videmini, non festinatis ad pauperculos ignorantes viam Domini, ut dirigatis pedes eorum in viam pacis?

Crudeles estis, Adae filii, qui tanta calamitate non movemini ad salutem fratrum per longas peregrinationes et navigationes quaerendam.

Festinate, filii, ad morientes adjuvandos, antequam exspirent, et claudatur janua: extendite cônatus vestros usque ad alienas gentes, et Tyrum, et populum Aethiopum: ut per vos, quos tabescere facit zelus Meus annuntietur annus redemptionis in universa terra.

Quod si talentum ad conversionem animarum non habetis: rogate saltem ferventissimis suspiriis Dominum messis, ut mittat operarios multos in messem Suam; ut sine zizaniis congregetur purum triticum in horreum Ejus.

Beati eritis, si et vos fideles servi Mei fueritis et zelo domus Meae exstimulati publicis vel privatis actionibus reduxeritis illos ad cultum et amorem Meum.

Ego vos tenerrime amabo: et quia fecistis rem hanc, nec vestrae commoditati, vel vitae pepercistis, multiplicabo filios vestros, et multa exultatione videbitis semen longaevum.

Ego vos de proelio revertentes amantissime amplectar, ut in Ecclesia magna Mea sine fine Mecum laetemini, et bibatis de torrente infinitae voluptatis Meae.

Caput XX.

Monet praedicatores.

Filii charissimi, quos vocavi ad ministerium verbi Mei, ut essetis initium aliquod creaturae spiritualis, cordis auribus audite Me.

Ego posui vos, ut fructum afferretis et annuntiaretis verbum crucis, quod est Judaeis scandalum et gentilibus stultitia.

Nam quia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Mihi, per stultitiam praedicationis, salvos facere credentes.

Misi vos, ut Me Crucifixum doloribus et opprobriis saturatum, praedicaretis, non in sublimitate sermonis, aut in artificio et sapientia hominum, sed in fortissima virtute Dei.

Quomodo ergo sine Spiritu Meo prophetatis, et effecti estis magistri prurientes auribus, adulterantes eloquia casta Mea?

Quid est hoc? Quomodo audetis loqui in Nomine Meo, sectantes vanitatem humanae gloriae, et quaerentes hominibus placere?

Divinatis falsa et profana multa sacris actionibus admiscetis: neque curatis, quantum salutis operemini, sed quantum humanae laudis acquiratis. Vae vobis, hypocritae: — Vae vobis sepulchra dealbata, qui conscientiae foetore pleni estis!

Deberetis esse contemptores mundi, et verbum sanum, ac irreprehensibile vitae innocentia evangelizare; et imitantes Me prius facere, quam docere.

Dicitis, et non facitis: et vanitas vitae ac humanae scientiae vestrae debilitat praedicationem Meam.

Sollicite acquiritis scientiam, quae inflat, ut ostentetis illam, parumque curatis charitatem Meam, quae corda reformat et aedificat.

Per vos blasphematur sanctissimum Nomen Meum, quia cum cognoveritis, quid agere debeatis, vacatis gloriae hominum, et commoditati vestrae.

Urbes magnas et honorabilia pulpita quaeritis, ut a nobilibus cum laude audiamini: et populos derelictos, ubi plebs Mea fame perit, non adjuvatis.

Numquid talis est praedicatio, quam elegi?

Numquid Spiritus Domini non venit super Me, et evangelizare pauperibus misit Me?

Revertimini ad cor, filii Mei, et castis cordibus mundisque labiis purissima testimonia Mea nuntiate.

Quid vobis proderit sonitus laudis humanae, quae statim evanescit?

An a Me laudem majorem, si fideles praecones Mei fueritis, non accipietis?

Ne serviatis terrae principibus, sed Mihi, a Quo mercedem amplissimam recipietis.

Narrate simpliciter ac ferventer Nomen Meum fratribus Meis: in medio Ecclesiae, puris cordibus, laudate Me.

Gaudete libertate filiorum Dei, et salutem animarum, dum dies est, instanter operamini.

Praedicate cum fiducia regnum Meum, ubi reposita sunt vera gaudia vestra.

Proeliamini proelia Domini, et exemplo simul ac verbo urbis sanctae ruinas reparate.

Ego dabo verbum evangelizantibus virtute multa: ut mirabilia operemini, et post multiplicatam gentem,

ad sedendum cum principibus terrae viventium, victores ascendatis, et fruamini dulcissima pace Mea.

Caput XXI.

Hortatur omnes ad verbum Dei audiendum.

Audi, Israel, mandata vitae: auribus percipe, ut scias prudentiam.

Qui habetis corda ferrea, vel lapidea, percipite verbum Meum, quo emolliemini.

Qui habetis corda carnea, audite sermones Meos, et illustrabimini.

Beati servi illi, quibus dulcescit verbum Meum, quo nutriuntur, quasi lacte expresso ex uberibus Meis.

Erudiam eos secreta instructione suavissimi Spiritus Mei intus loquentis, et pacem dilectis Meis nuntiantis.

Non timebunt a timore nocturno tenebrarum interiorum, quia claritas Dei circumfulgebit illos.

Non supplantabuntur gressus eorum, quia super omnia vincit veritas, et firmabitur in illis fortitudo verissimi sermonis Mei.

Propter quod, qui desideratis bonis coelestibus abundare pace intima filiorum Dei propria frui, et per vias rectas ad patriam paradisi perduci, verbum Dei corporis et cordis auribus frequenter audite, et virtuti Dei latenter operanti cedite.

Cavete saeculi vanitatem, quae opera bona corrumpit.

Ne patiamini vos humana eloquentia, vel eruditione, vel novitate seduci; ut praedicatores talia dicentes potius, quam idoneos verbi ministros, et veros servos Meos humanae laudis contemptores audiatis.

Quaerite pietatem et compunctionem: coelestia desideria pura intentione requirite.

Verba simplicia, Spiritu Dei plena, et ad convertendas animas casto zelo prolata diligite.

Intermittite negotia temporalia, ut sine sollicitudine et evagatione mentis Me per Meos praedicatores loquentem corde promptissimo intelligatis.

Aperite sinus omnes animarum vestrarum, ut impleantur fortissima et suavissima virtute Mea, et fiat in vobis humilibus servis Meis mutatio dexterae Excelsi.

Si volueritis, et mansuetudine susceperitis insitum verbum Meum, quod potest salvare, et ineffabili consolatione implere animas vestras, convertam Ego captivitatem vestram in charissimam libertatem, et luctum in choros laetantium et exultantium a magnitudine bonitatis, et jucunditate visitationis Meae.

Vae mundo a scandalis: excoecatum est enim cor filiorum ejus, et aures eorum aggravatae sunt, ut videntes non videant, et audientes non intelligant verba vitae.

Certe sicut regnare patior hypocritam propter peccata populi: sic indignos praedicatores mundo permitto.

Vos ergo, filii, qui supplicium hoc grande timetis, quaerite magistros dignos, quorum doctrina pascamini et crescatis in salutem.

Egredimini, et abite post vestigia gregum vestrorum et eos ad salutaria pascua ducite, ubi herbae mortiferae non proveniunt.

Haec sit pia et Mihi accepta exercitatio vestra: cui Ego fideliter respondebo dulcissimo pastu, et aqua limpidissima reficiens animas vestras.

Caput XXII.

Monet omnes homines, ut frequenter in coelestem patriam suspirent.

Transit labor multitudinis, o filii Mei, et sine fine manet suavissima pax unitatis.

Saepe mutantur, et denique auferentur omnia tabernacula Jacob: sed in aeternum stabit mansio altissimae Sion, quae est habitatio Mea, et charissima patria vestra.

Existimate ergo, filii, vos peregrinos esse super terram spinas et tribulos germinantem: et nullis bonis apparentibus cor vestrum adhaerere sinentes, ad patriam vestram perenniter suspirate.

Terra, quam calcatis, inimicorum vestrorum regio est, ubi dolor et gemitus, et mors per peccatum regnant.

Quid igitur boni in ea colligere vultis?

Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus?

Vinea aliena est, ubi non valetis vindemiare, nisi botros amarissimos.

Beatus vir, quem erudierit Dominus, et de lege Sua docuerit eum.

Beatus, qui bene percepta eruditione Mea cognoscit calamitatem vitae praesentis, in quam per peccatum et lacrymas introivit, et ad statum vitae beatae, quasi de profundo aquarum multarum fortissime clamat.

Terra enim viventium, ad quam per labores et pressuras ascenditur, fertilissima est, et fructus dulcissimos habet.

Ibi serenissima coeli facies nullis nebulis offuscata resplendet.

Ibi suavis valde aura divini Spiritus Mei viscera justorum exhilarat.

Laetatur tota Jerusalem, et conventum faciunt omnes, qui ardentissime diligunt eam, et omnes moestitias praeteritas infinita consolatione compensant.

O charissimi filii Mei, quam inaestimabilia sunt gaudia Mea!

Surgite, qui tristes jacetis et in plateas.

Urbis, quae dicitur, Pacis visio, cogitatione saltem ascendite, multisque affectibus amoris inter choros canentium conversamini.

Utinam nomen civitatis Meae exaretur non certe stylo ferreo in plumbi lamina vel dura silice, sed in libro cordis vestri digito Spiritus Mei, qui docet secreto ineffabilia mysteria Mea.

Elevate capita vestra, filii Adae, et serenitatem coeli, quod extendit sicut pellem per intervalla saltem contemplamini, ut spiritus dirigatur in atria Mea, et amore ferventissimo deficiat.

Projicite a vobis jugum servitutis, qua sine requie laboratis: et ad privilegia domus Meae innumerabilibus cordis ascensionibus aspirate.

Haec sit perennis cogitatio et sollicitudo vestra, quae omnem mundi consolationem excludat, et corda clamantia, ex longo itinere fatigata refrigeret.

Aspicite e valle lacrymarum verticem montis sancti Mei, et quasi pedibus servorum ad ejus summitatem properate.

Et Ego vos currentes comitabor, et genua trementia roborabo: et implebo viscera vestra torrente purissimae voluptatis Meae.

PARS V.

Ubi agitur de iis, quae movent ad amorem Dei.

Caput I.

Quanti ponderis sit amor Dei.

Primum et maximum mandatum dulcissimae legis, quae est propria novi testamenti Mei, in amore summo positum est.

Ratio quippe postulat, charissimi filii, ut summum et incommutabile bonum summo amore diligatur.

Quod si bene consideretis, apparebit oculis cordis vestri infinita dignitas majestatis Meae, immensa bonitas et suavissima pulchritudo formae Dei, quae amorem fortissimum excitabit.

Invenietis enim thesaurum divinae bonitatis absconditum in terra purissimae carnis Meae, et corda vestra tantae consolationis magnitudine convicta cognoscent, inaestimabiles esse divitias amoris Mei.

Certe si sciretis, quanta sit divinae dilectionis altitudo, profunditas et longitudo; cito relinqueretis omnia mundi bona, et pateremini omnia mala, ut pacifici Regis, Cujus vultum deprecantur omnes divites plebis, amore inflammaremini.

Per amorem infiniti decoris Mei accedit homo ad cor altum, cujus ascensionibus exaltatur Deus.

Amor Meus melle dulcior et auro obrizo pretiosior cor elevat; ut arbitretur omnia, quasi stercora, et Me solum vitam et fortitudinem suam avidissime lucrifaciat.

Amor tanquam ignis non comburens, sed illuminans,

figit in solo decore Meo desideria cordis peregrini atque solliciti, faciem Meam sine fine requirentis.

Beati amici Mei, quorum totum opus dilectio est, quorum casta corda nutrimento amoris aluntur: mirabili quippe transformatione mutabuntur in Me.

Ego ero tota illorum salus et voluptas, nec patiar illos diverti ab amplexu Meo.

Erunt quasi catuli leonis, quos dulcissimo somno accubantes nemo suscitare audebit: Ego enim praecipiam, ne suscitentur, donec ipsi velint.

Vigilavit cor eorum dormientium aeterna vigilia charitatis, sollicita praecordia ad amorem impellentis.

Haec est pars quaerentium Me et vendentium omnia bona sua pro primogenita dilectione Mea.

Propter quod, dilectissimi filii, non deberetis permittere somnum oculis vestris, et palpebris vestris dormitationem, donec inveniretis pretiosissimum amorem Meum multis laboribus exquisitum ad fabricam ferculi Salomonis; qui media ferculi suavissima charitate cupit ornare propter filias Jerusalem.

Haec meditamini, filii, et totis visceribus corda vestra Mihi praeparate, ut amore vestro allectus recliner in eis, tanquam sponsus in thalamo suo.

Caput II.

De sapientia Christi.

Parva illa sapientia, quam homines inter tenebras ignorantiae in scholis discunt, eos apud alios homines adeo mirabiles et amabiles facit, ut eorum gratiam captare, et secum habere etiam principes terrae curent.

Quid ergo facere deberetis, filii, erga Me, in Quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei?

Et Ego altissima sapientia ab initio, et ante saecula creata sum; intuituque Meo omnia Dei opera et omnia inenarrabilia Dei secreta contemplor.

Ego numero arenam maris et multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina voco.

Ego numero guttas aquae maris, et profundum abyssi penetravi.

Ego cum Patre et Spiritu Meo feci coelum in intellectu: et certa lege ac gyro maris undas vallavi, ne transirent fines suos.

Omnia composui in numero, pondere et mensura, vocans ea, quae non sunt, sicut ea, quae sunt, lustrans omnia limpidissimis oculis Meis.

Ego comprehendo sapientes in astutia sua, neque est, qui se abscondat a conspectu Meo.

Ego abscondo ineffabilia mysteria divinitatis et humanitatis Meae mundi sapientibus et prudentibus; et revelo incerta et occulta Mea parvulis, ut non glorietur coram Me omnis caro.

Beatus, qui audit Me, et vigilat ad fores Meas quotidie, et observat ad postes ostii Mei.

Qui Me invenerit, inveniet immortalem et dulcissimam salutem a Domino.

Si ergo sapientiam aestimatis, filii, Me sapientiam aeternam totis viribus fortissime diligite, et splendorem Meum sole clariorem, suavitatemque Meam omnibus mundi voluptatibus majorem die nocteque requirite.

Ascendite multis cordis erectionibus ad secretam

scholam sapientiae, ubi cum mundi contemptu gustetis saporem Meum.

Orate viriliter et pulsate, ut aperiantur oculi vestri ad videndam lucem formosissimam, cujus comparatione non splendent astra matutina.

Sanctificamini, et estote parati, ut ascendentes ad Me illuminemini, et seraphicis flammis ardeatis.

Interim vero, dum solo auditu accipitis famam sapientiae, quae homini thesauro amabilior est, sinite vos trahi post Me, et amoris gressibus ad Me cupidissime properate.

Ego vos fideles servos Meos in abscondito docebo mirabilia magna, et implebo spiritu sapientiae, et intellectus casta et humilia corda vestra.

Caput III.

De nobilitate Christi.

Adorant homines nobilitatem generis, incredibili ejus amore capti, quasi splendor quidam humanae conditionis sit.

Gloriantur antiquitate paucorum dierum, et rebus gestis majorum suorum ipsi superbiunt: et tamen ob solam haereditariam nobilitatem amantur, et in admiratione habentur.

Si ergo cor hominis tam facile trahitur amore nobilitatis, quale consilium est, Me, Qui sum Ipsa nobilitas, non amari?

Ego sum antiquus dierum, claritas Ipsa et candor lucis aeternae, quae nullis nebulis obscurari potest.

Sum Altissimi Filius, ante Quem non est formatus Deus.

Sum clarissimum lumen de lumine, a Quo splendor omnis creatus derivatur.

Nihil est in Me, quod non sit excelsum et splendidum: nihil, quod rege clarissimo non sit dignum.

Nulla obscuritas, nulla culpae nota, nulla reprehensio vel in Me, vel in operibus Meis unquam inventa est.

Non habeo Ego insignia nobilitatis, qualia homines ex leonibus vel aquilis assumunt, ut significent animorum magnitudinem vel fortitudinem: Ego enim sum ipsa magnitudo et fortitudo, quae non ornatur extrinseco apparatu.

Ego feci, ut oriretur in coelis lumen indeficiens: Ego aethera firmavi sursum, et libravi fontes aquarum.

Ego quando carnem vestram e stirpe regia assumpsi, percussi sicut vulneratum superbum, mortem occidi, infernumque momordi.

Ego eduxi vinctos de lacu, in quo non erat aqua, in sanguine novi testamenti Mei: et portas aereas vectesque ferreos in brachio excelso confregi.

Ego alligavi fortem armatum, et spolia ejus diripui: gloriosissimoque triumpho ascendens in altum captivam duxi captivitatem.

Omnia opera Mea, distincta sapphiris quasi coelestibus signis, divina nobilitate clarescunt.

Considerate, nunc, filii, quam sim amabilis ex hoc capite nobilitatis, sive naturam divinam, sive humanam, sive gesta Mea contemplemini: ut Mihi totis visceribus adhaerere, et a Me nunquam separari studiosissime curetis.

Si feceritis, quae praecipio vobis accedentes ad Me

illustrabimini coelesti nobilitate Mea, quae omnem infamiae indignitatem maculamque detergit.

Induam vos purpura ardentissimae charitatis, et abysso purissimae innocentiae Meae: ut inter patritios Jerusalem, qui vestiuntur croceis, numeremini, et ornatu regio honestati splendoribusque Sanctorum amicti in aula Regis pacifici, Cui serviunt omnia corda nobilia in coelo, et in terra, altissime conversemini.

Caput IV.

De liberalitate Christi.

Certissimum vobis est, Adae filii, in liberalitate principum magnum pondus amoris esse.

Non enim puro illorum intuitu, sed lucri aut commodi vestri respectu servitis duram servitutem.

Jam ergo, si lucra sectamini sicut mercatores, qui quaerunt, quae sua sunt; vel hac ipsa ratione diligite Me, et mandata Mea fidelissime servate.

Ego enim sum Dominus universorum, Cujus thesauri exhauriri non possunt.

Meus est orbis terrae et plenitudo ejus, recensui omnia volatilia coeli, et foecunditas agri Mecum est.

Ego facio pinguescere speciosa deserti, et repleri facio ubertate.

Ego Altissimus divido gentes, separoque filios Adam: et assigno illis terram in mensura, in funiculo distributionis.

Omnia a Me exspectant, ut dem illis escam salutarem in tempore, et mittam optatam saturitatem in animas eorum.

Et sive honor, sive utilitas, sive voluptas requiratur, Ego super omnes reges terrae ditabo et delectabo, et honorificabo fideles amicos Meos.

Legite, filii, attente dulcissimas scripturas Meas, et recolite suavissimum Evangelium novi foederis Mei: et mirabimini liberalitatem Unigeniti filii Dei cum hominibus conversantis.

Quis unquam hominum rogavit Me, super quo non commoverentur viscera Mea: ut donarem, quae postulavit, vel meliora, quam sciret postulare?

Curavi languidos eorum: mundavi leprosos eorum, suscitavi mortuos ipsorum: pavi turbas populorum: et quod summum est, ad unum suspirium dimisi gravissima debita peccatorum: quid ergo est, quod corda hominum nimis avara non capiuntur infinita liberalitate Mea?

Usquequo non bene sentient de Me filii Adae, et saltem ob munera Regem Jerusalem non amabunt?

Ego subjeci omnia sub pedibus vestris, ut non solum terra, sed et sol, luna et coeli coelorum, opera digitorum Meorum, servirent vobis, paratus, si haec parva vobis videantur, dare quoque majora: quare ergo non movemini muneribus, et diligitis amplissimas opes vestras?

Filii Mei, duri corde, resipiscite, et infinita liberalitate Mea emolliri vos sinite: nam et ferae hac lege mansuescerent.

Sequimini Me, et cultum magni Nominis Mei fiduciae principium mortalium anteponite: et Ego faciam vobis in Israel domos absque tributo.

Multiplicabitur haereditas Domini: et confecto vitae cursu ascendetis ad Me de terra deserta, divitiis et castissimis deliciis affluentes onerati spoliis dulcissimae charitatis Meae.

Caput V.

De pulchritudine Christi.

Experimento cognovistis, charissimi filii, nihil esse amabilius pulchritudine; habet enim ea vim quandam admirabilem, qua efficaciter et suaviter corda capit.

Huic omnes principes terrae sponte serviunt, etsi potentes et fortes sint: quia fortior est pulchritudo.

Cum ergo Ego Unigenitus Dei Filius decorem indutus sim, et nihil in Me inveniri possit, quod amabilissimam et infinita suavitate praestantem formam non deceat; mirum est, quomodo universi homines Me non ardentissime diligant et fortissime adhaereat anima eorum post Me.

Sum candidus et rubicundus, electus ex millibus et summis desideriis non solum a filiabus Jerusalem, sed a virginibus Tyri expetitus, propter absolutissimum decorem et honestatem Meam.

Filiae regum in honore Meo Me studiosissime requirunt: et mobilior christiani populi pars, quae puellis speciosissimis et adolescentibus forma elegantissima praeditis constat, cum alto mundi contemptu Me secuta est.

Non enim solum forma Dei, qua spiritus beati animaeque gloriosae capiuntur, sed forma hominis, quam pro vobis assumpsi, dulcissima pulchritudine, corda casta suspendit, et omnem mundi gratiam contemptibilem facit.

Si semel aspiceretis, filii, candorem purissimum corporis Mei, quo vestri oculi corporei in civitate primogenita delectanti sunt; dicto citius sperneretis omnem carnis venustatem, quae filiis hujus saeculi super divitias et honores amabilis suavisque videtur.

Omnia corda decor ille vultus Mei, quem reginae cupierunt, emolliret, et vel uno oculorum Meorum viscera vestra vulnerarem.

Cogitate, si valetis majestatem Meam, et staturam illam assimulatam palmae, quae eminet super choros Angelorum, dum Filius hominis, speciosus forma, sedet a dexteris Dei.

Extollite corda in spectaculum illud, quod post labores et sudores inaestimabili cum voluptate visuri estis, ut laetemini et satiemini castissimis deliciis Meis.

Quid moramini, filii? curritis post Me tracti ineffabili gratia et suavitate Mea?

Detestamini consortia filiorum Moab, et Sidoniarum connubia prohibita vitate, diligite serenitatem coeli, et formam Meam candidissimam et splendidissimam, qua nihil dulcius et delectabilius cogitari potest, seraphicis ardoribus amate.

Et Ego coelo serenior et sole formosior ero deliciosissima praeda vestra.

Caput VI.

De suavitate communicationis Christi.

Suavitas conversationis, filii charissimi, studiosissime desiderari et amari solet: et haec ratio est, ob quam homines quantumvis deformes in magno pretio habentur.

Trahunt enim dulcedine mirabili alios, dum loquuntur et cum eis versantur, quod experientia notissimum est.

Si ergo haec est hominum conditio, qui est, quod Me, Cujus conversatio melle dulcior est, paucissimi filii Adae requirunt.

Ego mitissime recipio omnes venientes ad Me: et a saeculo non est auditum, quod aliquem Mihi adhaerere cupientem repellerem, vel importunitate molestarer.

Ego cum infinita lenitate tracto, quos recepi, et illos benignissime recreo.

Ego dum loquor eis ad cor, statuo procellas eorum in auram et tristitiam omnem converto in intima et purissima gaudia Mea.

Diffusa est enim gratia in labiis Meis, quorum melle et lacte arida quoque ossa rigantur, et pene mortua, laetissima vivificatione resurgunt.

Ego fessis labore amicis Meis pono laevam sub capite inclinato, et circumducta dextera amantissime amplector illos, ut humiles et pauperculos adstringam visceribus Meis.

Utinam homines saperent et intelligerent magnitudinem dulcedinis, quae percipitur in secreta communicatione Mea.

Certe nollent amicos illos, vel consanguineos habere; sed toto corde suo suspirarent ad Me, omnisque illorum sollicitudo esset, ne forte projicerem eos a formosissima facie et dulcissima conversatione Mea.

Interrogate, filii, eos, qui vel semel tantum Mecum conversati sunt secreto Meo, et videbitis, quibus flammis ardeant, et quoties aspirent ad praegustatam consolationem, cujus comparatione omnia mundi delectamenta vilescunt.

Uno enim verbo soleo Ego animarum perturbationem inferno similem sedare; unoque similiter verbo multorum annorum pressuras abundanter compenso.

Vox dilecti viscera dilatat, et coelesti delectatione replet.

Jam ergo, filii Mei, respuite hominum communicationem, et altissimo Filio totis visceribus intentissime vacate.

Quaerite lectulum Salomonis, et domum odoratam, cujus ligna sunt cedrina, et laquearia cypressina: et spretis hominum oblectamentis, diligite Me, et percipite, clauso cubiculo, purissimas delicias absconditae amicitiae Meae.

Caput VII.

De amore Christi erga homines.

Tanta est, filii charissimi, magnitudo amoris Mei erga vos, ut haec sola potens sit ad corda ferrea mollienda.

In charitate perpetua dilexi vos usque in finem, ita ut amor non posset ultra procedere.

Dedi pro vobis, factus redemptor et frater vester, omnem substantiam domus Meae: et quasi nihil despexi eam, quando in civitate regia et sacerdotali operatus sum pretiosissimam salutem vestram.

Beatus, qui intelligit divitias charitatis Meae, quia cognoscens se amore Meo gratis praeventum, in lacrymas dilectionis resolvetur a fortitudine caloris Mei.

Dicite Mihi, filii, quantus amor fuit ille, qui Me e sinu clementissimi Patris Mei ad rusticitatem vestram descendere fecit, ut essem tanquam malus dulcissimi fructus inter acerba ligna sylvarum?

Quis unquam audivit talia, ut altissimus Dei Filius, Cujus aspectu sol obscuratur, et a Cujus magnitudine Seraphim velant facies suas, fieret sacerdos hominum secundum ordinem Melchisedech?

Quis ab initio mundi cogitasset ardores aeternos, quibus arserunt viscera misericordiae Dei vestri, in quibus visitavit vos oriens ex alto?

Usquequo non mitescent, filii Mei, infidelia corda vestra?

Postulate quidquid honestum est, si amor Meus, quem tot laboribus et muneribus ostendi, non emollit animas vestras, quid enim negabitur vobis, pro quibus Unigenitus Dei Filius homo et amicus hominis factus est?

Quomodo obscuratum est aurum puri amoris Mei, qui jam non invenitur in terra, quam dedi filiis hominum, qui recesserunt a Me?

Fuerunt olim multi chori canentium canticum Regis pacifici, et cupientium fortissime adhaerere Mihi ligati funibus prioris charitatis Meae: Nunc vero raro valde unus e multis millibus requirit, ut par esset, formosissimam lucem et suavissimum praesentiam Meam.

Ego vos deformes, abjectos et ingratos amavi, et pro vobis sacrificavi dilectam animam Meam: quare ergo Me decorum supra omnem mundi pulchritudinem, excelsissimum supra omnem mundi gloriam, humanissimum supra omnem mundi mundanorum regum clementiam non amatis?

Convertimini saltem nunc ad Me, et deposita cordis feritate mitescite: ut amor, qui omnia vincit, pectora vestra hucusque frigida et obdurata vitali calore dulcissimi Spiritus Mei et inaestimabili delectatione commoveat.

Caput VIII.

De amoris munere, quod est beatissima Virgo.

Duri nimis estis, Adae filii, si filia Sion et prudentissima Virgo, quae genuit Me, ad morem Meum non inflammat pectora vestra.

Quid enim non donavi vobis, quando speciosam sicut columbam, et formosam sicut Jerusalem constitui mitissimam Reginam et matrem vestram?

Candor ille purissimus, in quo lucet innocentia Mea, quale saxum non emolliat?

Aspicite, coeli, Dominam, rubentem super flores rosarum, candidamque super lilia convallium, et admiramini pulchritudinem illam, quae totius urbis sanctae corda delectat, et quasi fluminis impetus laetificat civitatem Dei.

Et considerantes, vos esse adoptatos in charissimos filios ejus, ac delectissimos fratres Meos; amare ac desiderare Me tandem incipite.

An oculi illi misericordes, ad labores vestros semper conversi, purissima castitate et amoris suavitate praestantes, animas vestras non commoveant, et ad auctorem tanti boni non convertant?

Ascendite ad Me per scalam istam dulcissimae charitatis gradibus constructam: ut Mihi per illam conciliemini.

Considerate, quantum apud regem Salomonem gratia valeat nive candidior ejus genitrix, quae adstitit a dextris ejus in vestitu deaurato, et tam ineffabilem decorem totis visceribus medullisque diligite.

Haec est mater nostra, dicite, per quam accessum habemus ad primogenitum Filium ejus.

Ascendamus in palmam, et colligamus suavissimum fructum, quo nutriamur et exultemus a botris infinitae consolationis ejus.

Odoramini, filii Mei, cinnamomum et balsamum, cujus odore delectemini, et ad puros amoris Mei affectus afficiamini, tracti catena dilectionis e Reginae Sion pulchritudine nascentis.

Si tenerrimae genitricis Meae forma capiamini, per eam similitudine introducemini ad divinum decorem Meum, in Cujus aspectu luminaria coeli magna tenebrescunt.

Beati eritis, filii, si filiam principis per plateam Jerusalem incessu gravi gradientem, post quam multa millia virginum lilia gestantium Regi afferuntur, contemplari et amabilissima ejus gratia trahi curetis.

Ibi enim Me tanquam in speculo purissimo lucentem videbitis: quod a vobis posco, charitatis meae jaculis vulnerati amabitis, et ardebitis inextinguibili ac dulcissimo incendio castissimi amoris Mei.

Caput IX.

De perfecto discipulo Christi.

Ille perfectus Meus discipulus est, charissimi filii, qui abnegato proprio judicio, nihil se scire existimans, mitissimo corde versatur in schola Mea, audiens, quid loquatur in ipso Dominus Deus, et certo confidens, quia loquetur pacem in plebem Suam.

Non disputat, nec speculatur; sed pro omni ratione fortissima sufficit ei voluntas Mea, in cujus executione disciplina pacis posita est.

Non ratiocinatur, nisi quod necessarium est, donec agnoscat, quid velim Ego: et statim redigit in captivitatem intellectum omnem, sapientiam suam constituens in simplici adimpletione dulcissimi mandati Mei.

Sic Ego amore infinito protego eum, et per terram desertam deduco, quemadmodum deduxi, sicut ovem, Joseph.

Neque desiderari potest major prudentia in homine, qui ignorat, an odio, vel amore dignus sit, et nescit finem suum, quam humiliter audire Me: neque rationem mandatorum Meorum requirere, sed fidelissima obedientia obtemperare Mihi.

Ego enim erudio casta et humilia corda, tanquam singulorum paedagogus.

Constituit quippe Me clementissimus Pater Meus Dominum domus Suae: ut erudirem non solum principes terrae, sicut Memetipsum, verum etiam, ut juvenes et senes ejus pauperes et abjectos ejus prudentiam docerem.

Beatus, cujus Deus adjutor et magister est: jactabit enim pondus suum in Eum, et confidet, quasi leo, ac viam mandatorum Meorum pace multa percurret.

Abjicite ergo, filii, doctrinas hominum, quae ad aeternitatem non proficiunt: et instructionem Meam toto corde percipite.

Vacate et videte, quam suavis sit dilectio et sapientia Mea: et ad prudentiam justorum discendam furtivis horis vos mundo subtrahite, ejusque negotiatores pia fictione seducite.

Ego veniam cito rationem ponere cum servis Meis: et sedebo conflans et emundans argentum, purgaboque filios Levi, quorum haereditas, studium aeterni ac summi boni, et melle dulcior dilectio est.

Praecingite lumbos purissima castitate, et lucernas accensas cordis vigilia tenentes, estote parati, occurrere Mihi: et recipietis coronas candidissima luce splendentes, ut inter principes terrae viventium honoremini, sedebitis Mecum ad lautissimam et dulcissimis epulis instructam mensam Meam: et dabitur vobis a labore mortalitatis requiescere in deliciosissimo thalamo sempiterni amoris Mei.

CONCLUSIO.

Adspirationes et suspiria pro vero ac puro Dei amore impetranda.

Pacifico Regi cordium Jesu Christo exul homo!

Mitissime et amantissime Jesu Christe! Qui cordium regnum factus homo comparasti non ferro, sed ligno: scio, quid a me jure strictissimo requiras per legem immaculatam, et convertentem animas, propriam novi et aeterni testamenti Tui.

Postulas enim primo ac dulcissimo mandato legis Tuae, ut diligam Te ex toto corde, tota mente, tota anima, ex tota fortitudine mea.

Omnes quippe vires meae debentur infinitae bonitati et decori Tuo.

Bene est, o Fili Dei altissimi, ut vinculis caritatis et funiculis Adam velis adstringere me, creaturam Tuam, inter filios alienos, Tuis inspirationibus tam saepe rebellem.

Nunc autem magni mandati Tui desiderio ductus, et cordis mei ad peregrinas voluptates inclinati fragilitatem cognoscens, prosterno me Tibi in Ecclesia Tua, et pulso magnam misericordiam Tuam, ut hyssopo aspersus, mundus et super nivem dealbatus charitatis gressibus et brachiis sequar, et amplectar Te.

Recordare, dulcissime Fili Dei, Cui suspirant viscera mea, me unum esse de parvulis, qui ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis, et Te Redemptorem esse, Cujus est solvere compeditos.

Oro igitur, o Mansuetissime, solve me.

De profundis cordis mei, o benignissime, clamo ad Te, ut hominem de immundo conceptum semine mundum facias: nec sinas in amoris causa seduci, et pro summo decore Tuo mundi decorem apparentem affectare.

Sollicitum cor meum Tibi Soli pateat, conditori suo: et Tu, Qui Solus es omne bonum, expleas omnes sinus ejus, et in aeternum domineris illi.

Animadverto, o Fili Dei formosissime, praesenti et fallaci carnis gratia vehementer affici parum castos sensus meos, et ad amabilissimam formam Tuam, quod absens sit, lente nimis aspirare; ardentissime igitur obsecro Te, suavissime Deus, per cor fidelissimum intemeratae matris Tuae, ut auferas a me amorem vanissimum corporeae pulchritudinis, et me totum transferas ad purissimum amorem decoris Tui.

O serenissime candor cordis mei, ne projicias me a facie Tua, et a fallaci creaturae gratia, ut pupillam oculi, custodi me.

Sordeat mihi, rogo Te, figura mundi, quae praeterit, et post immortalem pulchritudinem Tuam, in odorem unguentorum Tuorum trahe me.

Illabere, precor Te, in penetralia cordis mei: et imprime mihi, servo Tuo, dulcissimam atque laetissimam formam Tuam.

O pulchritudo majestate plena, quae amorem immensum in corda Tibi patentia infundis, tantummodo in ista voce exaudi me.

Ne patiaris, o suavissime Sponse animae meae, cor meum, quod non valet invenire pascua sua, aeterna

fame torqueri: sed dum in exilio versor, doce me viam rectam, quae perducat me in optatissimam requiem formae Tuae, ut pascar dulcissimo pastu praesentiae Tuae.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem filiarum Madian, quae me divertunt a perpetua recordatione formosissimi vultus Tui, cui filiae Sion purpura vestitae consecrarunt praecordia sua: et redime me a calumniis et fraudibus filiorum Adae, qui verum Deum meum cum diis alienis tristi mercatura commutant.

Tu Solus ductor meus, et custos cordis mei sis: ut exardescam siti solius bonitatis et decoris Tui, et fortiter repellam quidquid obstat sincerissimo amori Tuo.

Illustra faciem Tuam super cor anxium servi Tui: ut capiatur specie Tua et pulchritudine Tua, quam corda casta requirunt.

Ne repellas, altissime Deus cordis mei, animam meam satagentem, et acutissimis gemitibus coelos Tuos penetrare conantem, ne forte, virtute ejus deficiente, foedus ineat cum Chaldaeis, et obliviscatur dulcissimam Jerusalem, quam requiro.

O vitalissima formosissima fortitudo animae meae, ne contemnas cupientem adhaerere Tibi, et amoris aeterni Tui facibus inflammari: et immolabo Tibi primogenita suspiria mea, et adhaesura Tibi semper viscera mea.

Accelera, precor Te, o pretiosissima haereditas, et praeda mea, et sensus meos visco carnis impeditos erue cito de luto faecis: ut impollutis affectibus exquirant Te melle dulciorem pastum suum, et exspectatissimam consolationem suam.

Libera me jam de sanguinibus, amabilissime Deus salutis meae, et spiritum rectum et castum puri amoris Tui innova in visceribus meis: ut flante hoc austro Tuo creer, et renovetur facies aridae terrae meae.

O sapientia, quae ex ore Altissimi prodiisti, Cujus inaestimabili suavitate dura corda liquescunt: influe, oro Te, in sicca nimis ossa mea, et liquefac intimas et Tibi Soli notas medullas meas.

Per amoris foedera, quae fidelissime servas, nobilissime Rex Sion montis sancti Tui, obsecro Te, fac me servum emptitium, aut bello captum tenerrimi cordis Tui: ut perenniter serviam Tibi, et libera servitute dilectionis requiram infinitam bonitatem et serenissimam faciem Tuam.

Tibi dixit cor meum: exquisivit Te facies mea, faciem Tuam, Domine, requiram.

Quocirca, rogo Te, o speciosissime forma prae filiis hominum, numeres me in generatione casta, quaerentium faciem splendidissimam Dei Jacob.

Ure, Tibi supplico, o amantissime Fili Dei, renes meos et cor meum igne Tuo, et repurga a faecibus animam meam, ut sine consorte ullo possideas lacte ablutam praedam Tuam.

Curre velociter, o hinnule cervorum, et expetita valde salus mea: et eripe me de manu filiorum alienorum, a studio divini amoris Tui alienare quaerentium animam meam: et fac, ut in concilio justorum et congregatione reddam Tibi primitias cordis mei.

Inclina cor meum praesentiae Tuae cupidissimum in desiderabilia super aurum, et examinata sicut ar-

gentum, ac dulciora super mel et favum testimonia Tua, et fac me diligere amore praegnantem, et immaculatam legem dulcissimae charitatis Tuae.

Perfla hortum meum, cujus flores languent, Spiritu vitali Tuo: ut fluant aromata illius prae subitanea liquefactione suavissimae dilectionis Tuae.

Convertere aliquantulum, o purissimum speculum vultus mei, et fac mihi copiam voluptate plenam praesentiae Tuae: et in ara cordis mei, quae fumat Tibi, ineamus foedus sempiternum honestissimae ac delectatione divitis dexterae Tuae.

Emitte formosam valde manum Tuam de alto, ut sollicitet amoris stimulo viscera mea: et fac, ut exul fleam, et suspirem ad patriam meam, et redire curem ad Te, optatissimam et pretiosissimam libertatem meam.

Considera, oro Te, o immensa opulentia mea, egestatem animae meae modicam aquam pretio comparantis, et in deserto, ubi non est charitatis habitatio per loca horrida aberrantis: et refrigera linguam meam, ac deduc me in civitatem habitationis, quae construitur aeterna dilectione Tua.

Cesset jam, o Mansuetissime, indignatio Tua, ad quam provocavit ingratitudo mea: quiescat ira dulcissimi cordis Tui, ubi nidum invenire cupit haec vaga columba animae meae: et vocabo Te summam consolationem meam, et Sponsum electissimum, Cui reddam conjugale debitum cordis mei.

Certior factus sum de fidelissimo erga me amore Tuo, Unigenite Fili Dei: et ideo non tam quaero, ut ames, quam ut ardentissime ameris a me, ingratissimo

servo Tuo, quem a dura captivitate redemisti pretio magno nobilissimi sanguinis Tui.

Seda, precor, jam multis procellis passionum et tentationum agitatam animam meam, Qui circumdas mare terminis, ponisque vestes et ostia dicens: Hucusque venies, nec procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

Et per brevem saltem requiem, omnibus viribus meis convenientibus in unum validissime amabo Te, suavissimum Deum meum, et e multis millibus electum amicum meum.

Faciamus jam pactum dilectionis permansurae, o fortissime: ut sicut charitate perpetua dilexisti et attraxisti me, ita ego dilectione perenni requiram et attraham Te, infinitum decorem meum.

Ingenera mihi celeriter, o amator invictissime, magnitudinem cordis amoena et amabilia omnia respuentis propter Te: ut exultem, sicut gigas, ad currendam viam, donec requiescam in Te.

Arma me, o robustissime, viribus amoris Tui omnia ad se trahentis, et lapidea corda in carnea convertentis, ut fortis fiam fortitudine Tua, et fiam misericors a teneritudine et suavitate Tua.

Conflamma, o sapientissime, quasi aurum, et scoriam veteris Adae, patris mei, consume igne sapientiae Tuae: quae mirabili mixtione pascit incendium Tuum, flumine vivo, cum impetu decurrente e penetralibus dulcissimi cordis Tui.

Insculpe, o potentissime, duro nimis cordi meo elegantissimam et sereno coelo simillimam praesentiam

Tuam, additis quoque multis vulneribus per jacula charitatis Tuae: et largo potu dulcedinis Tuae recrea jam laesa et Tibi suspirantia viscera mea.

Deterge, o serenissime, nebulas oculorum meorum in saeculi nocte caligantium, nec lucem formosissimam vultus Tui videre valentium, ut capiar decore Tuo, et sempiternis ardoribus exquiram formam Tuam.

Haec sit secreta prudentia et fortitudo mea.

Hic sit potus, et esca mea, et nutrimentum cordis mei.

Accipe amanter, o amabilissime candor lucis aeternae, haec vota et suspiria mea, quae in atriis domus Tuae et in medio suavissimae Jerusalem sacrificavi Tibi: et excita seraphicos affectus in avidissimo decoris Tui corde meo: ut nihil unquam quaeram, nisi placere Tibi et adhaerere dulcissimae animae Tuae.

O. A. M. D. G.

Loquere, Domine!

qui audit servus Tuus!

Adlocutiones Jesu Christi

ad cor hominis

ex

divinis Scripturis depromptae,

cum quotidianis precibus;

in

Clericorum et Saecularium usum editae

a

M. A. Nickel,

S. Theologiae Doctor et Canonicus capitularis Ecclesiae cathedralis moguntinae.

TOMUS II.

Schola Jesu Christi.

Editio secunda.

Francofurti ad Moenum. 1855.

Typis et Sumptibus Joannis Davidis Sauerländer.

Praefatio.

„Magister vester unus est: Christus."

Schola Jesu Christi, in quam te, christiane lector, erudiendum in justitia, ut perfectus fias homo Dei, ad omne opus bonum instructus, venerabilis vir Dei, Joannes a Jesu-Maria, Carmel. discal., hisce sequentibus paginis saeculo jam praeterlapso introduxit, et nos de novo nunc introducimus, haec schola, inquam, sicut et regnum Ejus, non est de hoc mundo.

Atque ita pauci illi mites et humiles corde discipuli Ejus non sunt habitatores hujus mundi: sed vacant sapientiae, quae de coelo est, suspirantes ab exilio, et in pacem a militia, quae est vita hominis super terram.

Esuriunt et sitiunt justitiam, quam cupidissime discunt in schola mitissimi magistri sui; Qui factus est eis justitia, et sanctificatio et plena consolationis redemptio de captivitate durissima vitiorum et passionum, quarum servitutem serviunt reges terrae alligati in compedibus, et nobiles ejus in manicis ferreis.

Ex hac ergo servitute liberantur in schola Redemptoris sui, et per studium virtutum coelestium acquirunt libertatem filiorum Dei, Qui elegit eos ante mundi constitutionem, ut essent sancti et immaculati coram Eo.

Exuunt veterem hominem cum actibus suis, et in-

duunt novum facti nova creatura per spiritum rectum, qui innovatur in visceribus eorum.

Ex quo fit, ut reformentur anima et corpore, et configurentur animae et corpori Salvatoris sui, Qui venit mutare prava in directa, et aspera in vias planas, ut purgatis oculis cordis videant salutare Dei.

Haec sunt mirabilia, quae operatur Magister aeternae vitae in schola Sua, hoc est, in congregatione Justorum.

Hujus tractatum distinxit vir Dei, Johannes a Jesu-Maria, in septem partes:

Harum prima est de perfectionibus scholae Jesu Christi.

Secunda de proprietatibus discipulorum Jesu Christi.

Tertia de mortificatione passionum, quae discitur in schola Jesu Christi.

Quarta de exstirpatione vitiorum, quae fit in schola Jesu Christi.

Quinta de, exercitio virtutum, quae discuntur in schola Jesu Christi.

Sexta de usu donorum et gustu fructuum Spiritus sancti, et beatitudinibus, et gratiis gratis datis, quae sunt in schola Jesu Christi.

Septima de reformatione sensuum et potentiarum animae, quae acquiritur in schola Jesu Christi.

Haec meditare, lector, et reconde disciplinam Filii Dei in penetralibus cordis tui; et certissime in optimam mihi interpretaberis partem, recudi, quod curaverim post primum: „De Prudentia Justorum," et hocce praeclarum opus Joannis a Jesu-Maria, Ordi-

nis Carmelitarum Discalceatorum, Congregationis St. Eliae, olim Praepositi generalis, cujus laudem recensere supersedeo hoc solo testimonio, quod eum inter et venerabilem Cardinalem Robertum Bellarminum intima animorum exstiterit conjunctio. Ut in priori jam tomulo harum meditationum et in hoc secundo quotidianas adjunximus precationes in usum Clericorum et Saecularium, ex sacra potissimum excerptas Scriptura; quia, ut ait St. Cyprianus: „Amica et familiaris est oratio, Deum de Suo rogare."

Moguntiae, die 9 Junii 1844.

Ante Orationem.

In Nomine † Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Aperi, Domine! os meum, ad benedicendum Nomen sanctum Tuum; munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus; intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente ac devote has preces recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinae majestatis Tuae! Per Christum, Dominum nostrum. Amen.

Domine! in unione illius divinae intentionis, qua Ipse in terris laudes Deo persolvisti: has Tibi preces persolvo.

Post Orationem.

Sacrosanctae et individuae Trinitati, crucifixi Domini nostri, Jesu Christi, humanitati, beatissimae et gloriosissimae semperque Virginis Mariae foecundae integritati, et omnium Sanctorum universitati: sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum per infinita saecula saeculorum. Amen.

Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium:

Et beata ubera, quae lactaverunt Christum, Dominum. Amen.

Preces matutinae.

Expergefactus dic:

In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illu-

minabit te Christus. Hora est, jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus.

Consurge; lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad Eum manus tuas.

Vestes induturus, teipsum exhortare sequentibus:

Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Ps. 3. Domine, quid multiplicati sunt etc. *Ps. 62.* Deus, Deus meus, ad Te de luce vigilo etc. *Ps. 66.* Deus misereatur nostri etc.

Actus adorationis, laudis et gratitudinis.

Domine, Deus meus es Tu, exaltabo Te, et confitebor Nomini Tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes fideles. Amen.

Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione Tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit Tuae resistere voluntati.

Tu fecisti coelum et terram, et quidquid coeli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est, qui resistat majestati Tuae, cuncta nosti, et scis. Magna et mirabilia sunt opera Tua, Domine, Deus omnipotens; justae et verae sunt viae Tuae, Rex saeculo-

rum. Quis non timebit Te, Domine, et magnificabit Nomen Tuum? quia solus pius es. Quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu Tuo, quoniam judicia Tua manifesta sunt.

Dignus es, Domine, Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia Tu creasti omnia, et propter voluntatem Tuam erunt, et creata sunt.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus exercituum, plena est omnis terra gloria Ejus. Gloria Patri etc.

Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in saecula saeculorum. Amen.

Gratia et pax a Deo Patre, et Domino nostro, Jesu Christo, Qui dedit Semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam secundum voluntatem Dei et Patris nostri, Cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.

Petitio divini luminis et directio intentionis.

Deus Patrum meorum, et Domine misericordiae, Qui fecisti omnia verbo Tuo, et sapientia Tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae a Te facta est, ut disponat orbem terrarum in aequitate et justitia, et in directione cordis judicium judicet: da mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris Tuis; quoniam servus Tuus sum ego, et filius ancillae Tuae: homo infirmus, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.

Tu elegisti me pastorem populo Tuo, et judicem filiorum Tuorum et filiarum. Et Tecum sapientia, quae novit opera Tua, quae et adfuit tunc, cum orbem

terrarum faceres, et sciebat, quid esset placitum oculis Tuis, et quid directum in praeceptis Tuis. Mitte illam de coelis sanctis Tuis, et a sede magnitudinis Tuae, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud Te. Scit enim illa omnia, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in Sua potentia. Et erunt accepta opera mea, et disponam fratres meos juste.

Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? cogitationes enim mortálium timidae et incertae providentiae nostrae. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

Et difficile aestimamus, quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore, quae autem in coelis sunt, quis investigabit? Sensum autem Tuum quis sciet, nisi Tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum Tuum de altissimis: et sic correctae sint semitae eorum, qui sunt in terris, et quae Tibi placent, didicerint homines. Nam per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt Tibi a principio.

Sive ergo manducem, sive bibam, sive aliud, quid faciam in verbo aut opere, omnia in gloriam Dei faciam, et in Nomine Domini nostri, Jesu Christi, gratias agens Patri per Ipsum.

Imploratio divini auxilii contra tentationes interdiu nobis molestas.

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum nnova in visceribus meis. Ne projicias me a facie .Tua, et Spiritum sanctum Tuum ne auferas a me.

Gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.

Confirma me, Domine, Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut hoc N. N, quod credens per Te posse fieri cogitavi, perficiam.

Nam etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.

Domine Pater, et Deus vitae meae, ne derelinquas me in cogitatu adversariorum meorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me.

Aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiae, ne apprehendant me, et animae irreverenti et infrunitae ne tradas me.

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici Ejus: et fugiant, qui oderunt Eum, a facie Ejus.

Salutatio B. Virginis.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. In te omnis spes vitae et virtutis. Tota pulchra es, amica mea, suavis et decora, sicut Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia gentis nostrae.

Benedicta tu in mulieribus. Benedixit te Dominus in virtute Sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu filia prae omnibus mulieribus super terram: quia te direxit in vulnera

capitis principis inimicorum nostrorum; quia nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quae audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.

Quia fecisti viriliter, stans juxta crucem, et confortatum est cor tuum, ideo manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum.

Benedictus fructus ventris tui. Mater pulchrae dilectionis, et agnitionis, et sanctae spei: quasi vitis fructificans suavitatem odoris, et flores tui, fructus honoris et honestatis. Invoca Dominum, et loquere Regi pro nobis, et libera nos de morte.

Ut a sanctis Angelis contra daemonum insidias protegamur.

Domine, Tu dixisti: Ecce Ego mittam Angelum Meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi: observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cum peccaveris, et est Nomen Meum in illo. Quodsi audieris vocem ejus, et feceris omnia, quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te, praecedetque te Angelus Meus.

Domine, miserere nostri: Te enim exspectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. A voce Angeli fugerunt populi, et ab exultatione Tua dispersae sunt gentes.

Ps. 135. Confitebor Tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audist verba oris mei. In conspectu Angelorum psallam Tibi etc.

In sancti Patroni honorem.

Beatus homo, qui invenerit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi, et purissimi fructus ejus. Pretiosior est cunctis opibus: et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera ejus; et in sinistra ejus divitiae et gloria. Viae ejus viae pulchrae, et omnes semitae illius pacificae. Lignum vitae est his, qui apprehenderint eam; et qui tenuerit eam beatus.

Ps. 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum etc.

Ad alios Sanctos.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua: homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona.

Ps. 127. Beati omnes, qui timent Dominum etc.

Oratio.

Obsecro ergo vos fratres N. N. per Dominum nostrum, Jesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Orate Deum omnium, Qui magna fecit in omni terra, Qui auxit dies nostros a ventre matris nostrae, et fecit nobiscum secundum misericor-

diam Suam. Det nobis jucunditatem cordis, et fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos: credere Israel, nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus Suis. Amen.

Preces vespertinae.

Ante examen conscientiae.

Oratio.

Domine, Qui scrutaris Jerusalem in lucernis, et visitas super viros defixos in faecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, et non faciet male; Qui revelas profunda de tenebris, et producis in lucem umbram mortis; Qui illuminabis abscondita tenebrarum, et manifestabis consilia cordium in die judicii. Ecce inter Sanctos Tuos nemo immutabilis, et coeli non sunt mundi in conspectu Tuo; quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

Signasti quasi in sacculo delicta mea. Quantas habeo iniquitates et peccata? Scelera mea et delicta ostende mihi.

Post examen conscientiae.

Dolor et propositum.

Auditu auris audivi Te, Domine! nunc autem oculus meus videt Te: idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere. Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantes aquae, sic rugitus meus: Quia timor, quem timebam, evenit mihi, et

quod verebar, accidit. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, et concutit carnem meam tremor.

Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Laborabo in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Vivit Deus, Qui abstulit judicium meum, et Omnipotens, Qui ad amaritudinem adduxit animam meam; quia donec superest halitus in me, et Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam, quam coepi tenere, non deseram.

Dei laus, exaltatio et gratiarum actio.

Confitebor Tibi, Domine Rex, et collaudabo Te Deum, Salvatorem meum. Confitebor Nomini Tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguae iniquae, et a labiis operantium mendacium, et in conspectu adstantium factus es mihi adjutor, et liberasti me secundum multitudinem misericordiae Nominis Tui a rugientibus, praeparatis ad escam, de manibus quaerentium animam meam, et de portis tribulationum, quae circumdederunt me, a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus. De altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendaci, a rege iniquo, et lingua injusta, laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea adpropinquans erat in inferno deorsum.

Circumdederunt me undique, et non erat, qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiae Tuae, Domine, et operationis Tuae, quae a saeculo sunt: quoniam eruis sustinentes Te, Domine, et liberas eos de manibus gentium. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum. Invocavi Dominum, Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo Nomen Tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam Tibi et benedicam Nomini Domini.

Memoria mortis cum fiducia bene moriendi per merita Salvatoris nostri, Jesu Christi.

Domine, Deus salutis meae, in die clamavi, et nocte coram Te: intret in conspectu Tuo oratio mea: inclina aurem Tuam ad precem meam: quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno adpropinquavit. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo inter mortuos liber, sicut vulnerati, dormientes in sepulchris.

Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis et in umbra mortis. Numquid mortuis facies mirabilia? numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam Tuam? numquid cognoscentur in tenebris mirabilia Tua, et justitia Tua in terra oblivionis? O mors! quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis. Statutum est hominibus, semel mori, et post

hoc judicium. Non metuam judicium mortis. Absorpta est mors in victoria, manifestata autem gratia per illuminationem Salvatoris nostri, Jesu Christi, Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium, et de manu mortis liberavit nos. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Deo gratias, Qui dedit nobis victoniam per Dominum nostrum, Jesum Christum. In nidulo meo moriar. Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

Ad B. Mariam Virginem.

Laudate Dominum, Deum nostrum, Qui non deseruit sperantes in Se, et in ancilla Sua adimplevit misericordiam Suam, quam promisit domui Israel, et interfecit in manu ejus hostem populi Sui.

Ad Angelum custodem.

Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus Ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem. Si me ipsum tradam Tibi servum, non ero condignus providentiae Tuae.

Ad sanctos Patronos.

Filii Sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Dominus Deus dáturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab Eo.

Ecce veniet Dominus in Sanctis millibus Suis, facere judicium, et arguere omnes impios.

Pro Defunctis.

Ps. 129. De profundis clamavi ad Te, Domine, Domine, exaudi vocem meam etc.

Dum vestes deponuntur.

Exspoliabo me veterem hominem cum actibus suis, qui corrumpitur secundum desideria erroris, ut renover spiritu mentis meae.

Lectum conscensurus dic:

In pace in idipsum dormiam, et requiescam: quoniam Tu, Domine, singulariter in spe resurrectionis constituisti me.

Deinde signans te signo crucis adde:

Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.

Ps. 53. Deus, in Nomine Tuo salvum me fac, et in virtute Tua judica me. Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam, et non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Ecce enim Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animae meae. Averte mala inimicis meis, et in voluntate Tua disperde illos. Voluntarie sacrificabo Tibi, et confitebor Nomini Tuo, Domine, quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos despexit oculus meus.

Dum nocte evigilas:

In lectulo meo per noctes quaesivi, Quem diligit anima mea, quaesivi, et non inveni.

Auditam fac mihi mane misericordiam Tuam, quia in Te speravi.

Domine, mane exaudies vocem meam. Mane adstabo Tibi, et videbo; quoniam non Deus volens iniquitatem Tu es.

Bonum est confiteri Domino, et psallere Nomini Tuo, Altissime; ad annuntiandum mane misericordiam Tuam, et veritatem Tuam per noctem.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum Suum super nos, et misereatur nostri.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Deus, Deus meus, ad Te de luce vigilo. Sitivit in Te anima mea, quam multipliciter Tibi caro mea.

Sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum Illo vivemus.

Modus pie audiendi Missam.

Per breves meditationes de passione et morte Christi, piosque affectus.

Ante sacrum.

Dum Sacerdos exspectatur, memineris Coenae ultimae, in qua Christus Sacrificium Missae instituit, seque nobis omnibus in Cibum dedit. Nonne par est, ut hujus charitatis excessum agnoscas?

Affectus. Agnosco, Domine Jesu! cum dilexisses Tuos, in finem vere dilexisti eos.

Ecce enim parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.

Tibi etiam sacrificabo nunc hostiam laudis, et Nomen Domini invocabo.

Ad descensum sacerdotis ab altari, ut Missam inchoet.

Considera Christum a Coena (quae in monte Sion est habita) descendentem in hortum Gethsemani. Secuti sunt autem Illum et discipuli Ejus. Et tu in tentatione a Deo tuo recedes?

Affectus. Vivit Dominus, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi! ibi erit servus Tuus.

Mihi adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.

Domine! Tecum paratus sum, et in carcerem et in mortem ire.

Ad confessionem.

Contemplare Christum in agonia orantem, quando factus est sudor Ejus, sicut guttae Sanguinis, decurrentis in terram. Sanguinem hunc peccata tua expresserunt, et de his non dolebis?

Affectus. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lachrymarum? Et plorabo die ac nocte.

Pater! peccavi in coelum et coram Te, jam non sum dignus vocari filius Tuus.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Ad osculum altaris et introitum.

Considera, quomodo Judas osculo Christum tradat. Annon et tu similis es traditor, tune exiguam voluptatem, posthabito Jesu, amplecteris?

Affectus. Ne reputes mihi, Domine mi! iniquitatem: neque memineris injuriarum servi Tui.

Iniquitatem meam ego cognosco.

Domine, miserere mei.

Ad Kyrie eleison.

Considera ternam Petri negationem, qui non resipuit, nisi postquam Dominus illum respexit. Quoties et tu Dominum tuum Jesum coram hominibus erubescis, et negas? Quando resipisces?

Affectus. Peccavi Domino.

Ne projicias me a facie Tua.

Respice in me, et miserere mei.

Ad Gloria, si dicatur.

Considera Judaeorum exultationem ad Christi opprobria et cruciatus. Annon et tu inter illos es, qui exultant in rebus pessimis?

Affectus. Quid loquar, aut juste potero obtendere? Deus invenit iniquitatem servi Sui.

Converte nos Deus Salutaris noster, et averte iram Tuam a nobis.

Laetabor et exultabo in Te, Domine.

Ad Collectam, Epistolam et Graduale.

Considera collectas populi accusationes, illusiones, alapas, sputa, etc. quae Christus in domo Annae et Caiphae subiit. Christus, tanquam Agnus, coram tondente se obmutuit; tu vero tam facile excandescas, et in alios inveharis?

Affectus. Ubi est fortitudo et patientia tua?

Tu es patientia mea, Domine.

Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis: non declines cor meum in verba malitiae.

Ad Evangelium, quod sacerdos ad alteram altaris partem transiens legit.

Considera, quomodo Christus a Caipha ad Pilatum raptus, et de doctrina Sua Evangelica interrogatus, et reprehensus fuerit. Quanti tu tam pretiosam Jesu doctrinam facis? Quam sollicite illam excipis, aliisque tradis?

Affectus. Gressus meos dirige, secundum eloquium Tuum: et non dominetur mei omnis injustitia.

Lucerna pedibus meis Verbum Tuum.

Docebo iniquos vias Tuas, et impii ad Te convertentur.

Ad Credo, si dicatur.

Considera, quomodo Christus a Pilato mittitur ad Herodem, et ab hoc (cum speratum signum non impetrasset) in veste alba, tanquam homo fatuus, cui credendum non sit, ad Pilatum remittatur. Nonne et et tu inter illos es, qui, ut credant, volunt a Christo signum videre?

Affectus. Beati, qui non viderunt et crediderunt.

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.

In fide vivo Filii Dei, Qui dilexit me, et tradidit Semetipsum pro me.

Ad oblationem.

Considera Christi resignationem, et oblationem Sui ad omnia pro gloria Patris Sui, et redemptione gene-

ris humani toleranda. Quam tu paratus et ad tolerantiam rerum adversarum?

Affectus. Et ego in flagella paratus sum.

Calicem salutaris accipiam, et Nomen Domini invocabo.

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me.

Ad lotionem manuum.

Considera, Pilatum excusationem iniquissimi facti sui lotione manuum suarum quaesivisse, reipsa autem scelus non evitasse. Quoties et tu peccata tua occultare, et excusationem illis praetendere niteris, sicque illa potius auges, quam minuis?

Affectus. Confitebor ad versum me injustitiam meam Domino.

Deus, Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a Te non sunt abscondita.

Si voluero contendere Tecum, non potero Tibi respondere unum pro mille.

Ad Orate fratres.

Considera, Christum a Pilato condemnandum populo in corona spinea, vesteque purpurea sisti. Quomodo subsistes, o homo! ubi coram Judice Christo in novissimo die comparebis?

Affectus. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor Tuus?

Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animae meae; dicam Deo: Noli me condemnare.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.

Ad praefationem.

Considera eosdem Judaeos, qui quinque ante diebus Hosanna Christo acclamarunt nunc vociferari: Crucifige, Crucifige Eum! Numquid similis in te est inconstantia?

Affectus. Perfice gressus meos in semitis Tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Confirma me in verbis Tuis.

Tenebit me dextera Tua.

Sub Canone.

Considera, quomodo Jesus bajulans Sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum. Audisne vocem Christi: Qui vult post Me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur Me?

Affectus. Trahe me post Te, curremus in odorem unguentorum Tuorum.

Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

Ad elevationem sacrae Hostiae.

Considera, Christum manibus, pedibusque cruci affixum, toti Orbi spectabilem proponi. Vide, o homo! Redemptorem tuum: quo hactenus affectu Illum complexus es, qui expansis hic brachiis te ad amplexum Suum invitat?

Affectus. Dilectus meus mihi, et ego Illi.

Nuntiate Ei, quia amore langueo.

Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio,

an angustia? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

Ad elevationem calicis.

Considera, quam copiose Christus ex sacris quinque Vulneribus Sanguinem in ablutionem peccatorum tuorum effuderit. Quam, o peccator! accurris, ut munderis, hauriasque in gaudio de fontibus Salvatoris?

Affectus. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne Tu, Qui solus es?

Cor mundum crea in me, Deus.

Post elevationem.

Considera, quomodo Christo crucifixo, a sexta hora tenebrae factae sunt super universam terram, usque ad horam nonam. Quales erunt tenebrae infernales?

Affectus. Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine.

Forsitan tenebrae conculcabunt me.

Ad Memento pro defunctis.

Illuminare, o Jesu! his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

Ad Pater noster.

Considera septena Christi verba, ab Ipso in Cruce prolata. 1. Christus pro inimicis oravit: quid tu facis? 2. Latro poenitens coelum obtinuit: disce tam serio (non tam sero) agere poenitentiam. 3. Mater Joanni,

hic illi commendatur: cui te melius commendes? 4. Christus Se derelictum queritur, et tu solatia tibi deberi putes? 5. Sitivit Christus salutem tuam, et tu eam nausees? 6. Christus consummatum esse tormentum Suum indicavit: sic omnia tua bona et mala consummabuntur. 7. Denique spiritum tuum exemplo Christi commenda in manus Patris tui coelestis.

Affectus. Et nos dimittimus debitoribus nostris.

Fac, et me audire: Hodie Mecum eris in Paradiso!

O Maria! ecce Ego Filius tuus.

Ne derelinquas me, Domine, Deus meus: ne discesseris a me.

Sitivit in Te anima mea.

Felix, qui cursum consummavit, fidem servavit.

In manus Tuas commendo spiritum Meum.

Ad divisionem sanctae Hostiae.

Considera animae Christi a corpore separationem. Statutum est omnibus hominibus, semel mori.

Affectus. Moriatur anima mea morte justorum.

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Ad Agnus Dei, sacerdote pectus tundente.

Considera, quomodo multi eorum, qui viderant Christum in cruce morientem, percutientes pectora sua, redierunt. Annon et tuum pectus in signum veri doloris de peccatis tuis percutias?

Affectus. Percutio, Domine, cum publicano pectus meum, et dico: Propitius esto mihi peccatori.

Et nunc, Domine! memor esto mei, et ne vindictam

sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.

Cito anticipent nos misericordiae Tuae.

Ad communionem sacerdotis.

Considera sepulturam Christi. Petit Is a te pro sepulchro cor tuum.

Affectus. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

Surge, Domine! in requiem Tuam, Tu et arca sanctificationis Tuae.

Gaudebit iterum cor meum.

Ad Collectas ultimas, seu preces, quas elata voce legit aut canit sacerdos.

Considera laetam ac gloriosam Christi resurrectionem. Mortui estis et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

Affectus. Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum, Jesum Christum, Qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis Suae.

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Cupio dissolvi, et esse cum Christo.

Ad benedictionem.

Considera, quomodo Christus in coelum ascendens benedixerit discipulis Suis. In hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis.

Affectus. Salvum fac populum Tuum, Domine! et benedic haereditati Tuae.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

Beati, qui habitant in domo Tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt Te.

Oblatio peracti sacrificii.

Suscipe, sancta Trinitas! sacrificium hoc corporis et sanguinis Domini nostri, Jesu Christi, quod divinae majestati Tuae in memoriam ejusdem passionis et mortis obtuli: cujus infinitis meritis, oro, delicta et negligentiae meae omnes compensentur. Quoniam Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Amen.

Affectus amantis animae in Deum hominem pro nobis crucifixum S. P. Francisci Xaverii.

O Deus! ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me:
Aut quia non amantes Te
Aeterno punis igne.
Tu, Tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem. Et haec propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem Te,
O Jesu amantissime!
Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me:
Nec praemii ullius spe;
Sed sicut Tu amasti me,
Sic amo et amabo Te:
Solum, quia Rex meus es;
Et solum, quia Deus es. Amen.

Orationes ante et post confessionem.

Imploratio divini luminis ad cognoscenda peccata.

Multae cogitationes in corde viri; pravum est cor omnium, et inscrutabile; quis cognoscet illud? Abyssum et cor hominum investigavit Dominus, et in astutia eorum excogitavit, revelans vestigia occultorum. Non praeterit Illum omnis cogitatus, et non abscondit se ab Eo ullus sermo. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato? Quis hominum intelligere potest viam suam? Omnis via viri recta sibi videtur, adpendit autem corda Dominus.

Illustra faciem Tuam super servum Tuum; quoniam Tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas.

Quae iniquitas mea, et quod peccatum meum, quod peccavi Domino, Deo meo? Indica mihi opera mea, et scelera mea: revela quoque aurem meam, ut corripiar, et loquere, ut revertar ab iniquitate.

Examen conscientiae.

Post examen confessio et deprecatio veniae.

O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus Tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in Te, Domine.

Deus meus confundor, et erubesco levare faciem meam ad Te, quoniam iniquitates meae multiplicatae sunt super caput meum, et delicta mea creverunt usque ad coelum. Peccavi graviter usque ad diem hanc.

Peccavimus, impie egimus, inique gessimus, Domine, Deus noster. Avertatur ira Tua a nobis. Exaudi, Domine, preces nostras et orationes nostras. Respice, Domine, de domo sancta Tua in nos, inclina aurem Tuam, et exaudi nos. Aperi oculos Tuos, et vide, quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt honorem et justificationem Domino: sed anima, quae tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat Tibi gloriam et justitiam Domino.

Et nunc, Domine omnipotens, Deus Israel! anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad Te. Audi, Domine, et miserere nostri, quia peccavimus ante Te. Domine omnipotens, noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum, sed memento manus Tuae et Nominis Tui in tempore isto: quia Tu es Dominus, Deus noster; et laudabimus Te, Domine: quia propter hoc dedisti timorem Tuum in cordibus nostris, ut invocemus Nomen Tuum, et laudemus Te, quia convertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccaverunt ante Te.

Justus es, Domine! et omnia judicia Tua justa sunt, et omnes viae Tuae misericordia et veritas et judicium. Et nunc, Domine! memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum.

Et nunc, Domine! magna judicia Tua, quia non egimus secundum praecepta Tua, et non ambulavimus sinceriter coram Te: et nunc, Domine! secundum voluntatem Tuam fac mecum.

Benedictum est Nomen Tuum, Deus patrum nostrorum, Qui, cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant Te. Ad Te, Domine! faciem meam converto; ad Te oculos meos dirigo. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. Sit Nomen Tuum, Deus Israel! benedictum in saecula. Amen.

Ante confessionem sacramentalem.

Conversio peccatoris ad Deum per poenitentiam et fiduciam.

Ad Dominum adspiciam, exspectabo Deum, Salvatorem meum; audiet me Deus meus. Consurgam, cum sedero in tenebris: Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi Ei; donec causam meam judicet, et faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo justitiam Ejus. Quis, Deus! similis Tui, qui aufers iniquitatem et transis peccatum? Non immittes ultra furorem Tuum, quoniam volens misericordiam es. Reverteris et misereberis nostri: depones iniquitates nostras, et projicies in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, miseri-

cordiam Abraham, quae jurasti patribus nostris a diebus antiquis.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam Ei: Pater, peccavi in coelum et coram Te.

Post confessionem sacramentalem.

Laus divinae misericordiae.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri, Jesu Christi, Qui secundum misericordiam Suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in coelis.

Ps. 102. Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto Ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones Ejus, Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, Qui sanat omnes infirmitates tuas, Qui redimit de interitu vitam tuam, Qui coronat te in misericordia et miserationibus, Qui replet in bonis desiderium tuum. Renovabitur, ut aquilae, juventus tua. Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias Suas Moysi, filiis Israel voluntates Suas. Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum

iniquitates nostras retribuit nobis: quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam super timentes Se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus Se. Quoniam Ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus. Homo, sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum. Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes Eum; et justitia Illius in filios filiorum, his, qui servant testamentum Ejus; et memores sunt mandatorum Ipsius, ad faciendum ea. Dominus in coelo paravit sedem Suam, et regnum Ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Domino, omnes Angeli Ejus, potentes virtute, facientes verbum Illius, ad audiendam vocem sermonum Ejus. Benedicite Domino, omnes virtutes Ejus, ministri Ejus, qui facitis voluntatem Ejus. Benedicite Domino, omnia opera Ejus, in omni loco dominationis Ejus. Benedic, anima mea, Domino!

Laetitia mentis ob peccatorum remissionem.

Ps. 31. Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus Tua, conversus sum in aerumna

mea, dum configitur spina. Delictum meum cognitum Tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et Tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad Te omnis Sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non adproximabunt. Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos Meos. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. In camo et froeno maxillas eorum constringe, qui non adproximant ad Te. Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Laetamini in Domino, et exultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde!

Memoria beneficiorum Dei in sacramento poenitentiae perceptorum, et renovatio propositi.

Operuisti, Domine! ignominiam meam, et lavasti me aqua, et unxisti me oleo, vestisti me discoloribus, calceasti me janthino, et cinxisti me bysso, et induisti me subtilibus, et ornasti me ornamento, et dedisti armillam in manibus meis, et torquem circa collum meum, et coronam decoris in capite meo.

Qui mortuus sum peccato, quomodo adhuc vivam in illo? Non ergo regnet peccatum in mortali meo corpore, ut obediam concupiscentiis ejus. Sed neque exhibebo membra mea arma iniquitatis peccato, sed exhibebo me Deo tanquam ex mortuis viventem, et

membra mea arma justitiae Deo. Exspoliavi me tunica mea, quomodo inquinabo illam? In omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.

Oratio.

Pro dono perseverantiae in bono.

Utinam dirigantur viae meae, Domine! ad custodiendas justificationes Tuas. Viam iniquitatis amove a me, et de lege Tua miserere mei. Deduc me in semitam mandatorum Tuorum, quia ipsam volui. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via Tua vivifica me. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus Tuis, ut non confundar. Secundum misericordiam Tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris Tui. In aeternum non obliviscar justificationes Tuas, quia in ipsis vivificasti me. Adjutor et susceptor meus es Tu, et in verbum Tuum supersperavi. Suscipe me secundum eloquium Tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea. Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus Tuis semper. Gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

Confirma me, Domine, Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut hoc, quod credens per Te posse fieri cogitavi, perficiam. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi

ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, Qui confirmabit nos, et custodiet a malo.

Preces ante Communionem.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Domine, ad Quem ibimus, nisi ad Te, panis vivus, Qui de coelo descendisti, panis Dei, Qui das vitam mundo, Qui redemisti nos de interitu, Qui coronas nos in misericordia et miserationibus, replens in Te, summo bono, desiderium nostrum. Tu dixisti: quia Tu es panis vitae, et panis, Quem Tu nobis reliquisti, caro est Tua pro mundi vita. Vere multiplicasti locupletare nos, mittens nobis Manna ad manducandum et panem coeli dedisti nobis. Virgam virtutis Tuae emisisti, Domine, ex Sion, de radice Jesse, florem campi et lilium convallium.

Verba vitae aeternae habes, et nos credidimus et cognovimus, quia Tu es Christus, Filius Dei; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Caro enim Tua vere est cibus et sanguis Tuus vere est potus. Memor fuisti nostri et benedixisti nobis! Deus meus es Tu et confitebor Tibi; Deus meus es Tu et exaltabo Te. Faciem Tuam illumina super servum Tuum. Quoniam illic mandasti benedictionem et vitam usque in saeculum.

Ecclesia Tua sancta accepit a Te, quod et tradidit nobis, quoniam Tu Ipse, Domine Jesu, in qua nocte tradebaris, accepisti panem et gratias agens fregisti,

et dixisti nobis, ut accipiamus et manducemus; quia hoc est corpus Tuum, quod pro nobis tradidisti, ut sumamus in Tuam commemorationem. Misericordia Tua, Domine, plena est terra, justificationes Tuas doce me. Magnificentiam gloriae sanctitatis Tuae loquentur omnes et mirabilia Tua narrabunt. Replebimur in bonis domus Tuae, sanctum est templum Tuum, mirabile in aequitate.

Ecce novum Testamentum in Tuo sanguine, ut quotiescunque manducamus panem hunc, mortem Tuam et charitatem Tuam cogitemus, palam confitentes fidem in Te, donec venias: etenim firmiter credentes, inhabitare Dominum Deum. Sic verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, in sanguine Tuo lavabis me et super nivem dealbabor. Qui venit ad Te, non esuriet, et qui credit in Te, non sitiet unquam. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et omnia, quaecunque faciet, prosperabuntur. Suscipe me secundum eloquium Tuum et vivam: Quia dixisti, nisi manducaverimus carnem Tuam, non habebimus vitam in nobis. Ego autem cantabo fortitudinem Tuam, et exaltabo mane misericordiam Tuam, ut exhilares faciem meam in oleo, et panis Tuus cor meum confirmet. Oleum effusum gratiarum Sacramentum Tuum.

Hic est panis de coelo descendens, ut, si quis ex Ipso manducaverit, non moriatur! Lux orta est justo, et rectis corde laetitia! Renovabitur, ut

aquilae, juventus nostra! Et Tu, Domine, Domine, fac mecum propter Nomen Tuum, quia suavis est misericordia Tua. Confitebor Tibi, quoniam exaudisti me et factus es mihi in salutem. Quia, qui manducat Te, et ipse vivet propter Te. Veniant mihi miserationes Tuae et vivam. Quis mihi det Te Fratrem meum, in hoc mysterio sugentem ubera divinitatis. Et veniat super me misericordis Tua, Domine, salutare Tuum secundum eloquium Tuum, ut jam me nemo despiciat.

Quia, qui manducat carnem Tuam, ipse manet in Te, et Tu in illo. Tuus sum ego, salvum me fac. Adipe frumenti saties me! Laetetur anima mea in Te, Qui fecisti eam. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, sperabo in misericordia Dei in aeternum et in saeculum saeculi.

Quia, qui manducat carnem Tuam, habet vitam aeternam, et quia Tu resuscitabis eum in novissimo die! Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. In aeternum, Domine, verbum Tuum permanet in coelo.

Quia, qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. In generationem et generationem veritas Tua. Vivet anima mea et laudabit Te! Confitebor Tibi, Domine, in toto corde meo, super misericordia Tua et veritate Tua, quoniam magnificasti super omne Nomen sanctum Tuum. Regnum Tuum regnum omnium saeculorum et dominatio Tua in omni generatione et generationem.

Pater etc. Ave etc. Credo etc.

Oratio sancti Bonaventurae.

Ad mensam dulcissimi convivii Tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de Tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad Te, fontem misericordiae, recurro, ad Te festino sanandus, sub Tuam protectionem fugio: et quem judicem sustinere nequeo, salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo: Tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias Tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae Tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in Te. Miserere mei pleni miseriis et peccatis, Tu, Qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei, Jesu Christi, profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae Tuae, quam Tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea: ut, purificatus mente et corpore, digne degustare merear sancta sanctorum: et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis Tui, quam ego indignus

sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque Tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Oratio sancti Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce, accedo ad Sacramentum unigeniti Filii Tui, Domini nostri, Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis Tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Jesu dulcissime, non solum suscipere sanctissimum Sacramentum Tuum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii Tui, Domini nostri, Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori Suo mystico merear incorporari, et inter Ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium Tuum, Quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari: Qui tecum vivit et regnat

in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pater etc. Ave etc. Gloria etc.

Dum sumitur sanctissimum Sacramentum.

Oratio sancti Ignatii Loyolae.

Anima Christi, sanctifica me;
Corpus Christi, salva me;
Sanguis Christi, inebria me;
Aqua lateris Christi, lava me;
Passio Christi, conforta me;
O bone Jesu, exaudi me;
Intra Tua vulnera absconde me;
Ne permittas, me separari a Te;
Ab hoste maligno defende me;
In hora mortis meae voca me:
Et jube me venire ad Te;
Ut cum Sanctis Tuis laudem Te in saecula saeculorum. Amen.

Post Communionem.

Domine, Deus noster, vere in hoc mysterio, memoriam faciens mirabilium Tuorum, misericors et miserator Dominus, cum dilexisses nos, qui sumus in hoc mundo, in finem dilexisti nos. Vere apparuit gratia et charitas Tua cum abundantia suavitatis Tuae, ut videamus in hac dilectione Tua quasi omnis consummationis finem. Vere clarificata est charitas Tua in eo et clarificasti Nomen Tuum, Salvator noster, in

Temetipso, ut cognoscamus, quia Tu es in Patre, et nos in Te, et Tu in nobis, et quia dilexisti nos et manifestasti nobis Teipsum in hoc mysterio fidei. Pacem reliquisti nobis, pacem Tuam dedisti nobis, non quomodo mundus dat, Tu dedisti nobis. Nunc ergo fac nos manere in Te, et Tu mane in nobis, ut fructum multum feramus, quia sine Te nihil possumus facere, si autem manserimus in Te, et verba Tua in nobis manserint, scimus, quia, quodcunque voluerimus, petemus, et fiet nobis. Nunc ergo in hoc clarificetur Pater coelestis, ut fructum plurimum afferamus, trigesimum fidei, sexagesimum spei, centesimum charitatis et efficiamur discipuli Tui. Hoc est, quod petimus in Nomine Tuo: supplices rogamus et obsecramus clementiam Tuam. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem.

Magnificasti Nomen Tuum nobis, Tui sumus, fac nos sermonem Tuum servare. Salvator sancte, serva nos in Nomine Tuo, ut non pereamus, quasi filii perditionis. Non rogamus, ut tollas nos de mundo, sed ut serves nos a malo. Sanctifica nos in veritate, in sanguine Tuo. Caro Tua vere est cibus et sanguis Tuus vere est potus, sermo Tuus veritas est, ut simus sanctificati in veritate. Vere hanc claritatem Tuam defiisti nobis, ut, ubi Tu es, et nos simus Tecum, ut videamus claritatem Tuam, quam habuisti ante constitutionem mundi. Et notum fecisti nobis Nomen Tuum in hoc augustissimo Sacramento, ut dilectio, qua dilexisti nos in finem, in nobis sit et Tu in nobis usque in finem. Redemptor noster, Qui de-

disti nobis edere de ligno vitae, quod est in Paradiso Ecclesiae Tuae, fac nos fideles esse usque ad mortem, ut accipiamus coronam vitae. Susceptor noster, Qui dedisti nobis manna absconditum, cujus virtutem nemo scit, nisi qui accipit, et aurum ignitum probatum, ut locupletes simus, fac nos tenere, quod habemus usque in finem. Sanctus et Verus, Qui aperuisti Tibi januam cordis nostri, et intrasti ad nos, Qui aperis et nemo claudit, fac nos coenare Tecum in spiritu et in veritate, nunc et in finem et in saeculum saeculi. Fidelis et Verax, non delebis nomen nostrum de libro vitae in finem, et confiteberis nomen nostrum coram Patre, cum Quo vivis et regnas in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pater etc. Ave etc. Gloria etc.

Oratio sancti Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici.

Gratias Tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, Qui me peccatorem, indignum famulum Tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae Tuae, satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii Tui, Domini nostri, Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam

invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in Te uno ac vero Deo firma adhaesio; atque finis mei felix consummatio. Et precor Te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi Tu, cum Filio Tuo et Spiritu sancto, Sanctis Tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per Eumdem Christum, Dominum nostrum. Amen.

Oratio sancti Bonaventurae, Doctoris Seraphici.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas animae meae suavissimo ac saluberrimo vulnere amoris Tui. Vulnera viscera animae meae vera et firma et apostolica charitate; ut vere ardeat, lanqueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio Tui. Concupiscat et deficiat anima mea in atria Tua, cupiat dissolvi et esse Tecum. Intret amor Tuus intima mea, et omnem amorem excludat alienum; sim Tecum crucifixus mundo, ut, sic mortuus, vita mea sit Tecum abscondita in Deo. O vita mea, vita felix, quae abscondita ipsi mundo, et sociata Ipsi Christo, in Deo centro suo quietatur; unum est mihi necessarium, et solum unum quaero. Abscedat ergo phantasmatum multitudo; unus est dilectus meus, unus est amor meus, Jesus Christus. Deus meus, sponsus meus. Nihil ergo sapiat, nihil delectet, nihil alliciat, nisi Tu, Jesu Christe; totus sis meus, totus sim Tuus, et fiat cor meum unum Tecum, nihil me judicans scire vel amare vel affectare, nisi Te solum.

Ergo, bone Jesu, recollige me visceribus, refice uberibus, et inebria me vulneribus. Da, ut anima mea Te solum semper esuriat, panem vitae coelestis, Qui de coelo descendisti, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum et supersubstantialem, habentem omnem saporem, et omnem dulcorem, et omne delectamentum suavitatis, in Quem desiderant Angeli prospicere. Te semper esuriat, Te comedat cor meum, et dulcedine saporis Tui repleantur viscera animae meae; Te semper sitiat fontem vitae aeternae, fontem sapientiae, fontem scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis et ubertatis domus Dei; Te semper ambiat, Te quaerat, Te inveniat, ad Te tendat, ad Te perveniat, Te meditetur, de Te loquatur, et omnia operetur ad laudem et gloriam Nominis Tui, cum omni humilitate et discretione, omni dilectione et delectatione, omni facilitate et affectu, omni patientia et pace perfecta, omni longanimitate et perseverantia usque in finem; ut Tu solus semper sis mihi spes mea, gaudium meum, jucunditas mea, fiducia mea, divitiae meae, dilectio mea, quies mea, tranquillitas mea, dulcedo mea, suavitas mea, cibus meus, refectio mea, tutela mea, sustentatio mea, exspectatio mea, refugium meum, auxilium meum, refrigerium meum, patientia mea, protectio mea, locutio mea, meditatio mea, operatio mea, thesaurus meus, in quo solo fixa et firma et immobiliter radicata sit semper mens mea et cor meum. Quiescat cor meum in dulcedine bonitatis Tuae immensae; abscedat vanitas, accedat

Divinitas, transformet caritas, et fiam totus divinus: aperiatur cor meum, aperiantur vulnera, jungantur intima, et fiant unum cum Christo. Amen.

Breviarium Psalterii.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum, intende voci orationis meae, Rex meus, et Deus meus.

Domine, ne in ira Tua arguas me, neque in furore Tuo corripias me Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea; et anima mea turbata est valde, et Tu, Domine usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me: miserere mihi, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis; respice, et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: perspice gressus meos in semitis Tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus, inclina aurem Tuam mihi, et exaudi verba mea: mirifica misericordias Tuas, qui salvos facis sperantes in Te.

Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum Tuarum protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt: ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo Tuo.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes

Tuas a me, ad defensionem meam aspice. Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Vias Tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas Tuas edoce me, et dirige me in veritate Tua.

Reminiscere miserationum Tuarum, Domine, et misericordiae Tuae, quae a saeculo sunt: Delicta juventutis, et ignorantiae meae ne memineris: secundum magnam misericordiam Tuam memor esto mei propter bonitatem Tuam Domine.

Propter nomen Tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, copiosum est enim: Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea.

Ne perdas cum impiis, Deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam: exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad Te, miserere mei, et exaudi me: ne avertas faciem Tuam a me, et ne declines in ira a servo Tuo: adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Legem pone mihi, Domine, in via Tua, et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos: ne tradideris me in animas persequentium me.

Ad Te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me, et ero similis descendentibus in lacum: exaudi, Domine, vocem deprecationis meae, dum oro ad Te, et dum extollo manus meas ad templum sanctum Tuum. Ne simul tradas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Salvum fac populum Tuum, Domine, et benedic

haereditati Tuae, et rege eos, et extolle illos usque in saeculum.

In Te, Domine, speravi, non confundar in aeternum, in Tua justitia libera me; inclina ad me aurem Tuam, accelera, ut eruas me! Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. In manus Tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis.

Eripe me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me. Illumina faciem Tuam super servum Tuum, et salvum me fac in Tua misericordia; Domine, non confundar, quoniam invocavi Te: fiat misericordia Tua, Domine, super nos, sicut speravimus in Te.

Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium mihi; ne sileas Domine, ne discedas a me: exurge, Domine, intende judicium meum, Deus meus, et Dominus meus in causam meam: judica me secundum misericordiam Tuam, Domine Deus meus; praetende misericordiam Tuam scientibus Te, et justitiam Tuam his, qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me: ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me, intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meae.

Exaudi, Deus, orationem meam et deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas: ne sileas a me: quoniam incola ego sum apud Te in terra, et peregrinus, sicut omnes patres mei; remitte ut refrigerer, priusquam eam; et amplius non ero: Tu autem

Domine, ne longe facias misericordias Tuas a me; misericordia Tua, et veritas Tua semper susceperunt me: quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meae, et non potui, ut viderem; multiplicatae sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Complaceat Tibi, Domine, ut eripias me, Domine, in auxilium meum respice: ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me; adjutor et redemptor meus esto, Domine, ne tardaveris; ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi Tibi.

Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, et ne repellas in finem; quare faciem Tuam avertis? oblivisceris inopiam nostram, et tribulationem nostram? exurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter Nomen Tuum.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam Tuam, et secundum multitudinem miserationum Tuarum, dele iniquitatem meam; amplius lava me ab iniquitate mea, et a delicto meo munda me; averte faciem Tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele; cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis; ne projicias me a facie Tua, et Spiritum sanctum Tuum ne auferas a me; redde mihi laetitiam salutaris Tui, et Spiritu principali confirma me; Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem Tuam.

Deus, in Nomine Tuo salvum me fac; et in virtute Tua libera me; Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei; exaudi, Deus, orationem

meam; et ne despexeris deprecationem meam, intende in me, et exaudi me.

In Deo laudabo verbum, et in Domino laudabo sermonem, in Deo sperabo, non timebo, quid faciat mihi homo; in me sunt, Deus, vota, quae reddam, laudationes Tibi, quoniam eripuisti animam meam de morte, oculos meos de lacrymis, pedes meos a lapsu, ut placeam coram Domino in lumine viventium.

Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in Te confidit anima mea, et in umbra alarum Tuarum sperabo, donec transeat iniquitas; eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me; eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me; quia ecce occupaverunt animam meam, irruerunt in me fortes; ego vero orationem meam ad Te, Domine, tempus beneplaciti Deus, in multitudine misericordiae Tuae exaudi me, in veritate salutis Tuae; eripe me de luto, ut non inhaeream, libera me ex odientibus me, et de profundo aquarum. Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia Tua, secundum multitudinem miserationum Tuarum respice in me; ne avertas faciem Tuam a puero Tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me; intende animae meae, et libera eam, propter inimicos meos eripe me.

Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina; ego vero egenus et pauper sum, Deus, adjuva me; adjutor meus et liberator meus es Tu, Domine, ne tardaveris.

In Te, Domine, speravi, non confundar in aeternum, in Tua justitia libera me, et eripe me. Inclina ad me aurem Tuam, accelera, ut eripias me. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias, et Tu, Domine, adjutor fortis.

Repleatur os meum laude Tua, ut possim cantare gloriam Tuam, tota die magnificentiam Tuam; ne projicias me in tempore senectutis, dum defecerit virtus mea, Deus, ne derelinquas me, Deus, ne elonges a me, Deus meus, in auxilium meum respice; ego autem semper in Te sperabo, Domine, et adjiciam super omnem laudem Tuam; os meum pronuntiabit justitiam Tuam, tota die salutare Tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes Tibi, et animas pauperum Tuorum ne obliviscaris in finem; respice in testamentum Tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domorum iniquitatum. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem Nominis Tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter Nomen Tuum.

Excita, Domine, potentiam Tuam, et veni, ut salvos facias nos; Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem Tuam, et salvi erimus; converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram Tuam a nobis, ut non in aeternum irascaris nobis, neque extendas iram Tuam a progenie in progenies; Deus, Tu convertens vivificabis nos, et plebs Tua laetabitur in Te; ostende nobis, Domine, misericordiam Tuam, et salutare Tuum da nobis.

Inclina, Domine, aurem Tuam ad me, et exaudi

me, quoniam egenus et pauper sum ego; et custodi animam meam, quoniam sanctus sum, salvum fac servum Tuum, Deus meus, sperantem in Te.

Miserere mihi, Domine, quoniam ad Te clamavi tota die, laetifica animam servi Tui, quia ad Te, Domine, levavi animam meam; et Tu, Domine, Deus meus, miserator et misericors, patiens, et multum misericors, et verax, respice in me, et miserere mei, da potestatem puero Tuo, et salvum fac filium ancillae Tuae; fac mecum, Domine, signum in bonum, ut videant, qui me oderunt, et confundantur, quoniam Tu, Domine, adjuvisti me.

Domine, Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram Te. Intret in conspectu Tuo oratio mea, inclina aurem Tuam ad precem meam, Domine; ub sunt misericordiae Tuae antiquae, Domine, sicut jurasti David in veritate Tua? memor esto opprobrii servorum Tuorum, quod continui in sinu meo, multarum gentium.

Convertere, Domine, aliquantulum, et deprecare super servos Tuos; et sit splendor Domini, Dei nostri, super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos.

Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad Te perveniat, ne avertas faciem Tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem Tuam, in quacunque die invocavero, velociter exaudi me; ne educas me in dimidio dierum meorum, in generationem et generationem anni Tui.

Et Tu, Domine, fac mecum misericordiam propter Nomen Tuum; quoniam suavis est misericordia Tua;

libera me, quoniam egenus et pauper sum ego, et cor meum conturbatum est in me; sicut umbra, cum declinat, ablatus sum, et excussus sicut locusta; adjuva me, Domine, Deus meus, et salvum me fac propter misericordiam Tuam.

Retribue servo Tuo, vivam, et custodiam sermones Tuos; revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege Tua; incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata Tua.

Confirma me, Domine, in sermonibus Tuis; viam iniquitatis amove a me, et de lege Tua miserere mei; deduc me in semitam mandatorum Tuorum, quia ipsam volui; inclina cor meum in testimonia Tua et non in avaritiam; averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via Tua vivifica me.

Statue servo Tuo eloquium Tuum in timore Tuo; bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis Tuis credidi; bonus es Tu, et in bonitate Tua doce me justificationes Tuas; fiat nunc, Domine, misercordia Tua, ut consoletur me secundum eloquium Tuum servo Tuo; veniant mihi miserationes Tuae, et vivam, quia lex Tua meditatio mea est; fiat cor meum immaculatum in Tuis justificationibus, ut non confundar.

Humiliatus sum usquequaque, Domine, vivifica me secundum verbum Tuum; voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia Tua doce me; suscipe me secundum eloquium Tuum, et vivam, et ne confundas me ab exspectatione mea; adjuva, et salvus ero, et meditabor in Tuis justificationibus; fac cum servo Tuo secundum misericordiam Tuam, et justifi-

cationes Tuas doce me; servus Tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia Tua.

Respice in me, et miserere mei secundum judicium diligentium Nomen Tuum; gressus meos dirige secundum eloquium Tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia; redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata Tua; faciem Tuam illumina super servum Tuum, doce me justificationes Tuas; vocem meam audi secundum misericordiam Tuam, Domine, et secundum judicium Tuum vivifica me.

Vide humilitatem meam et eripe me; quia legem Tuam non sum oblitus; judica judicium meum, et redime me, propter eloquium Tuum vivifica me; appropiet oratio mea in conspectu Tuo, Domine, secundum eloquium Tuum da mihi intellectum; intret postulatio mea in conspectu Tuo, Domine, secundum eloquium Tuum eripe me, eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes Tuas; pronunciabit lingua mea eloquia Tua, quia omnia mandata Tua aequitas; fiat manus Tua, ut salvum me faciat, quia mandata Tua elegi; concupivi salutare Tuum, Domine, et lex Tua meditatio mea est; vivet anima mea, et laudabit Te, et judicia Tua adjuvabunt me; erravi sicut ovis, quae perierat, require servum Tuum, Domine, quia mandata Tua non sum oblitus.

Miserere nobis, Domine, miserere nobis; quia multum repleti sumus contemtione; benefac, Domine, bonis et rectis corde; converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.

De profundis clamavi ad Te, Domine, Domine, ex-

audi vocem meam; fiant aures Tuae intendentes in orationem servi Tui; in quacunque die invocavero Te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem Tuam, et deduc me, Domine, in via aeterna.

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis; non declines cor meum in verbum malum; intende in humilitatem meam, quia humiliatus sum nimis; libera me a persequentibus me, quoniam confortati sunt super me; educ de carcere animam meam, ad confitendum Nomini Tuo, Domine; me exspectant justi, donec retribuas mihi.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam, in veritate Tua exaudi me, in Tua justitia; et ne intres in judicium cum servo Tuo, quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens; quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam; velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus; ne avertas faciem Tuam a me, et ero similis descendentibus in lacum.

Auditam mihi fac mane misericordiam Tuam; notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad Te, Domine, levavi animam meam; eripe me de inimicis meis, Domine, ad Te confugi, doce me facere voluntatem Tuam, quia Tu es Deus meus; Spiritus Tuus bonus deducet me in viam rectam, propter Nomen Tuum, Domine, vivificabis me in aequitate Tua; et educes de tribulatione animam meam, et in misericordia Tua disperdes inimicos meos; et perdes omnes, qui tribulant animam meam; quoniam servus Tuus sum ego.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus

Ejus in ore meo; Tibi Soli peccavi, et malum coram Te feci; delictum meum cognitum Tibi feci, et injustitiam meam non abscondi; dixi, confitebor adversus me injustitiam meam Domino, et Tu remisisti impietatem peccati mei; pro hac orabit ad Te omnis Sanctus in tempore opportuno; Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me, et retribuam eis; in hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me; me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu Tuo in aeternum.

Benedictus Dominus, Deus Israel, a saeculo et usque in saeculum, fiat, fiat; in manus Tuas, Domine, commendo spiritum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis; salus mea de manu Domini, et gloria mea in conspectu Dei.

Gloria Patri etc.

Orationes diversae.

Praeparatio ad Orationem.

Domine! doce nos orare; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.

Respice ad orationem servi Tui, et ad preces ejus, Domine, Deus meus; audi hymnum et orationem, quam servus Tuus orat coram Te hodie, ut sint oculi Tui aperti super domum hanc nocte ac die, ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad Te servus Tuus, et cum exaudieris, propitius eris.

Confiteantur Tibi, Domine! omnia opera Tua, et

Sancti Tui benedicant Tibi. Gloriam regni Tui dicent, et potentiam Tuam loquentur. Prope est Dominus omnibus invocantibus Eum in veritate. Voluntatem timentium Se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos. Laudationem Domini loquetur os meus, et benedicat omnis caro Nomini sancto Ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Pro se et omnibus sibi commissis.

Sit Dominus, Deus noster, nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens, sed inclinet corda nostra ad Se, ut ambulemus in universis viis Ejus, et custodiamus mandata Ejus, et caeremonias Ejus, et judicia, quaecunque mandavit patribus nostris. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, adpropinquantes Domino, Deo nostro, die ac nocto, ut faciat judicium servo Suo, et populo Suo Israel per singulos dies, ut sciant omnes populi terrae, quia Dominus Ipse est Deus, et non est ultra absque Eo. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino, Deo nostro, ut ambulemus in decretis Ejus, et custodiamus mandata Ejus, sicut et hodie.

Memento, Domine, testamenti Tui, et da verbum in ore meo, et in corde meo consilium corrobora, ut domus Tua in sanctificatione Tua permaneat, et omnes gentes agnoscant, quia Tu es Deus, et non est alius praeter Te.

Super populum.

Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti Sui, et det vobis cor omnibus, ut colatis Eum, et faciatis

Ejus voluntatem, corde magno, et animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege Sua, et in praeceptis Suis, et faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.

Gratia Domini nostri, Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Ante Studium.

Domine Deus, Qui effundis sapientiam Tuam super omnia opera Tua, et super omnem carnem secundum datum Tuum, et praebuisti illam diligentibus Te: da mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, et mitte Spiritum sanctum Tuum, Qui me doceat omnia, et suggerat omnia, ut probare possim, quae sit voluntas Tua bona, et beneplacens, et perfecta; nec plus sapiam, quam oportet sapere ad sobrietatem; ut nihil sciam, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum. Nosse enim Te consummata justitia est, et scire justitiam, et virtutem Tuam radix immortalitatis.

Contra inimicos Ecclesiae.

Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum Tuarum, et immitte timorem Tuum super gentes, quae non exquisierunt Te, ut cognoscant, quia non est Deus, nisi Tu, et enarrent magnalia Tua. Alleva manum Tuam super gentes alienas, ut videant potentiam Tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant Te, sicut et nos cognovimus: quoniam non est Deus praeter Te, Domine.

Innova signa, et immuta mirabilia; glorifica manum et brachium dextrum; excita furorem, et effunde iram; tolle adversarium, et afflige inimicum, festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia Tua. In ira flammae devoretur, qui salvatur, et qui pessimant plebem Tuam, inveniant perditionem. Contere caput principum inimicorum, dicentium: non est alius praeter nos. Domine, Deus coeli et terrae, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem Sanctorum Tuorum attende, et ostende, quoniam non derelinquis praesumentes de Te, et praesumentes de se, et de sua virtute gloriantes humilias.

Congrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant, quia non est Deus, nisi Tu, et enarrent magnalia Tua, et haereditabis eos sicut ab initio. Miserere plebi Tuae, super quam invocatum est Nomen Tuum, et Israel, quem coaequasti primogenito Tuo. Miserere civitati sanctificationis Tuae Jerusalem, civitati requiei Tuae. Reple Sion inenarrabilibus verbis Tuis, et gloria Tua populum Tuum. Da testimonium his, qui ab initio creaturae Tuae sunt in Nomine Tuo Prophetae priores. Da mercedem sustinentibus, ut Prophetae Tui fideles inveniantur; et exaudi orationes servorum Tuorum, et dirige nos in viam justitiae, ut sciant omnes, qui habitant terram, quia Tu es Deus conspector saeculorum.

Domine, Rex, Deus Abraham! miserere populi Tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et haereditatem Tuam delere. Ne despicias partem Tuam, quam

redemisti Tibi de Aegypto. Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo Tuo, et converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus Nomen Tuum, Domine; et ne claudas ora Te canentium.

Peccavimus in conspectu Tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum. Justus es, Domine! Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed volunt Tua mutare promissa, et delere haereditatem Tuam, et claudere ora laudantium Te, atque extinguere gloriam templi et altaris Tui, ut aperiant ora gentium. Memento, Domine, et ostende Te nobis in tempore tribulationis nostrae, et libera nos manu Tua. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.

Resignatio in adversis.

Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabile et gloriosum Nomen Tuum in saecula; quia justus es in omnibus, quae fecisti nobis, et universa opera Tua vera, et viae Tuae rectae, et omnia judicia Tua vera. Judicia enim vera fecisti juxta omnia, quae induxisti super nos, et super civitatem sanctam patrum nostrorum, Jerusalem; quia in veritate, et in judicio induxisti omnia haec propter peccata nostra. Peccavimus enim, et inique egimus, recedentes a Te, et deliquimus in omnibus, et praecepta Tua non audivimus, nec fecimus, sicut praeceperas nobis, ut bene nobis esset.

Omnia ergo, quae induxisti super nos, et universa, quae fecisti nobis, in vero judicio fecisti, et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, praevaricatorumque, et nunc non possumus aperire os; confusio et opprobrium facti sumus servis Tuis, et his, qui colunt Te. Ne, quaesumus, tradas nos in perpetuum propter Nomen Tuum, neque auferas misericordiam Tuam a nobis.

Spes in adversis.

Non est in hominis potestate consilium Tuum, Domine. Hoc autem pro certo habet omnis, qui Te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, et si in correptione fuerit, ad misericordiam Tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris; quia post tentationem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. Sit Nomen Tuum, Deus Israel, benedictum in saecula. Amen.

Post liberationem a calamitatibus.

Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me; de ventre inferi clamavi, et exaudisti, Domine, vocem meam. Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me; omnes gurgites Tui, et fluctus Tui super me transierunt. Et ego dixi: abjectus sum a conspectu oculorum Tuorum; verumtamen rursus videbo templum sanctum Tuum. Circumdederunt me aquae usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum, ad extrema

montium descendi, terrae vectes concluserunt me in aeternum, et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine, Deus meus. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad Te oratio mea ad templum sanctum Tuum. In voce laudis immolabo Tibi, quaecunque vovi, reddam pro salute Domino.

Gratiarum actio pro liberatione a publicis calamitatibus Ecclesiam praecipue affligentibus.

Magnus es, Domine, in aeternum, et in omnia saecula regnum Tuum; quoniam Tu flagellas et salvas, deducis ad inferos, et reducis, et non est, qui effugiat manum Tuam. Confitemini Domino, filii Israel, et in conspectu gentium laudate Eum, quoniam ideo dispersit vos, ut vos enarretis mirabilia Ejus. Ipse castigavit nos propter misericordiam Suam.

Aspicite ergo, quae fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini Illi, regemque saeculorum exaltate in operibus vestris. Ego autem in terra captivitatis meae confitebor Illi, quoniam ostendit majestatem Suam in gentem peccatricem. Convertimini itaque, peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes, quod faciat vobiscum misericordiam Suam. Ego autem et anima mea in Eo laetabimur.

Benedicite Dominum, omnes electi Ejus, agite dies laetitiae, et confitemini Illi. Jerusalem, civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, et benedic Deum saeculorum, ut reaedificet in te tabernaculum Suum, et revocet ad te omnes captivos, et gaudeas in omnia

saecula saeculorum. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient, et munera deferentes adorabunt in te Dominum, et terram tuam in sanctificationem habebunt, nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt, qui contempserint te, benedictique erunt, qui aedificaverint te. Tu autem laetaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum. Beati omnes, qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua.

Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem, civitatem Suam, a cunctis tribulationibus ejus Dominus, Deus noster. Beatus ero, si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Portae Jerusalem ex saphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateae ejus sternentur, et per vicos ejus Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, Qui exaltavit eam, et sit regnum Ejus in saecula saeculorum super eam. Amen.

Schola Jesu Christi.

Meditationes et Adspirationes
ex
divinis Scripturis depromptae.

Ante Lectionem spiritualem.

„Leget omnibus diebus vitae suae, ut discat, custodire verba, quae in lege praecepta sunt." Deuter. XVII.

Utinam, Domine! loquaris mecum, et aperias labia Tua mihi, et sapientiam Tuam audiet auris mea, et intelligam sermonem Tuum! Inclina cor meum ad cognoscendam legem Tuam; non abscondas a me sermonem Tuum! Inclina aurem Tuam ad suscipienda eloquia Tua, ut faciam, quod est placitum coram Te, et discam ex ore Tuo legem, et scribam illam in tabulis cordis mei, et custodiam illam, ut pupillam oculi mei!

Alia Oratio ante Lectionem spiritualem.

Domine, Jesu Christe! aperi aures et oculos cordis mei ad audiendum et intelligendum sermonem Tuum, faciendamque voluntatem Tuam! Domine! quoniam incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata

Tua! Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege Tua! Incerta et occulta cordis mei, et sapientiae Tuae manifesta mihi; in Te enim spes mea, Deus, ut Tu mentem atque intellectum meum illumines! Amen.

Alia Oratio ante Meditationem.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Ecce ego coram Te, Domine, vocasti enim me. Loquere, Domine, quia audit servus Tuus, si tamen Tu Ipse dederis mihi cordis aures, ut audiam Te. Revela quoque oculos meos, ut considerem mirabilia Tua. Concupivit enim anima mea desiderare justificationes Tuas. Non abscondas a me mandata Tua. Noverim Te, Domine, noverim me. O scrutator cordium et renum, Deus, argue me in bonitate Tua, et statue meipsum contra faciem meam, ut et miseriam meam videam, et quae mihi agenda praecipis, valeam, et ad ea, quae viderim, convalescam — per Dominum etc.

Oratio post Meditationem.

Auditu auris audivi Te, Domine, nunc quoque oculus Tuus videt me; idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam. Ecce occulta sapientiae Tuae et abyssum miseriae meae manifestasti mihi, et quid faciam, ostendisti. Perfice ergo opus bonum, quod coepisti in me, et fac, ut in praeceptis Tuis ambulem, ne cum cognoverim voluntatem Tuam non faciam, et servus inutilis factus, vapulem multis. Dixi, nunc

coepi, haec mutatio dexterae Excelsi. Sed heu! velle tantum adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio, nisi, quod enixe precor, gratia Tua diffundat charitatem Spiritus sancti in cor meum pro bona voluntate Tua, et Qui operatus es velle in me, opereris et perficere — per Dominum etc.

Alia Oratio post Lectionem spiritualem.

„Custodi praecepta Mea!" Prov. IV.

Domine! ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes! Sermo Tuus veritas est. In memoria sermonum Tuorum delectabor, et praecepta Tua recondam mihi; non recedent ab oculis meis; vita enim sunt invenientibus ea. Permaneat in me verbum veritatis, quod audivi, ut opere illud compleam et fructificem in omni opere bono, digne ambulans coram Te, Deus meus, Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

PARS I.

De perfectionibus Scholae Jesu Christi.

Caput I.

De dignitate Scholae Jesu Christi.

Schola, Jesu Christe, Fili Dei altissimi, et Magister dulcissime filiorum Adae, infinita veneratione digna est, quemadmodum senserunt mansueti, et humiles corde discipuli Tui.

Ex quo enim audita est in monte sancto vox Patris aeterni dicentis: „Hic est Filius Meus dilectus, in Quo Mihi bene complacui, Ipsum audite!" omnes scholae philosophorum definientium, dividentium et sine fine disputantium, loco suo exciderunt; et nulla Aegyptiorum, vel Graecorum academia castis cordibus amicorum Tuorum laude digna visa est.

Quomodo enim laude dignae viderentur scholae, ubi Verbum caro factum non est auditum, comparatione Scholae Tuae, cujus auctoritas e coelo venit, et cujus prima elementa sunt: Verbum caro factum est?

Profecto, mansuetissime Praeceptor hominum, vox aeterni Patris Tui confregit cedros Libani, et falsis aut vanis mundi doctrinis cum Babylonis turre cadentibus, apparuit sublimissima veritas Scholae Tuae, quae lapidea corda mollivit.

Quapropter mirabile est, quod revelata jam gloria doctrinae Tuae, innumerabiles filii Adae, qui erraverunt ab utero Evae, matris suae, pro nihilo ducant

Praeceptorem vitae, et libentius audiant Demosthenem, aut Platonem, quam Dei Filium tota die e cathedra crucis expandentem manus Suas ad populum non credentem et contradicentem Sibi?

Nescio, Domine, quomodo excoecatum sit cor multorum etiam Ecclesiasticorum, qui sapientiores sibi videntur, si discant, et vane pronuntient sententias Homeri, aut Appollonii, quam verba ignita Jesu Christi?

Quid est hoc, Magister suavissime?

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est auri color optimus?

Quomodo viri Ecclesiastici, lapides scilicet sanctuarii Tui, dispersi sunt in capite omnium platearum?

Mihi certe non placet opinio haec.

In consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu eorum non sit gloria mea.

Mirabor potius, Domine, et amabo dignitatem et candidissimam lucem Scholae Tuae, et contemnam sapientiam omnium Chaldaeorum, ne forte seducar apparenti aestimatione hominum, quibus non placet castissima eruditio Tua.

Confitebor Tibi, Domine, in Ecclesia magna, in populo gravi verorum sapientium laudabo Te.

Displiceat mihi, precor, multitudo scholarum, ubi non discitur Dei virtus et sapientia; et adhaereat visceribus meis, mitissime Fili Dei, honestissima Schola Tua, ubi sitis sciendi sedatur dulcissimo potu aquarum Hesebon, quae fluunt cum silentio.

Caput II.

De suavitate Scholae Jesu Christi.

Unguentum effusum est, pacifice Rex Jerusalem, sermo Tuus, quo casta corda delectantur usque ad liquefactionem spiritus sui.

Quod usque adeo verum est, ut non solum, quando praedicasti turbis, omnes traherentur voluptate audiendi Te legistatorem, et suavissimum Praeceptorem suum, sed etiam quando pependisti inter latrones regnaturus a ligno, coeli, et terra moverentur, et montes saeculi sicut cera fluerent a delectationibus eloquii Tui.

Vere nunquam sic locutus est homo, sicut Rex dulcissimae Sion, Cujus labia sunt quasi vitta coccinea: mel quippe, et lac, o Unigenite Fili Dei, sub lingua Tua.

Non potest comparari, Domine, loquacitas, et affectata eloquentia Atheniensium, et Romanorum cum puritate vivi sermonis, quo utitur fidelissima Tibi Schola Tua.

Periit memoria Graecorum, et Latinorum cum sonitu: Verbum autem castissimum Scholae Tuae et torrens voluptatis ejus non peribit in aeternum. O Domine, quot pectora ferrea domuisti suavitate Magisterii Tui!

Bene novit hoc Paulus, qui et Saulus, quando credidit Tibi prostratus incredibili mansuetudine Tua.

Credo certe verba illa Tua: Saule, Saule, quid Me persequeris? penetrasse momento uno viscera persecutoris, prae magnitudine deliciarum manantium ex fonte vivo charitatis Tuae.

Quid dicam hic, Domine, de Augustino fidelissimo servo Tuo, quem percussit, ut sonaret vox descendens a Schola Tua, quam audivit in horto, quando subdidit cervicem jugo Tuo, et copiosissime flevit victus ineffabili dulcedine veritatis Tuae?

Nolunt, o mitissime Praeceptor, filii hominum persuadere sibi veritatem hanc, et Scholam Tuam insuavem appellantes, quaerunt sibi magistros prurientes auribus, et cupidissime discunt varias gentilium disciplinas.

Et quod peius est, viri graves, qui alios exemplo suo movere deberent, magnam vitae partem consumunt in legendis auctoribus, qui scripserunt de Architectura, Astrologia, vel Agricultura.

Confitentur se nosse Deum, factis autem vix confitentur Tibi.

Certe si gustarent, et viderent, quam sit inaestimabilis suavitas Scholae Tuae, projicerent idola de medio cordium suorum, et majorem vitae partem consecrarent studio secretae eruditionis Tuae.

Verumtamen homines isti, qui nolunt aestimare labentem de coelo instructionem Tuam, non sugent mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

Justus enim es, Domine, et rectum judicium Tuum: ut, qui fide Tua monentur, ut quaerant delectari in Te, et proterve repugnant, nunquam invenient thesaurum laetitiae incomparabilis, qua dilatantur corda discipulorum Tuorum, qui requiescunt ab aestu mundi sub salutari valde umbra Tua.

Caput III.

De efficacia Scholae Jesu Christi.

Vivus, et efficax vitae est, Domine, sermo Tuus, qui penetrat corda, et pertingit usque ad divisionem animae, et spiritus, compagum quoque, ac medullarum.

Habuerunt inventores variarum Sectarum discipulos et imitatores suos, quos impleverunt inanibus verbis: sed non correxerunt vitam eorum nigredine vitiorum, quasi carbonibus desolatoriis inquinatam.

Schola vero Tua, Domine, sicut et lex Tua est immaculata, convertens animas a nigredine in candorem, et a tenebris in formosissimam lucem gratiae Tuae;

Expurgat mirabiliter vetus fermentum Adae, et efficit novam conspersionem nascentis justitiae, quae est fructus plusquam suavissimus pretiosi valde sanguinis Tui.

O mansuetissime Praeceptor, et amator hominum, quoties viri leprosi ingressi sunt in Scholam Tuam, et loti, atque mundati, et super nivem dealbati mutati sunt in formam puritatis Tuae!

Quoties inveterati senes dierum malorum redierunt ad infantiam novae gratiae Tuae, educti de luto foecis, et de profundissimo lacu miseriae!

Quoties, Domine, fortissima gratia Tua creasti cor mundum, et spiritum rectum innovasti in visceribus eorum, qui postquam erraverant per Scholas inflantes, et non aedificantes, tulerunt jugum dulcissimae legis Tuae!

Sola certe Schola Tua, Domine, potest facere mundum de immundo conceptum semine.

Sola certe Schola Verbi incarnati tollentis grave lignum crucis super Se, et operantis salutem in medio terrae, facit homines castos, mites, humiles, et desideriis coelestibus plenos.

O Sapientia, quae disponis omnia fortiter, et suaviter: quam graviter errant homines jaculo curiositatis vulnerati!

Qui quasi arundines vento agitatae discurrunt per innumerabilia gymnasia, cum in nullo corum sentiant requiem, quam inquirunt.

Utinam converterentur ad Te, Doctorem gentium, ut invenirent pacem Tuam, et nollent sequi Magistros verborum venditores, sed in secretissimo silentio audire subtilem vocem Tuam!

Profecto tunc appareret illis fertilitas terrae promissionis Tuae; areae implerentur frumento, et torcularia vino redundarent; et experientia convicti praedicarent virtutem efficacissimam Scholae Tuae.

Lupi mutarentur in agnos delectabili spectaculo gratiae Tuae; et quasi Magister potens in opere, et sermone loquereris, et scriberes in visceribus eorum suavissimam legem, et inaestimabilem haereditatem novi testamenti, quod fecit inenarrabilis amor Tuus.

Caput IV.

De simplicitate Scholae Jesu Christi.

Consideravi, Domine, opera Tua, et expavi admirans altitudinem consilii Tui.

Evanuerunt homines studio vanae sapientiae, quam

multis verborum coloribus ornabant, antequam appareret Verbum Dei carne nostra vestitum.

Tu vero fortissima, et incommutabilis veritas decrevisti salvum facere genus humanum, non in sublimitate sermonis, sed in altissima virtute Dei.

Et proptera tradidisti Ecclesiae, dulcissimae sponsae Tuae, scripturas sanctas, et castas; ubi non eminet ornatus sermo, qui esse solet cordium mansuetorum, et humilium inimicus, sed simplicitas armata virtute, et veritate Tua, quae domuit orbem non ferro, sed ligno.

Non habitat, Domine, veritas Tua in tabernaculis impiorum, atque idcirco mendacia sua verbis bene sonantibus colorant.

Schola vero veritatis Tuae non eget coloribus, Domine; multo enim formosior et amabilior est divina veritas simpliciter pronunciata, quam profana mendacia verbis elegantibus tecta.

Quaero enim, Domine, ubi sunt Academiae florentes non veritate, sed garrulitate, quibus non est revelatus sermo Dei?

Nonne simplices homines, quos amasti, veritate, et simplicitate Scholae Tuae persuaserunt mundo viam disciplinae, et incognitum verbum crucis!

Quomodo ergo Pater Tuus obtexit caligine in furore Suo filiam Sion permittens abire viros multos post vanissima desideria sua?

Multis quippe viris, qui profitentur Christianam mansuetudinem, placet potius Schola Ciceronis, quam Jesu Christi; et horas plurimas impendunt studio sermonis, horrentes simplicitatem scripturae Tuae.

Usquequo, Domine, patieris hostes divini Spiritus, Tui, qui si tertiam partem studii, quod in Tullio posuerunt, tribuissent unigenito Dei Filio splenderet nunc lucerna Tua super capita eorum, et implevisses eos spiritu sapientiae, et sublimissimi intellectus Tui?

Vae insipientibus filiis Adae, qui delectantur, si eleganter dicant, quamvis dicendo mentiantur, et peregrinentur a Schola Filii Dei!

Sanius consilium est, amare casta eloquia Tua, et aperire aures cordis ad capiendum sensum verborum vitae.

Tempus breve est, ut bene senserunt Ecclesiae Doctores amici Tui: ex quibus multi, Domine, qui Rethoricam gloriose docuerant, antequam penetraret corda illorum vivus sermo Tuus, postquam subdiderunt collum suavissimo jugo legis Tuae, horrentes adulteria linguarum suarum, totis visceribus dilexerunt veritatem, puritatem, et simpliciatatem Scholae Tuae.

Hi sunt senatores terrae, et fidelissimi cooperatores gratiae Tuae, qui amaverunt fluenta Jordanis super aquas Assyriorum, et anteposuerunt sensum potentissimae veritatis vanae ostentationi filiorum Adae, quos excoecavit superbia sua.

Imprimatur ergo animae meae, Praeceptor mitissime, veritas et simplicitas Scholae Tuae, et pascar nutrimento filiorum Dei.

Caput V.

De puritate Scholae Jesu Christi.

Eloquia Tua, Domine, sunt eloquia casta, plusquam argentum igne examinatum, et ideo Schola, ubi loque-

ris ad cor Jerusalem Sponsae Tuae non habet maculam, neque rugam, sed nive candidior, et luce clarior est.

Propter quod discipuli Tui, qui in toto corde exquirunt Te, sunt nive candidores, et lucidissimo Sapphiro pulchriores.

Non enim admittunt impuritates filiorum Adae, quae solent inveniri in Scholis hominum, qui dereliquerunt Te.

Tu quippe, Fili Dei, candor es lucis aeternae, et speculum sine macula: et propterea, qui frequentant Scholam secretae eruditionis Tuae, similes fiunt exemplari Suo, et quidquid impurum est, fortissime repellunt.

Sed, o puritas infinita, quam intolerabiles sordes inveniuntur in Scholis hominum, qui non curant scire, et diligere Te!

Quam turpis licentia vitae crescit una cum disciplinis hominum, quae discuntur ad quaerendum panem mortalis vitae!

Non loquor tantummodo, Domine, de infidelibus, quibns non illuxit veritas Tua: sed de iis etiam, qui crediderunt in Te, Deum, et Redemptorem suum, quorum pars magna non magis sequitur Te, quam si in Te non credidisset.

Discunt quidam Jurisprudentiam, semper imprudentes: discunt Medicinam semper infirmi, discunt Theologiam Scholasticam, semper aridi, et frigidi.

Cujus tanti mali ratio est, quia oderunt castitatem Scholae Tuae, et nolunt incedere per arctam viam vitae.

Error nimis gravis, et viris Christianis indignus est, quem odivit anima mea.

Utinam stulti isti saperent, et intelligerent, et novissima sua providerent!

Ego, Domine, adhaerebo sententiae discipulorum Tuorum, qui nihil putant se scire inter homines, nisi Te solum Crucifixum, et avertunt a vanitate simplices, et castos oculos suos.

Sunt enim quasi greges agnorum, quos nutrit lacte dulcissimo Ecclesia sponsa Tua, et vigilantissime fugiunt consilia impiorum et cathedras pestilentiae perhorrescunt.

Fiat, obsecro, Domine, immaculatum cor meum, et solum discat, et requirat Te, ut fugiens aquas turbulentas peccatorum satier aqua purissima cisterna Bethlehem, charissimae civitatis Tuae.

Caput VI.

De laetitia Scholae Jesu Christi.

Justitiae Scholae Tuae, suavissime Praeceptor hominum, sunt rectae, laetificantes corda, quae interna eruditione Tua pascuntur, et dilatantur.

Praeceptum Tuum est super solem lucidum illuminans oculos, et auferens tenebras timoresque nocturnos.

Incredibile videtur, Domine iis, qui non cognoverunt vias Tuas, tam immensam laetitiam in humilitate Scholae mansuetorum inveniri.

Sed ego, Magister dulcissime, credo innumerabilia, et ineffabilia esse gaudia discipulorum Tuorum, qui, ut Te perfecte sequerentur, reliquerunt omnia propter Te.

Ipsi enim fide dignissimi dicunt, se quandoque gustare delicias paradisi Tui, quando requirunt puris cordibus, et manibus serenissimam faciem Tuam.

Et interrogati an gustaverint similes consolationes, quando affluebant divitiis, honoribus, et voluptatibus mundi, respondent, se nihil simile gustasse.

Credo, Domine, veram esse confessionem istam plenam misericordia et laude Tua. Sunt quippe fideles servi regis Salomonis ornati diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

Et merito, clementissime Domine, laetantur in Te, sicut exultant victores capta praeda; quia dum in spiritu humilitatis et in animo contrito student sapientiae Tuae, velociter currunt ad Te per spem incedentem usque ad secretissima bona, quae sunt intra velamen humanitatis Tuae.

Haec est pinguedo, qua replentur animae vacantes Tibi et fugientes strepitum Tyri et Sidonis, ubi exercetur mercatura filiorum Adae.

Non possidebunt mercatores isti laetitiam cordis, quod vendiderunt pro modico fragmento panis.

Dilexerunt Scholas inquietas, vocibus, contentionibus et clamoribus plenas, quas anteposuerunt tranquillitati Scholae Tuae.

Noluerunt benedictionem, et elongabitur ab eis; justo enim judicio Tuo statutum est, ut nemo virorum illorum, qui fuerunt invitati, et noluerunt venire ad convivium Regis, gustet lautissimam et mellitissimam coenam Tuam.

Fingant ergo sibi, qui quaerunt gaudia falsa, quidquid volunt: ducant in bonis dies suos, laetentur ad sonitum tympani et organi et in momento ad inferna descendant.

Absit vero a me, servo Tuo, ut exultem extra Scholam Filii Dei cum illis, qui fornicantur abs Te.

Exultabo potius sub umbra alarum Tuarum, et discam elementa sermonis Tui.

Quod si quis tentaverit me, et sollicitaverit, ut laeter figura mundi, fortiter respondebo ei: Si tuus Dominus est mundus, laetare et habeto pacem cum illo:

Ego vero in Domino gaudebo, et exultabo in Deo, Jesu meo.

Caput VII.

De pace Scholae Jesu Christi.

Pax multa, Domine, succedit diligentibus melle dulciorem Scholam Tuam; et non est illis scandalum.

Discipuli quippe Tui sunt servi fideles Regis pacifici, et vocantur filii Dei.

Non est pax haec, mitissime Domine, similis ei, quae in mundo est; non enim, quomodo mundus dat, Tu, liberalissime Rex, dare soles.

Pax enim Tua exsuperat omnem sensum, et aufert omnes interiores discordias, accedente Te ad cor hominis, et in secreto cubiculo instruente illum, quando nempe homo tacitus et cupidus praesentiae Tuae videtur sibi quasi sonum aurae lenis audire, et quasi furtive suscipit auris ejus venas suavissimi susurri Tui.

Hic est cibus discipulorum Tuorum, pro quo libenter dabunt omnem substantiam domus suae.

Pax Tua, Domine, non est audita in Chanaan, neque visa est in Theman.

Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, non invenerunt semitas pacis hujus.

Negotiatores mundi, qui opprimuntur multitudine occupationum, non gustaverunt saporem pacis, qua plena est Schola Tua.

Quomodo enim, si descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, gaudere possunt privilegiis principum, qui aedificant sibi deliciosissimas solitudines?

O sapientia, quam pauci noverunt et digne aestimaverunt pacem Scholae Tuae!

Utinam ex discordiis scholarum saeculi moverentur homines ad quaerendam requiem Tuam!

Corda sollicita et sciendi cupidissima, cum non possint ligata dissolvere, et veritatem per quaestiones innumerabiles inquisitam invenire, male torquentur in scholis saeculi.

Mites vero, et non altum sapientes discipuli Tui sine sollicitudine docentur a Te, quia ordine servato primum discunt bonitatem, postea scientiam, et disciplinam.

Bonos mores principio quaerunt, et statim aperitur sensus eorum ad intelligendas dulcissimas scripturas Tuas, in quibus pace mirabili requiescunt, sicut columbae lacte lotae, quae resident juxta fluenta plenissima.

Fiam, Domine, oro Te, particeps pacis, qua gaudet mansuetissima Schola Tua: et ordinentur in me, quaecunque discrepant a forma humilium discipulorum Tuorum, in quibus requievit Spiritus dulcissimae charitatis Tuae.

Caput VIII.

De honore Scholae Jesu Christi.

Nimis honorificati sunt auditores Scholae Tuae, discipuli nempe Tui, Domine, nimis elevatus est Principatus eorum.

Ipsi contempserunt omnia propter Te tracti desiderio vacandi Tibi: ex quo majores, et altiores mundo videntur, annumeranturque Principibus populi Tui.

Terrarum Principes dorsum incurvant terrenis bonis, quae dilexerunt: discipuli vero Tui, o Fili Dei altissimi, calcant omnem ornatum saeculi, et exaltantur asendentes super altitudines mundi, quem despiciunt.

Non solum in tempore illo, quando fundabatur Ecclesia Tua, primi discipulorum Tuorum magnificati sunt, quando laudabat eos populus, et nemo audebat se conjungere illis: sed nunc etiam frigescente quoque charitate in his novissimis diebus celebratur multis laudibus sublimissima Schola Tua.

Superbi enim homines admirantur humiles servos Tuos.

Divites saeculi laudant pauperes amicos Tuos.

Incontinentes mundi obstupescunt castos imitatores Tuos.

Tanta enim est excellentia virtutis, quae discitur in Schola Tua, Domine, ut non solum peccatores Christiani habentes Catholicam fidem, sed ipsi etiam infideles mirentur fidelem plebem Tuam.

Et quamvis non semper cogitent mirabilia opera Tua, in extremis saltem angustiis ostendunt Principes terrae, quid sentiant de veris discipulis Tuis.

Tunc enim respicientes idola manuum suarum, in quibus habebant fiduciam, et videntes quod non opitulentur eis, neque in necessitate eos protegant, rogant humiles corde servos Tuos, ut avertant iram Tuam ab eis, ne forte in furore Tuo illos arguas et corripias.

Quod certe in laudem Tuam cedit, Unigenite Fili Dei, quia per hoc confitentur Reges terrae, se indigere discipulis Tuis quasi potentioribus, ubi regnorum vires deficiunt.

Haec est gloria servorum Tuorum, Rex Jerusalem, Qui glorificas honoratores Tuos.

Confiteantur ergo Tibi omnes Reges terrae, et volentes vel invite laudent excellentiam Scholae Tuae.

Ego vero meditabor in Te, et celebrabo mites corde et altiores mundo discipulos Tuos: et confitebor in medio populi, me debere hymnum veris filiis Israel, et electissimo populo appropinquanti Tibi.

Caput IX.

De utilitate Scholae Jesu Christi.

Bene fecerunt, fidelissime custos hominum, qui venerunt in Scholam Tuam relictis retibus, et sollicitudinibus saeculi jactantes cogitatum suum in Te, ut Tu nutrires illos.

Profecto multa bona lucrati sunt ea ipsa hora, qua reliquerunt omnia, et secuti sunt Te.

Tu enim quasi nutritius singulorum, non solum internis epulis, sed externis etiam mirabiliter pascis illos.

Cogitavi dies antiquos, et annos aeternos in mente

habui: et nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus ita quaerens panem, ut non inveniret illum.

Quod certe facile credet, qui consideraverit admirabilem providentiam Tuam.

Si enim Tu, Domine, das jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus Te; quis dubitet an daturus sis panem dilectissimis Filiis Tuis?

Ego certe, Domine, non dubito, immo credo, quod divites egebunt, et esurient, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Quin etiam, dulcissime Fili Dei, consilio Tuo quotidie fieri credo, quod veris discipulis Tuis suppetat abundantia panis: nam, ut video, pro indigentia, et numero servorum Tuorum multiplicare solere annonam.

Haec vero differentia est, quod ipsimet servi Tui, ante quam totis visceribus sequerentur Te, vivebant inter spinas curarum saecularium solliciti quomodo saturarentur pane: nunc vero postquam transierunt in Scholam Tuam expertes curarum comedunt et saturantur, utpote qui requirunt Dominum, veram saturitatem, et consolationem Suam.

Quanto ergo commodior vita est, quae habet Te provisorem panis saturantis, quam illa, quae vagatur extra Scholam Tuam quaerens auxilia Aegyptiorum et Assyriorum, ut saturetur pane?

Tam perspicua est, Domine, veritas haec, ut possim constituere judices inimicos Tuos.

Non enim Tu es Deus noster, ut dii eorum, cujus rei inimici nostri sunt judices: nam et nunc hoc faten-

tur, et admirantur, qui non fuerant, et modo sunt amici Tui.

Procul ergo sit a servis Tuis, Domine, timere a fame, vel a frigoribus nivis, omnes enim domestici Tui vestiti sunt duplicibus. et Tu das illis mensuratatam, et salutarem escam in tempore opportuno.

Quod si aliquando permittis illos esurire, atque sitire probatio est multo pretiosior auro, quod adorant et in quo confidunt homines.

Transacta vero probatione reficiuntur a Te, et roborantur et crescunt commemorantes et laudantes inaestimabiles divitias et ineffabiles misericordias Tuas.

Haec est utilitas magna timentium Te et custodientium suavissima praecepta Tua.

Quapropter, oro Te, Domine, deduc me in via Tua, et introduc egenum et derelictum ad infinita lucra beatissimae Scholae Tuae.

Caput X.

De immunitate Scholae Jesu Christi.

Quaerunt filii hujus saeculi, qui recesserunt a Te, Domine, frui bonis apparentibus, prata mundi pertransire et abuti creaturis Tuis tanquam in juventute celeriter, et nolunt pati mala, quae meruerunt, sed filiorum immunitate gaudere.

Verumtamen non succedit eis ista iniqua praesumptio: serviunt enim Pharaonis servitutem nimis longam et duram.

Servi sunt peccati, quod fecerunt; et Tu convolvis

iniquitates illorum, quas imponis collo inclinato ad portanda quinque juga non hominum, sed jumentorum.

Nimis infelices sunt, dum peccando seminant sibi dolores, et abundanti proventu metunt eos.

Discipuli vero Tui, clementissime Domine, immunes sunt a multis poenis et miseriis privilegio nobilissimae Scholae Tuae.

Non solvit Schola Tua, Rex pacifice, tributa gravia dolorum et afflictorum, quae nascuntur ex desideriis avaritiae, ambitionis, incontinentiae et innumerabilium cupiditatum, quas extinguit Spiritus Tuus.

Profecto, Domine, interim dum peccatores, quasi diaboli jumenta portant pondera iniquitatum et praevaricationum suarum; auditores Scholae Tuae vinculis peccatorum absoluti similes fiunt onagro, cui dedisti in solitudine domum et tabernaculum ejus in terra salsuginis; qui circumspicit montes pascuae suae et virentia quaeque perquirit.

Non capiunt omnes verbum istud libertatis filiorum Dei, sed ii tantum, quibus revelavit non caro et sanguis, sed altissimus Pater Tuus.

Existimant praevaricatores, quorum tabernacula praediis abundant, discipulos Tuos mendicos, et pellibus caprarum indutos, premi extrema servitute.

Sed Tu, Domine, Qui nosti corda hominum et scrutaris renos et corda, scis illos gaudere libertate et immunitate filiorum Dei, et esse altiores omni altitudine mundi.

Videntur oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace; quam neque persecutio, neque fames, neque sitis, neque gladius, neque mors tollit ab eis.

Non tangit illos tormentum malitiae, quae torquet doloribus inferni operatores suos; atque ita, si quid patiuntur, convertetur eis in solatium et in amplissimam mercedem interminabilis vitae et aeternae gloriae Tuae.

Sit ergo portio mea, Domine, in terra morientium confugere ad immunitatem Scholae Tuae; ut in regione vivorum fruar delectationibus Tuis, et videam diu desideratam faciem Tuam.

Caput XI.

De sapientia Scholae Jesu Christi.

Sicut exaltantur coeli a terra, sic Schola Tua, Domine, a scholis filiorum hominum.

Discunt homines avidissime secreta naturalia, et causas, et effectus, et mutationes elementorum, et considerant motus siderum, testimonium perhibente ipsis conscientia ipsorum, quod non satis intelligant illa, quorum doctores et magistri esse volunt.

Ipsi enim, qui inter illos doctiores sunt, postquam ad scientiam Scholae Tuae pervenerunt, confitentur, se nihil perfectum scivisse, quamvis in cathedris exclamarent et alios docere praesumerent.

Tu vero, Domine, Cui omne cor patet, et omnis voluntas sine verbis loquitur, sine perplexitatibus et erroribus doces mansuetos et humiles discipulos Tuos altissimam sapientiam, quae simul illuminat et inflammat.

Et quod est mirabile, momento uno majorem et sereniorem notitiam Tuae majestatis accipiunt, quam si per annos multos in Scholis Theologorum laborarent.

Suspenduntur magnitudine mirabilium, quae eis a

Te revelantur et absconduntur a sapientibus mundi; non enim mundus novit Te, neque gustavit mel dulcissimae sapientiae Tuae.

Hic est cibus grandium, qui crescunt ad mensuram Tuam, et quasi aquilae ascendunt ad purissimam regionem aëris, ubi sine nubilis cernant splendorem solis, et ibi ponant nidum suum.

Apparet illis serenitas Tua et lux formosissima vultus Tui sublatis imaginibus importunis creaturarum, et fortissime adhaerent visceribus Tuis.

Requiescunt in amplexu Tuo, postquam sublimissimo volatu pervenerunt ad Te, et stupescunt, quia incerta et occulta sapientiae Tuae mirabilibus modis manifestantur illis.

Ibi audiunt arcana verba, quae non licet homini loqui; et bibunt de limpidissimo fonte suavitatis Tuae.

Oculus non vidit, neque auris audivit, Deus, absque Te, quae non solum in coelesti patria, verum etiam in schola patientiae et mansuetudinis Tuae praeparasti in thalamo sapientiae diligentibus Te.

Quapropter silentio sancto venerabor secretissimam sapientiam Scholae Tuae, quae ineffabilis est; et desiderabo ascendere cum Moyse ad verticem montis sancti Tui, ad videndam saltem a longe fertilissimam regionem promissionis, ad quam festinant per sudores et dolores charissimi amici et consortes primogenitae Civitatis Tuae.

Tempus breve est; et in Scholis hominum non satiatur oculus visu neque auris auditu.

Ingrediar ergo cum modogenitis infantibus in

Scholam dulcissimi Praeceptoris mei; et ascendam in palmam, ut colligam suavissimos fructus Ejus.

Caput XII.

De beatitudine Scholae Jesu Christi.

Recordatus sum Tui, Domine, considerans castam beatamque generationem Ecclesiae, Sponsae Tuae. Nam usque in hodiernum diem legi audio verba, quae praedicasti, dum fundares illam, et beatos illos appellares, qui sequerentur Te.

Beatos dixisti pauperes spiritu, misericordes, mites, mundos corde et alios similes, qui sunt de felicissima Schola Tua.

Tu autem veritas veracissima non diceres beatos discipulos Tuos, si non haberent aliquid melius, interim dum sequuntur Te dulcissimum Praeceptorem suum.

Ego certe, Domine, mihi persuadeo motus auctoritate coelestis doctrinae Tuae, beatos esse mansuetos auditores Tuos, quamvis doctrina haec satrapis mundi non placeat.

Isti enim sola, quae apparent, considerantes beatum dixerunt populum, cujus oves sunt foetosae in generationibus suis, et cujus boves sunt crassae, et ubi non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Sed qui noverunt Te, multo melius de Te, populoque Tuo sentientes dixerunt: Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Si ergo populus diligentium Te, quamvis ovibus et bobus crassis et bonis externis non abundet, bea-

tus est juxta rectam fidem discipulorum Tuorum; necessario dicendum est, beatitudinem Scholae Tuae, sicut et omnem gloriam filiae Regis ab intus esse, servosque Tuos intra se Regnum Dei possidere.

Ex quo sequitur magna laus gratiae Tuae, Domine, qua imples vasa electionis habentia pretiosissimum thesaurum intra corpora fragilia et opinione mundi contemptibilia.

Sed vir insipiens non cognoscit, et stultus non intelligit mirabilia haec, quae operaris in abscondito.

Amici vero Tui bene intelligunt, se felicissimos esse, quia altissima paupertas spiritus, tranquillissima pax filiorum Dei, dulcissima mansuetudo et fortissima tolerantia injuriarum, et persecutionum transtulit eos ad statum excelsissimum, cui non deest nisi consummata et suprema aeternae vitae beatitudo.

Habent initia, et spe firmissima exultantes futuram inquirunt.

Nunc praegustant esurientes et sitientes justitiam, sed ipsi saturabuntur fructu ligni vitae, et translati in amoenissimum paradisum, quem plantavit dextera Tua, satiabuntur ab ubertate domus Tuae.

Beatus est nunc, Domine, vir, cujus est auxilium abs Te, quia disponit ascensiones in corde, quibus fit altior et beatior omni mundana celsitudine et beatitudine.

Sed postquam auxilio Tuo, quod praebes in opportunitatibus, ascenderit deliciis affluens de deserto hujus vitae ad populum accinctum gloria et honore Tuo coronatum, apparebit hic incepta, et illic completa felicitas ejus, quae durabit in aeternum et ultra.

PARS II.

De proprietatibus discipulorum Scholae Jesu Christi.

Caput I.

De docilitate discipulorum Jesu Christi.

Longe absunt a mitissima Schola Tua, Domine, incircumcisa, et dura corda contra stimulum acutissimum amoris Tui calcitrantia.

Non capit Schola mansuetorum animos protervos, et contentiosos, qui oderunt dulcissimam concordiam Filiorum Tuorum.

Homines pertinaces, qui posuerunt sicut adamantem, faciem suam, et consueverunt repugnare melle dulcioribus misericordiis Tuis, non intrabunt in requiem Scholae Tuae.

Tu enim, Domine, Rex Pacificus, et Magister Pacificus es, qui odisti cervices duras, et colla erecta nolentia tollere suave jugum Tuum super se.

Recordor, Domine, nascentis Ecclesiae Tuae, quando multitudinis credentium erat cor unum et anima una, et trahor mansuetudine agnorum Tuorum, qui sine repugnantia, vel duritia sequebantur Te, et imitabantur mitissimum Agnum Dei.

Ex quo facile discernunt illuminati servi Tui, quae sit ratio, cur multi ex iis, qui dicunt se discipulos Tuos, non proficiant, neque in Schola Tua requiescant.

Nimirum sunt nimis tenaces sensus sui, et nolunt mitescere, et esse parvuli in oculis suis: et ideo non

finunt se doceri ab humilibus amicis Tuis, quibus secreta tua revelasti.

Grande malum est hoc, et a spiritu Tuo longissime recedit: quocirca discipuli Tui sibi timentes ab omnibus etiam inferioribus doceri quaerunt, et mirabili facilitate cedunt proximis Suis.

Atque ex hac ipsa facilitate nascitur mira suavitas in dilectione fratrum, in quorum animis, et actionibus nulla apparet asperitas.

Omnis plebs Tua, Domine, trahitur a Te, et componit affectus, et operationes suas ad placitum proximorum, quos aestimat meliores se.

Et per hanc docilitatem disponitur ad studium altissimae sapientiae, quae humilium propria est.

Ego igitur, Domine, nolo esse de Schola eorum, qui incircumcisis cordibus, et auribus spiritui Tuo semper restiterunt, et in peccatis Suis mortui sunt; sed de Schola parvulorum, qui contremiscunt ad sermones Tuos, et sine ulla contentione acquiescunt vivis sermonibus Domini, et Praeceptoris Sui.

Imprimatur, obsecro, cordi meo docilitas Filiorum Tuorum Domine, ut quicquid docueris, sine duritia suscipiam, et mitis audiam; quid loquatur in me Dominus Deus, firmiter sperans, quod loquetur amabilissimam pacem ad pusillum gregem charissimae plebis Suae.

Caput II.

De digna aestimatione doctrinae, quam habent discipuli Jesu Christi.

Habet hoc, Domine, omnis qui audivit a Patre Tuo, et venit ad Te, ut aestimet magni pretiosissima verba,

documenta Tua, certo sciens Te infaillibilem veritatem, et infinitam sapientiam esse, neque posse fallere, neque falli.

Non videtur servis Tuis, Domine, ulla mundi doctrina comparabilis cum disciplina Scholae Tuae, quae de coelo est.

Quando attentis cordibus, et auribus audiunt verba dulcissima Evangelii Tui, mirantur, et inflammantur, et friget illis omne, quod in mundo altum et honoratum est.

Si forte propter necessitatem praesentis vitae vacant studio scientiarum alliarum affliguntur valde, qui difficulter distrahuntur a Schola Tua, cujus prima elementa altiora videntur eis omni sublimitate disciplinarum, quibus inviti student.

Certe bene ostendit sensum veritatis hujus ille, qui timens seperari a Schola Tua dixit: Quo ibimus? verba enim aeterna vitae habes.

Infoelices illi, Domine, qui dixerunt male loquentes de Te: Durus est hic sermo! duriora quippe erant corda illorum, quae non capiebant sensum suavissimi sermonis Tui.

Profecto, amantissime Magister, animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, neque discernit inter bonum et malum, quia solos carnis oculos habet.

Spirituales vero servi Tui, quos instruis interna disciplina, judicant, et discernunt omnia, et observant apices divinae legis Tuae.

Si detur eis ut linguis hominum loquantur, et Angelorum, et ut noverint scientias mundi omnes, nihil eis aestimabile videtur camparatione doctrinae Tuae.

Et propterea, quando audiunt alios amicos Tuos, per quos loqui soles ad cor quaerentium Te, mitissimis animis, et humili valde modestia recipiunt verba de coelo descendentia, quasi stillicidia stillantia super terram.

Ex Deo sunt et propterea verba Dei attentissime audiunt timentes, ne forte priventur pinguissimo nutrimento suo.

O Domine, quomodo arripiunt verba Tua et non satiantur dulcedine, quam sentiunt in mellitissimis sermonibus Tuis!

Quomodo commoventur totis visceribus in cantu suave sonantis Ecclesiae sponsae Tuae, cujus singula verba aestimant super inaestimabiles margaritas!

Aperi, Magister mansuetissime, oculos illorum, quos mundus fascinavit, ut sciant magnificare Scholam Tuam et adhaereant fortissimae ac dulcissimae veritati Tuae.

Caput III.

De contemptu mundi, quem habent discipuli Jesu Christi.

Nemo, Domine, potest duobus Dominis servire; et propterea discipuli Tui, qui Tibi crediderunt, abnegarunt omnem ornatum saeculi, et totos se sacrificaverunt Tibi.

Non est divisum cor eorum inter Te, et Deos alienos: satis enim constat eis, quia Tu solus es Deus, et non est alius Deus praeter Te.

Bene noverunt, quia tu occidis, et vivere facis, et non est, qui de manu Tua possit eruere.

Quocirca bono consilio renuntiaverunt omnibus, quae possidebant: dixisti enim eis: Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest Meus esse discipulus. Propter boc non solum divitias, sed honores et voluptates (idola scilicet mundi) contempserunt ut sine impedimento currerent post Te, qui exultasti ut gigas ad currendam viam.

Credo autem, Domine, ideo illos omnia contempsisse, quia statim ac seminasti desideria aeternae vitae in cordibus eorum, omnia quae videntur, arbitrati sunt ut stercora, et affecti taedio rerum contemptibilium cucurrerunt ad meliorem et manentem substantiam, ut lucrifacerent Te.

Et quidem, o dulcissime Fili Dei, bonum consilium est, spernere omnia propter summum bonum, quo satiari possunt corda hominum.

In quo consilio Tuo mirabiles valde videntur aliqui discipuli Tui, qui diligentiores fuerunt ad praesentis vitae bona recusanda, quam filii hujus saeculi ad illa capienda.

Quis enim unquam, Domine, tam cupide quaesivit divitias, quam Franciscus fidelissimus servus paupertatem.

Quis unquam tam ardenter concupivit carnis delectationes, quam Agnes et Caecilia dulcissimae sponsae Tuae castitatem?

Quis unquam tam artificiose quaesivit honores mundi, quam Alexius, et Alexander Carbonarius charissimi amici Tui contumelias?

Credo, Domine, studium hoc mirabile, quo amici Tui quaesierunt non solum mundum contemnere, sed

ab eo contemni, processisse ex alio studio liberius vacandi Scholae Tuae imitatione illius, qui dixit: Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.

Bene quidem, quia mundus transit, et concupiscentia ejus: discipulorum vero Tuorum gloria non transibit in aeternum.

Accipient enim coronam pulchritudinis, et amplissimam infinitae laudis remunerationem in atriis Jerusalem beatissimae civitatis Tuae.

Caput IV.

De cordis puritate, quam habent discipuli Jesu Christi.

Similes sunt, Domine, Discipuli Tui custodibus lecti Salomonis tenentibus gladios super femur suum.

Custodiunt quippe diligentissime corda sua, in quibus Tu, Rex pacifice, requiescis tanquam Sponsus in thalamo suo.

Mirabile est, quam vigilanter custodiant vigilias noctis super animas suas, ne forte inquinentur vestes nuptiales eorum, et repellantur a candidissima plebe Scholae Tuae.

Non habent fiduciam in seipsis, sed inenarrabilibus gemitibus implorant clementiam magistri sui, ut capiant vulpes parvulas culparum levium, ne forte demoliantur florentes vineas suas.

Habent illi thesaurum pretiosae valde gratiae Tuae in vasis fictilibus fragilissimae carnis, et viventes in terra inimicorum, ad omnes horas suspicantur furta.

Et propterea exstimulati perpetua sollicitudine fu-

giunt quidquid impurum est, et quotidie se mundant lavacro sanguinis Tui.

Neque vero hoc solum faciunt, Domine, ut omnia inquinamenta carnis et spiritus vitent; sed ut puriora corda servent Tibi, studiosissime abstinent a licito amore creaturarum, et totis visceribus requirunt serenissimam faciem Tuam.

Non noverunt patrem, neque matrem, neque consanguineos, neque amicos, neque commoditates, cum sciant omnia haec partem cordis sibi vindicare. Sed omnes ejusmodi affectus transtulerunt ad Te unicum refrigerium suum et optabilissimam mercedem suam.

Hi sunt columbae simplicissimae, argento puro deargentatae a diluvio aquarum multarum volantes ad arcam, volantes ad nidum cordis Tui, ubi nihil est nisi puritas, ubi semper student fortissime adhaerere.

Propter quod Tu, Domine, Qui delectaris puris cordibus, quae sunt velut lilia paradisi Tui, auges per singulos dies eorum candorem, quo discipuli Tui fiunt aptiores ad intelligenda occulta sapientiae suae.

Certum est enim secretissima mysteria Scholae Tuae non percipi a cordibus inquinatis; in malevolam quippe animam non intrat sapientia Tua, neque habitat in corde subdito peccatis.

Atque ita discipuli Tui, Domine, a sordibus peccatorum longissime recedentes, et quotidie resecantes in se, quod inutile et vetustum est, relicto Adam primo atque terreno transformantur in Adam secundum et coelestem; in qua transformatione consistit admirabilis excellentia Scholae Tuae.

Hic est scopus humilium et mansuetorum discipulorum, qui requiescunt sub umbra Tua, Domine; ut ablatis imperfectionibus, quibus in hac vita religiosa quoque corda tanguntur, fiant per omnia similes Tui, et purissimis affectibus et operibus placeant animae Tuae. Tu vero delectaris et odoraris odorem suavitatis surgentem e sacrificio gratissimo Scholae Tuae, quae virgineo decore unitur Tibi, dulcissimo sponso suo.

Caput V.

De desiderio amandi, quod habent discipuli Jesu Christi.

Student homines, qui serviunt huic saeculo, Domine, ut sciant et lucrentur panem pereuntem; discipuli vero Tui student, ut ament Te et trahantur ad Scholam mansuetudinis Tuae, non desiderio lucrandi, sed amandi.

Pura enim corda et adulterii nescia non quaerunt Te propter se, sed Te quaerunt propter Te; et ideo cupiunt erudiri, ut totis visceribus ament infinitam bonitatem, sapientiam et decorem Tuum.

Qua in re apparet purissima castitas cordium sequentium Te, Domine, et sublimissima altitudo Scholae Tuae, cujus omne studium eo tendit, ut innumerabilibus desideriis requirat Te.

Nam in ipsa sanctitate disciplinae Tuae, qua illustratur, non sibi placet in excellentia cognitionis secretorum Tuorum, quatenus ejus excellentia est, sed quatenus pertinet ad finem dilectionis, cujus holocausta medullata offert Tibi.

Postquam vero discipuli Tui cognoverunt gratiam Tuam et misericordiam magnam, qua illos Tibi configurasti, semper vacant perennibus desideriis charitatis, quae in castis cordibus ardet et ardebit, neque flumina obruent illam.

Hinc, credo, Domine, nascitur profectus ille maximus discipulorum Tuorum, quos non retardat scientia, quae inflat, sed movet charitas, quae mirabiliter aedificat.

Si enim interrogentur, quid quaerant libros legentes, vel doctores audientes, vel fortasse disputantes, respondent, se velle discernere, quod Tibi placet, ab eo, quod displicet, et velle doceri, quemadmodum appropinquent Tibi, ut fortius diligant Te dulcissimum Deum et Redemptorem suum, et quidem sive legant, sive loquantur, sive operentur, semper sunt memores Tui multiplicantes desideria charitatis sine fine.

Omnis Schola Tua, Domine, foecundissima est: omnis plebs Tua habet gemellos foetus, et sterilis non est in eis.

Quidquid discipuli Tui cogitant aut vident, convertitur eis in argumentum desiderandi Te, et implorandi jucundissimam praesentiam Tuam.

Ex quo fit, ut, quidquid discunt, amando discant, et nihil in terra quaerentes praeter Te aedificent domos suas supra petram.

Utinam, Domine, omnes scholae hominum dirigant ad Te labores prolixos, quibus fatigantur, ut aliquid sciant, et moveantur desiderio amandi Te, ad suscipiendam longam peregrinationem suam!

Sic enim christiano more laborabunt, et cum pane, quem lucrantur, acquirent majora lucra suavissimae charitatis Tuae.

Caput VI.

De collectione virium animae, quam habent discipuli Jesu Christi.

Omnis anima, quae gustavit lac Scholae Tuae, Domine, fugit curiositatem, et claudit ab intus domum suam, ne forte mors intret per fenestras.

Recordor, Domine, viduae illius, quam consolatus es per manum Elisaei, Prophetae Tui, quae ostio clauso implevit vasa oleo manante e fonte dulcissimae bonitatis Tuae, et videtur mihi ineffabilis misericordia Tua similiter visitare oleo laetitiae animas servorum Tuorum colligentium vires suas, quemadmodum visitavit olim viduam illam.

Et fortasse haec est ratio, propter quam fugiunt de medio civitatum, et abscondunt se in speluncis, vel in locis solitariis, ubi nemo pulset a fortis ostia domuum suarum, et interrumpat studium vacandi Tibi.

Quod si propter necessitatem praesentis vitae cogantur habitare cum filiis hujus saeculi, et cum mercatoribus Madianitis, atque Sabaeis; diligentissime vigilant super se, et continent froeno disciplinae corda et oculos Suos.

Aedificant sibi cellas non manu factas, in quibus habitent Tecum collectis viribus animae, etiam dum discurrunt per vicos, et plateas.

Jam enim didicerunt suspirare de fluminibus Babylonis ad pacem Sion montis sancti Tui: et videntes

sollicitudines, et labores hominum, quos excoecavit amor hujus saeculi, tristissimo spectaculo compuncti moventur ad desiderandam, et postulandam libertatem Filiorum Dei.

Considerant fluctus saeculi nunc ascendentes usque ad abyssos: et casto timore correpti, quasi de profundis aquarum, unitis, et elevatis cordibus emittunt e medio populi secreta vota, et immolant innumerabilia sacrificia in altari cordis sui.

O Domine, quam delectabilia sunt sacrificia haec cordi Tuo!

Quam amanter respicis hos fidelissimos servos Tuos, qui colligunt se intra se, ut neque in mediis occupationibus variis obliviscantur Tui.

Tu certe, Rex magne, et custos amantissime quaerentium Te, circumducis eos, et doces, et custodis quasi pupillam oculi Tui.

In medio turbarum et clamorum lactas eos, ducisque ad secretam, tibique notam solitudinem, et blande loqueris ad corda eorum.

Ex quo omnis anima, quam lactasti, discit tenacissime apprehendere Te, et recordari uberum Tuorum, nolleque relicta matre nutricis alienae lacte seduci.

Confiteantur ergo Tibi, Domine, omnia corda amicorum Tuorum, et sancti Tui ferventissime benedicant Tibi.

Sic enim intra media negotia necessaria saeculi remuneras collectionem virium animae diligentis Te; quid facies, o Liberalissime, quando post labores hujus mortalitatis illa requiescet in strictissimo complexu Tuo?

Caput VII.

De fidelitate respondendi divinis inspirationibus, quam habent discipuli Jesu Christi.

Oves Tuae, Domine, quae didicerunt pascua vitae, vocem Tuam audiunt, et fidelissime obediunt inspirationibus Tuis.

Anima, quae gustavit Te, sugens dulcissimum lac Scholae Tuae, vehementer commovetur internis vocibus Tuis, et sollicitatur, ut cito sequatur Te amabilissimum Praeceptorum, et sponsum suum.

Propter quod fideles discipuli Tui, etiam inter negotia hujus vitae, attentissime audiunt sibilum aurae lenis, in qua loqui soles ad corda eorum: et dirumpunt omnia vincula occupationum, quam primum possunt, ut totis visceribus vacent Tibi.

Sic nempe audivi, Domine, mirabilem fidelitatem Francisci amici Tui charissimi, quem signasti signis redemptionis Tuae, qui solebat tam fideliter respondere inspirationibus Tuis, ut quando iter faciebat cum socio, et sentiebat vocem secretam Domini sui vocantis illum ad orationem, statim subsisteret vacaturus Tibi, dicens socio, ut praecederet, ne impediret studium Scholae Tuae.

Et usque in hodiernum diem sunt aliqui, licet pauci electi inter auditores Tuos, qui gerunt cor sollicitum pro Te: et statim ac sentiunt suavissimum Praeceptorem suum, vel fingentes se habere grave aliquod negotium, vel palam contemnentes leges mundi, relictis omnibus lucris et commoditatibus currunt ad Te optatissimum refrigerium suum.

Horum consilium altius mundo est, et amore ac imitatione dignissimum.

Quis enim, Domine, non anteponat melle dulciorem conversationem Tuam communicationi hominum, qui habitant domos luteas terrenum habentes fundamentum?

Nonne melior est hora una in conspectu Tuo super millia annorum cum figura mundi transeuntium?

Consumunt filii hujus saeculi annos vitae suae in palatiis Principum terrenorum suspensi et attenti ad sonum companulae, vel ad vocem Dominorum, a quibus asperas correptiones, et levissimam mercedem recipiunt.

Quanto ergo justius est, Domine liberalissime, discipulos Tuos sollitos vigilare ad audiendam incundissimam vocem Tuam, cum qua veniunt stillicidia coeli, quibus pinguescunt speciosa deserti, et campi nostri replentur ubertate?

Vae illis, Domine, qui non obediunt paternis inspirationibus, et materno amori Tuo! Campi eorum germinabunt spinas et urticas, et consumentur egestate.

Credo certe, Domine, neglectum inspirationum Tuarum causam esse infelicissimae sterilitatis, qua multi etiam religiosi laborant; qui satis esse putant non committere peccata mortalia, sed interiores motus cordis, ubi Tu loqueris, non considerant, et innumerabilia desideria proficiendi, quae Tu seminas, frigescere sinunt.

Ascenderunt super excelsam terram, ut comederent fructus agrorum; ipsi tamen infideles cultores terrae sunt, et cum filiis alienis erraverunt.

Penetret, oro Te, Domine, cor meum vox Tua, et erudiat me; gratiaque Tua ponat pedes meos, quasi servorum, ut celeriter curram post Te ad suavissimos odores unctionis Tuae.

Caput VIII.

De adinventionibus discipulorum Jesu Christi.

Qui comedunt Te, Domine, adhuc esurient, et qui Te bibunt, adhuc sitient; non enim satiatur Schola Tua pastu veritatis, ita ut taedio affecta, sapientiam non requirat.

Immo quaerit atque requirit, et novis adinventionibus excogitat modos innumerabiles placendi Tibi.

Ex quo certe studio placendi cordi Tuo factum est, Domine, ut plurimi sancti et fidelissimi servi Tui glorificarent Te variis et inauditis modis, quos invenit sollicita et ardentissima charitas Tua; nunc scientiam dissimulando, nunc ex urbibus fugiendo, nunc praelationes recusando, nunc amentiam fingendo, nunc in antris habitando, nunc seipsos ad aliorum redemptionem vendendo, et sub aliis formis multis Tibi militando.

Haec est, Domine, gens electa. Haec sunt castra Dei vivi.

Haec est fortissima pars Sulamitis, dilectae Tuae, quae filiis Tuis est suavis et pulchra sicut Jerusalem, et inimicis Tuis est terribilis quasi castrorum acies ordinata.

Verissimum est, Domine, charitatem Tuam magnam operari et semper tentare nova, quae operetur propter Te.

Quod et his novissimis diebus in renovatis religiosis ordinibus jucundissimo spectaculo videmus.

Delectantur, Domine, spirituales servi Tui in factura Tua, et in mirabilibus operibus Tuis exultant.

In cibo enim, et potu, et vestitu, in somno et vigilia, in sessione et incessu et in aliis multiplicibus actionibus requirunt modos musicos mundo incognitos, quibus delectetur auris Tua.

Bene nosti proelia militum Tuorum, Domine, Qui laborem et dolorem consideras, ut remuneres multis modis multiplices adinventiones gratiae Tuae.

Sed et principes tenebrarum, cum quibus est illis colluctatio, noverunt fortitudinem servorum Tuorum, qui cuncta, quae habent, pellem quoque pro pelle dabunt pro charissima anima sua.

Modo occulte, modo palam pugnant contra reges Chananaeos; nunc sudoribus, nunc laboribus multis laborant inter peregrinos suspirantes ad patriam suam; nunc seminant in lacrymis sperantes in Te, et credentes, quod in gaudio metent.

O Domine, quot modis crucifigunt corpora sua alligantes ea in compedibus timoris Tui, ne unquam recedant de via vitae!

Quoties ferrum pertransit animas eorum, quibus potum dare soles in lacrymis in mensura!

Credo certe, mitissime Domine, aromaticos odores ascendere ad Te de altaribus cordium discipulorum Tuorum, qui sacrificant seipsos multis modis exquisitis in abscondito.

O Rex Sion, quis credet auditui nostro? et bra-

chium Tuum, quo adjuti amici Tui operantur talia mirabilia, cui revelatum est? Exercent illi occultas luctas, et non saturantur laboribus et opprobriis cupientes Tibi Soli placere, et a Te Solo videri; sed Tu facies illos sedere cum senatoribus terrae, et laudabis in porta, per quam exeunt ex hac vita opera eorum, ut sciat mundus adinventiones mirabiles fidelissimae Scholae Tuae.

Caput IX.

De zelo discipulorum Jesu Christi.

Spiritus divinae charitatis Tuae, Domine, quae inflammat pura corda discipulorum Tuorum, urget illos, ut gemitibus et exhortationibus et exemplis quaerant lucrari dilectissimos proximos suos; quos aemulantur Dei aemulatione cupientes praeservare illos a contaminatione, et quasi virginem castam despondere Tibi.

Sollicitant corda virorum, non ut Absalon, quando juxta portam satagebat eripere regnum patri suo, sed ut mansuetissimus eorum Magister, Qui posuit dilectam animam Suam pro fratribus Suis.

Et ideo negotiantur, ut solliciti mercatores quaerentes die ac nocte multiplicare divitias suas.

Zelus domus Tuae consumit illos, et fortissime pugnat pro reparanda Jerusalem, quae aedificatur ut civitas.

Non cessant diebus, neque noctibus monere unumquemque proximorum suorum cum lacrymis et orationibus, ut reducant errantes in Scholam Tuam.

Quando audiunt innumerabiles populos infidelium descendere in infernum, qui dilatavit animam suam,

tabescunt incredibili moestitia et pro conversione mundi sacrificant Tibi mille modis animas et corpora sua.

O Domine, quam copiosae fluunt lacrymae per maxillas eorum, quando vident inimicos Tuos blasphemare et maledicere Tibi!

Mundus exultat ad sonum tibiae et citharae, et multiplicat cum risu peccata velut arenam, quae jacet in littore maris; et servi Tui innoxii agunt severam poenitentiam pro iis, qui obliviscuntur Tui.

Atque ita sustines peccatores propter justos discipulos Tuos, quorum charitas quasi murus firmissimus opponitur irae justitiae Tuae.

Utinam, clementissime Deus, hae lampades zeli amicorum Tuorum semper ardeant in conspectu majestatis Tuae, et stent illi constanter coram Te, sicut stetit Moyses, electus Tuus, in confractione populi Israel, ut averteret fortissimam iram Tuam.

Sint illi ad propitiationem pro viris sanguinum, et dolosis, et pro stultis, quorum infinitus est numerus.

Recordare, o Rex Jerusalem, fidelium amicorum Tuorum, qui aemulatione dura consumuntur, et auribus percipe lacrymas amore domus Tuae fluentes in medio Ecclesiae, dulcissimae Sponsae Tuae.

Caput X.

De suavi conversatione discipulorum Jesu Christi.

Mitissima et amabilissima conversatio discipulorum Tuorum, Domine, ostendit, quales isti sint.

Omnis enim arbor cognoscitur a fructibus, et a Te veritate divina dictum est, quod omnis arbor bona bonos fructus facit.

Ex quo sequitur, quod, cum auditores Tui boni sint, conversationem eorum oportet suavem esse.

Atque ita est, Domine, universo mundo consentiente, et admirante honestissimam conversationem servorum Tuorum, plenam dulcissimis fructibus justitiae et charitatis Tuae.

Non quaerunt, quae sua sunt; non irascuntur in proximos suos; non altum sapiunt, sed timent; alter alterius onera amantissime portant; infirmantur, si alter sit infirmus; humilibus consentiunt; sunt taciti, verecundi, modesti, hilares, et diligentissime fugiunt, quidquid proximos offendit.

Haec est exercitatio Scholae Tuae, Domine, quae homines prius feros mitescere facit, et componit ad perfectissimum exemplar Magistri sui.

Ex quo efficitur ad laudem divinae gratiae Tuae, Domine, ut amentur etiam ab illis, qui non noverunt Te.

Capiuntur enim decore illo, qui nascitur ab occulta virtute filiae Regis, quae est circumamicta varietatibus.

Et quis est, Fili Dei altissimi, cui non placeant oculi columbarum, casta et humilia corda, et manus innoxiae agnorum Tuorum, qui patiuntur et non resistunt, qui maledicuntur, et benedicunt?

Profecto, Domine, conversatio haec tam suavis et amabilis est, ut saxa durissima ad pietatem et compunctionem movere possit.

Quod si ad sermonem eorum descendam, laudabo Te in operibus et verbis gratiae, quae in cordibus et labiis eorum diffusa est.

Etenim, dulcissime Praeceptor hominum, ex abun-

dantia cordis os loquitur; atque ideo ii, quorum corda Spiritu Tuo plena sunt, de Te semper suaviter loquuntur, et proximorum visceribus imprimunt ignitos affectus ardentissimae charitatis suae.

Tetigisti linguas eorum igne Tuo, Domine, et propterea emittunt eloquia flammantia, quibus inflammantur et illuminantur populi, ad quos derivatur pluvia voluntaria, quam segregasti pretiosissimae haereditati Tuae.

Sic ergo, Domine, innocentia vitae, modestia et castissima eloquia sapientiae Tuae reddunt discipulos Tuos mundo mirabiles et amabiles, cum infinita laude divinae gratiae et copiosissimae misericordiae Tuae.

Quod si talis est amicorum Tuorum conversatio cum iis, qui aut parum, aut nihil cognoverunt Te; quam suavis et delectabilis erit mutua communicatio inter ipsos discipulos Tuos dulcissima charitate conjunctos, quibus a Te dictum est: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli Mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis?

Certe, misericordissime Domine, quotidiana experientia discunt domestici Tui, inter omnes omnium hominum familiaritates nullam posse comparari cum conversatione unanimis familiae Tuae.

Ibi enim eminet pudicitia, modestia, comitas et vinculum suavissimae dilectionis, qua fit melle dulcior habitatio domus Tuae.

PARS III.

De mortificatione passionum, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Caput I.

De exercitio mortificationis passionum, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Vocasti ad Te, Fili Dei altissimi, omnes filios Adae, qui laborant et onerati sunt; et ut minus laborarent, invitasti eos, ut tollerent jugum Tuum super se.

Vox haec Tua, Domine, discrevit filios Tuos a filiis perditionis, qui noluerunt intelligere vim sermonis Tui, quasi possint in mundo vivere sine jugo durissimae servitutis, et quasi quinque juga boum nimis gravia possent comparari cum levi jugo Filii Dei.

Non bene intellexerunt dulciora super mel et favum eloquia Tua, sed abierunt retrorsum longissime recedentes a via vitae.

Discipuli vero Tui, Domine, quasi oves propriae sui pastoris vocem cognoscentes tulerunt jugum super se, et a primis annis coeperunt mortificare rebelles passiones suas.

Sic enim intellexerunt verbum crucis, quam tollere debet sibi, quisquis sequitur Te; ut sciens et patiens multas cupiditates contrarias Spiritui Tuo incipiat resecare illas, et pugnare contra legem membrorum, quae est inimica legis Tuae.

Haec est pugna incipientium servire Tibi, Domine, quos oportet parturire, donec formeris in illis, et

corruptio naturae vitiatae cedat potentissimae gratiae Tuae.

O Rex fortissime, per Quem datur nobis victoria et salus de inimicis nostris, qualis sylva plena lupis et ursis apparet iis, qui incipiunt illuminari a Te, et cognoscere indomitas passiones suas!

Horribilis est sylva haec, ubi auditur fremitus bestiarum currentium ad illicitas praedas suas; et ideo novos milites castrorum Tuorum oportet animari, et ponere in Te firmissimam spem, atque armari scuto virtutis et gladio Spiritus Tui.

Initium sapientiae, hoc est, timor, qui primum discitur in Schola Tua, opportunissimus est ad continendum appetitum nondum assuetum disciplinae Tuae.

Militia Tua est haec, Domine, et proelia justorum, qui per bellum transeunt ad pacem, et per ignem et aquam festinant ad refrigerium.

Beati fortes servi Tui, Rex Jerusalem, qui evangelico sensu eruunt sibi oculos, et abscindunt sibi manus et pedes, a quibus scandalizantur, exercentes austeram disciplinam vitalissimae crucis Tuae.

Tu enim dabis eis ampla remuneratione meliores oculos, quibus videant, et meliores pedes, quibus sequantur Te, cum infinita exultatione cordis sui.

Omnia sub sole transeunt, et animales homines vanissimo labore currunt ad flammam immemores aeterni Cruciatus sui.

Sanius consilium est foecundissimo labore amplecti lignum vitae, et per veram mortificationem passionum festinare ingredi in requiem Tuam.

Beatus, qui sibi non parcet nunc, quia Tu, Domine, in aeternum parces illi.

Beatus, qui cum Paulo, fidelissimo Apostolo, castigat corpus et in servitutem redigit, stigmataque Tua in suo corpore portat, quia labores manuum suarum manducabit et portabitur fluminis impetu, qui laetificat civitatem Dei.

Proba me, Domine, et studio crucis Tuae exerce me; ure renes meos et cor meum.

Ure, precor, quidquid ex Adam terreno in me vitiosum est; et in visceribus antiquae misericordiae Tuae deduc me in via aeterna.

Caput II.

De amoris proprii mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Capitalis inimicus divini amoris Tui, Domine, infinito amore dignissime, est amor sui, qui traditur de Adam, et quo aedificatur civitas Babylonis, cujus cives oderunt Te.

Descenderunt de Adam homines seipsos amantes amore tam vehementi, ut incredibile videatur, quanta et quam horribilia monstra ex eo nascantur.

Nemo unquam vitam et carnem suam odio habet, sed magis nutrit ac fovet eam, nisi fortissima gratia Tua illuminetur et roboretur, ut oderit animam suam.

Fascinatio carnalis nugacitatis obscurat meliora et amabiliora bona Tua, Domine, et inconstantia concupiscentiae transvertit sensus hominum, ut ardentissime ament seipsos, et tanquam furiosi quaerant

satiari honorificis, utilibus et delectabilibus bonis, quibus pascitur amor sui.

Timent illi hoc amore inebriati minimas laesiones vitae et valetudinis; et sollicite fugiunt pericula mortis, qua seperandi sunt a carnali vita, quam dilexerunt.

Incredibilis cura vivendi et impinguandi corpus in multos annos torquet amatores sui, et innumerabilibus remediis, sensualibusque consiliis vitam et incolatum suum prolongare curant, immemores timoris et amoris Tui.

Verumtamen cito avelletur de tabernaculo suo fiducia eorum, et calcabit super eos, quasi rex, interitus; nam et dives ille, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, mortuus est et sepultus est in inferno.

Ingrassantur tauri pingues herba pratorum virentium hujus vitae; sed omnino trahendi sunt ad securim, et percussis cervicibus mittentur in flammam.

Discipuli vero Tui, Domine, casto timore admoniti scientes, quia omnis, qui nimis amat animam suam, perdet eam, inter prima documenta Scholae Tuae discunt sapienter perdere, quod feliciter invenient.

Eligunt detrimenta praesentis vitae, ut ad aeternitatem negotientur, et viriliter decernunt, contemnere vitam et delectamenta, et licitas etiam commoditates, ne declinent a via Tua.

O Redemptor, Legislator et Magister hominum, quam mirabiliter proficiunt in Schola Tua, qui a principio suae renuntiationis ita se Tibi sacrificant, ut negligant praesentem vitam et requiem corporalem, et negent sibi, quidquid petit inordinatus amor sui!

Pauci sunt, Domine, qui fortiter apprehendant mortificationem istam spiritualis profectus, matrem et arcem salutis securissimam; sed pauci illi sunt charissimi amici Tui, qui amorem Tuum odio sui et neglecto proprio comparare, magnum sibi quaestum pietatis crediderunt.

Non habitant nunc isti fortissimi servi Tui in terra suaviter viventium, cum nolint ipsi suaviter vivere; sed pro mortificatione sui, quam viriliter exercent, ascendent de cubilibus leonum et montibus pardorum ad inaestimabilem requiem Tuam, et Tu, Domine, habitabis in eis.

Bene ergo est electis Tuis, Rex dulcissime Jerusalem, ut in hac vita poenitentiis, et affectionibus, et infirmitatibus exerceantur; quia modicum contristati variis probationibus intrabunt in gaudium Domini sui.

Caput III.

De inordinati desiderii mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Plantasti, Domine, in terra naturae humanae omne semen verum, quando creasti, et ornasti illam divina gratia et justitia Tua.

Sed illa versa est in amaritudinem, et pro dulcissimis uvis et fructibus justitiae, quos exspectasti, fecit labruscas et botros amarissimos innumerabilium desideriorum, quibus fertur sine freno ad illicita gaudia sua.

Multiplicantur inutilia et nociva desideria super stellas coeli, et cupiditatum insatiabilium non est numerus.

Quanto magis crescunt apparentia mundi bona utilia

et delectabilia, tanto magis crescunt desideria filiorum Adae in similitudinem praevaricationis patris et matris suae.

Ex quo factum est, ut non solum juxta numerum civitatum et familiarum, sed juxta numerum personarum unusquisque faciat sibi idola sua, currens post ardentissima et vanissima desideria inimica immaculatae legis Tuae.

Haec est origo vanitatis mundi, quae videtur in plateis divitum, in hortis, in equis, in conviviis, in cubilibus et in aliis adinventionibus hujus saeculi.

Mites vero servi Tui, Domine, qui odio habent animas suas propter Te, fortissime repugnant inordinatis desideriis, quae militant adversus gratiam Tuam.

Non ambulant in commessationibus, ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione, quia solum requirunt Te unicum desiderium suum.

Fallacem existimant carnis gratiam et pulchritudinem; divitiae, si affluant, nolunt cor apponere; si ab aliis honorentur, Tibi ab eis tribuitur omnis honor et gloria.

Et quia patiuntur in seipsis praelia cupiditatum, vigilant quasi fidelissimi custodes Israel ad repellendos hostes civitatis Tuae.

Beati sunt, Domine, amici Tui eruditi in Schola Tua, qui carnis curam non faciunt in ejus desideriis, et quorum anima concupivit desiderare solas justificationes Tuas.

Quanto enim plura appetituum suorum desideria negant, tanto amplius accenditur in eorum cordibus desiderium Tui.

Tu vero, liberalissime Remunerator, non patieris, vacuas esse animas, quae noluerunt impleri bonis apparentibus, ut servarent se puras et immaculatas Tibi; sed implebis eas intima laetitia cum vultu Tuo, reddesque illis delectationes dexterae Tuae usque in finem.

Utinam omnia corda hominum converterentur ad Te, et desiderarent totis visceribus Te Creatorem et mitissimum Redemptorem suum!

Magna enim felicitas esset, nihil velle aut cupere praeter Te, et nolle rusticos cibos Aegyptiorum, sed semper suspirare ad escas terrae promissionis Tuae.

O Fili Dei altissimi, quot millia virginum et adolescentum nobilium considerantium decorem domus Tuae vendiderunt omnia mundi desideria, et coelesti consilio transtulerunt ad Te castum et ingenitum desiderium suum!

O quam delectabilia fuerunt cordi Tuo, Domine, sacrificia haec, ubi occisa sunt desideria mundi, ut viveret unicum desiderium Tui!

Bene, optime, et non ad insipientiam illis; nam multo desiderabilior est candor lucis aeternae, quam universa gaudia et lucra mortalis vitae.

Desiderem ergo Te Solum, Domine.

Sitiat in Te, precor, anima mea; quam multipliciter Tibi caro mea.

Caput IV.

De inordinatae delectationis mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Domine, omnes, qui Te derelinquunt, confundentur, quamvis nunc laetentur inter vanissima convivia et festa sua.

Recedentes a Te in terra scribentur, quamvis eleventur usque ad altitudinem nubium; omnes enim, qui obliviscuntur Tui, mansuetissime Redemptor hominum, erunt ignobiles et agent seram poenitentiam stultitiae suae.

Et quidem justum est, Domine, ut mittantur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium cum aeterna moestitia; quoniam cum possent laetari in Te, et spe gaudentes festinare in requiem Tuam, erraverunt graviter derelinquentes venam aquarum et gaudiorum viventium, et seminaverunt tristitiam infelicissimae animae suae.

Dissoluti sunt valde; et cum Balthasar, rege Chaldaeo, profanaverunt vasa sancta templi Tui inter calices profanos, quibus inebriati sunt, non considerantes novissimos dolores, quibus profana gaudia terminantur.

Meliore certe consilio amici Tui, Domine, quos instruis casta et sana disciplina, decernunt non delectari unquam in bonis transitoriis, sed in Te unico bono et intimo gaudio suo.

Sciunt illi, quod omnis disciplina in praesenti non videtur esse gaudii, sed moeroris, postea vero fructum pacatissimum reddit justitiae atque laetitiae; et hoc

sensu erecti repellunt gaudia falsa bonorum apparentium utilium vel delectabilium.

Quod si aliquando eis accidunt prospera mundi, vigilantissime cavent, ne laetentur in eis; et elevant ad Te puras manus et corda suspirantia Tibi.

Filii hujus saeculi si nobiles, aut literati, aut divites sint, fruuntur his bonis et gloriantur in eis; filii vero Tui cum timore et tremore parcissime utuntur eis; quantum lex Tua concedit, et saepe profitentur, se nolle seduci vanitate bonorum transeuntium, et ponere alibi, quam in Te laetitiam suam.

Vivunt ergo solliciti, quasi in terra inimicorum inter honores et commoditates necessarias, ne forte cor adhaereat terminos justitiae Tuae.

Tunc vero quiete vivunt, quando exerces illos tribulationibus et ignominiis, vertens et convertens super illos manum Tuam et virgam, qua castigare soles charissimos filios Tuos.

Licet enim Tibi sint dolores, ut parturientis; sciunt tamen, quia mulier, cum parit, tristitiam habet eo, quod venit hora ejus; postquam vero peperit puerum, jam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

Qua certe doctrina roborati, patienter ferunt tristitias probationis celeriter transeuntis, aspicientes in remunerationem, quae reddetur eis pro modico labore suo.

Aufer a me, Domine, oro Te, vanitatem gaudiorum alienorum, quae sunt extra disciplinam Scholae Tuae; et fac, o Clementissime, ut delecter in Te Solo, et ponam in Te omnia desideria et gaudia mea.

Caput V.

De inordinati odii mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Ex amore nimio, quo filii Adam seipsos amant, nascitur odium Scholae Tuae, Domine, et augetur modis innumerabilibus.

Quod adeo verum est, ut pauci inveniantur in terra, qui non oderint crucem Tuam, et ne videantur inimici crucis, quaerunt multis rationibus et auctoritatibus scripturae male intellectis persuadere sibi et aliis quandam suavitatem vitae temporalis, quae non bene cohaeret cum purissima lege et recta disciplina crucis Tuae.

Gens sine consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!

Tu certe, Domine, praedicasti, animam propriam odio habendam esse, et diligendam crucem Tuam; isti vero perverso consilio abeunt in reprobum sensum ardentissime amantes vitam et carnem suam, et odio habentes viam aeternae vitae Tuae.

Neque unquam volunt acquiescere servis Tuis hortantibus ad agendam levem aliquam poenitentiam, quamvis committunt multa et gravia peccata currentes ad flammam.

Usquequo, Domine, lugebit terra et regio fructifera vertetur in salsuginem a malitia inhabitantium in ea?

Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem, hanc ipsam carnem, quam fovent, torquendam esse igne sempiterno, nisi poenitentiam agant?

Vae insipientibus, quorum oculi excaecati sunt, ne

videant clarissimam lucem veritatis, qua arguuntur mala opera illorum!

Beati servi Tui, Domine, qui motus odii, quos sentiunt in membris suis adversus legem spiritus, fortissime reprimunt, et inclinant corda in amabilia valde testimonia Tua!

Exercent illi odium contra iniquitatem, quam odio habuerunt, et abominati sunt.

Exercent odium contra vitia (non personas) hominum declinantium a veritate doctrinae Tuae.

Sed fidelissimis cordibus et manibus diligunt et accipiunt poenas et exercitia, quibus redimant peccata, vel augeant merita, quibus reposita est merces magna nimis in dulcissima Jerusalem, primogenita civitate Tua.

Bene ergo distinguunt, Domine, et amant, quae dilexisti compatientes Tibi, ut odio habeant, quae odisti, detestantes et horrentes pravaricationes testamenti Tui.

Quocirca Tu, Clementissime, corroboras corda eorum, ut multis et mirabilibus modis exerceant sanctum odium animae suae ad aedificationem Ecclesiae, quae hoc genere militiae militat in electissimis membris suis.

Doctrina haec Tua, Magister vitae, casta est; principum hujus saeculi inimica est; peregrinorum ad coelestem patriam festinantium propria est.

Non est pars impiis in doctrina ista; foris avari, adulteri, blasphemi, ebrii et caeteri hostes Scholae Tuae.

Oculi Tui ad fideles terrae, ut sedeant Tecum; ambulans in via immaculata, hic Tibi ministrabit.

Tu vero, Domine, Qui ambulasti per viam vitae,

et propter Cujus verba servi Tui custodiunt vias duras, acceptabis sacrificium justitiae, quod Tibi quotidie offerunt fortissimi amici Tui bajulantes cruces suas.

Et pro evangelico odio animae suae, quod exercuerunt propter Te, reformabis deformata et laboribus consumpta corpora eorum, ut formosissimo splendore decorata et immortali consolatione dilatata fruantur serenissima facie Tua.

Caput VI.

De inordinatae fugae mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Gravis error est, Domine, fugere Te, et sicut Cain egredi a facie Tua.

Gravis error est, fugere Scholam mansuetudinis Tuae, quasi requies possit inveniri extra Te.

Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis; habitavit inter gentes longe a Jerusalem, antiqua patria sua, nec invenit requiem.

Judicio quippe justo factum est, Domine, ut quicunque fugit vitam, laboret in horrore et umbra mortis, et ad omnes oras suspicetur latrones; propterea enim fugit impius nemine persequente.

Non capit mundus verbum hoc, et sine consilio Tuo fugit crucem et remedia suae salutis, sine quibus se mergit in perditionem, et capitur funibus peccatorum suorum in interitu.

Providet mala providentia futuras occasiones sequendi Te, mitissimum Redemptorem suum, et anticipata diligentia fugit ad pascua illicita desideriorum

suorum, pascens ventum; et persequitur umbram vanae laetitiae, quae pugnat cum sanctitate purissimae legis Tuae.

Hoc est studium prudentiae carnis, quae discitur a teneris annis, et crescit cum aetate filiorum hujus saeculi, qui longe recedunt a remedio et refrigerio suo.

Prudentiores mihi videntur, Domine, servi Tui, qui quasi a facie colubri fugiunt peccatum, et occasiones peccandi quasi venenum timent.

Sed quod attinet ad poenas et labores vitae, non solum non fugiunt, sed avidissime illos sequuntur.

Turpissimum enim videtur eis, ut Te patientem et crucem portantem solum relinquant, et ingrato animo ponant Te abominationem sibi.

Non laudant factum eorum, qui in passione Tua Te relicto fugerunt; sed consilium Magdalenae quaerentis et requirentis Te, et insequentis, Quem toto corde diligebat.

Quando ergo sensus eorum refugiunt crucis Tuae disciplinam, irascuntur nolentes peccare, et invitos eos trahunt sub jugum immaculatae legis Tuae.

Et haec, Domine, laus Tua magna est, ut dum universus Israel toto corde sequitur Absalon, sint aliqui licet pauciores fortissimi milites Tui, qui non deserant regem David exeuntem de Jerusalem in die afflictionis et exercitationis suae.

Utinam mundus totus velocissime fugeret peccatum, per quod mors introivit in orbem terrarum, et vehementibus desideriis sequeretur Te, Rex dulcissime Sion, neque requiesceret unquam, nisi in amplexu Tuo!

Fugiant, oro Te, a facie arcus irae Tuae, qui quaerunt Te, et confugiant ad antiquas misericordias Tuas. Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et fugiens volabo de terra aliena ad Te nidum meum, ut requiescam sine timore avolandi omnibus diebus vitae meae.

Caput VII.

De inordinatae tristitiae mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Trahitur cum haereditate Adam, o mansuetissime Redemptor, sensus tristitiae saecularis, quae mortem operatur.

Amatores quippe mundi non bene sentiunt de bonitate Tua, qua probas illos, an ambulent in veritate, an vero serviant Tibi tantummodo, cum benefeceris eis.

Et propterea nimis affliguntur et contristantur, quando exercentur infirmitatibus, paupertate vel alia adversitate.

Cum enim posuerint fiduciam suam in bonis hujus mundi, moleste ferunt subtrahi sibi, quae tam ardenter dilexerunt.

Et haec est ratio, ut credo, Domine, propter quam nunquam peccatores carent occasionibus tristitiae, quia cum non possint habere omnia, quae impatienter desiderant, necesse est, aut semper, aut saepissime contristari.

Et quod pejus est, quando ex necessitate legis Tuae, quam non possunt sine scandalo violare, petunt vera remedia tristitiae, quae sunt sacramenta et salvandae animae consilia, tabescunt moestitia magna, quasi ad tormenta traherentur.

Servi vero Tui, Domine, sequentes castam disciplinam novi testamenti Tui viriliter pugnant contra tristitias et molestias praesentis vitae, et prudentissimo consilio diminuunt amaritudinem laboris sui.

Quando enim infirmantur, vel tentantur, vel aliis modis multiplicibus exercentur, considerantes, quanti ponderis sit, in virga filiorum visitari a Te, carissimo Deo et Redemptore suo, levius ferunt dolores et sudores, et dilatantur eorum corda ad agendas infinitas gratias Tibi.

Quod si magnitudo tribulationis, vel diuturnitas videatur opprimere animas eorum, loquuntur cum laude mirabilia Tua, exhortantes et laetificantes seipsos in hymnis et canticis spiritualibus, prout suggerit illis dulcissimus Spiritus Tuus.

Et ideo, quamvis supra modum gravari videantur, ita ut fiant sibimetipsis graves, et taedeat illos vitae, nihil impium loquuntur, aut murmurant adversus Te, Qui cibas eos absynthio.

Plus enim valent apud eos rationes fidei Tuae, quae est sperandarum substantia rerum, et persuasio aeternorum bonorum nondum apparentium, quam molestia animae et corporis, quod tristitia constringitur et quasi suffocatur.

Quapropter viriliter pugnant contra melancholiam Spiritus sancti Tui ferocem inimicam, recurrentes ad instrumenta gaudiorum Tuorum, quae sunt in Ecclesia, sponsa Tua; ut per justitias Tuas, quae laetificant corda, recedat noxia tristitia ab eis, sicut recedebat spiritus malus a Saul, quando

fidelissimus amicus Tuus David percutiebat citharam manu sua.

Si vero aliquando peccent Tibi, Domine, pro humana conditione et fragilitate, qua laborant, non contristantur sicut filii gehennae, qui sine spe opprimuntur; sed contristantur ad poenitentiam salutarem, cum qua vivit et crescit spes vitae, et consolationis aeternae.

Bene est, clementissime Domine, ut probes servos Tuos, et examines illos, sicut examinatur argentum; licet enim contristentur aliquantulum, tristitia tamen haec vertetur in gaudium inaestimabile, quod nemo tollet ab eis.

Caput VIII.

De inordinatae spei mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Ponunt homines, Fili Dei altissimi, spem suam in terrenis principibus et in aliis filiis hominum, in quibus non est salus.

Vanissimo colore decepti habent fiduciam in rege Aegypti, qui est velut arundo fracta, cui si quis innitatur perforabit manus ejus.

Et cum quotidie videant alios sibi similes, qui speraverunt in hominibus, et fraudati spe sua descendunt cum moerore ad inferos, cadunt in retiacula mundi adhuc sperantes adinventiones suas bene sibi successuras.

Vae illis, Domine, qui ponunt in carne fortitudinem suam, neque recordantur, quia omnis caro foenum! foenum scilicet, quod exsiccatum est, et cujus cecidit flos, quia ventus Domini insufflavit in eo.

Non placet mihi consilium hoc, quod non profuit

ambulantibus in eo; sed consilium fidelium servorum Tuorum, qui sperant in Te, et nunquam mutaverunt fiduciam a fortissimo Deo suo.

Exerces illos, Domine, morbis, inopia, tentationibus, ita ut videantur pene mortui a corde Tuo et derelicti.

Sed tanta illorum fidelitas est, ut adjutoria hominum non requirant, projicientes omnem sollicitudinem in Te amantissimum custodem suum.

Nolunt dare manum Aegypto, vel Assyriis, ut emant frumentum, quo vivant, quamvis aliquando videantur mori a facie tempestatum famis.

Nihil indignum faciunt, ut placeant hominibus potentibus hujus saeculi, a quibus nolunt admitti in tabernacula sua.

Tota illorum voluntas est in Te unico remedio et solatio suo.

Experientia dulcissimae bonitatis Tuae, Domine, firmat corda amicorum Tuorum, quos aliquando visitas, ne requirant auxilia infirma filiorum Adae; et propterea quamvis moram facere videaris, eligunt potius nutriri post famem pane Tuo, quam saturari siliquis porcorum, ad quas recurrunt, qui peregre proficiscuntur a domo charitatis Tuae.

Sperent in Te, Domine, qui noverunt suavissimum Nomen Tuum, quoniam nunquam dereliquisti quaerentes Te et nolentes adjuvari ab habitatoribus terrae Cham, qui non possunt salvare seipsos.

Tempus breve est; non patieris tentari supra vires eos, qui non confidunt in virtute sua, vel in multitu-

dine divitiarum, honorum, vel amicorum suorum, quae sunt firmamenta corruptibilis vitae.

Cito transibit egestas et adversitas, sitis et fames, calor et frigus, et quidquid molestat probatos, sicut aurum, amicos Tuos, quorum firmissimum robur et fiducia in coelo est.

Et pro eo, quod noluerunt sperare in iniquitate, rapinas concupiscere et de cibis Nabuchodonosor sustentari, recipient duplicia pro omnibus laboribus suis, et saturabuntur comedentes sine timore fructum arboris vitae, quae est in medio amoenissimi paradisi Tui.

Caput IX.

De inordinatae audaciae mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Evanescunt homines inflati in cogitationibus suis, Domine, et insolescunt adversus conservos suos pauperes, quia ipsi divites sunt; et arrogantes audent affligere alios meliores se.

Veloces sunt pedes eorum ad effundendum sunguinem, neque recordantur potentes potenter tormenta passuros.

Fiunt audaces per abusum magnae misericordiae Tuae, quae dedit eis potentiam, et divitias, et alia multa bona, propter quae deberent timere Te.

Contra vero ipsi per haec ipsa bona opprimunt pauperculos et derelictos, quorum exultatio est, quando devorant pauperem in abscondito, et implent vocibus et terroribus tacitos et mansuetos amicos Tuos.

Hi sunt, quorum clamor auditur in plateis, et qui

non negant oculis suis omnia, quae desiderant, juxta ritum Assyriorum, quibus turpe videtur alienam uxorem sic concupiscere, ut transeat immunis ab eis.

Haec est fortitudo reproborum, qui laetantur, cum male agunt et exultant in rebus pessimis; quos Tu, Domine, in die ultionis visitabis, et in camo et fraeno ligabis eos.

Non enim semper relinques virgam peccatorum super sortem justorum, ne forte justi nimis afflicti extendant ad iniquitatem manus suas.

Discipuli vero Tui, Domine, ambulant in simplicitate et veritate non audentes tentare proximos suos, vel extollere se supra vires; sed corde tacito et mente bene conscia pertranseunt benefaciendo et consolando omnes.

Quod si aliquando per multiplices occasiones patiantur motus audaciae inordinatae, convertuntur adversus proprium appetitum, et continent se in casto timore Tuo.

Neque hoc faciunt, quasi non audeant libere loqui et operari, quando sic expedit, pro gloria Tua, sed quia in variis occasionibus non expedit uti libertate, quae servatur ad opera majora et mirabiliora, qualia fecerunt stantes ante reges et praesides fortissimi martyres Tui.

Nunc vero exercent mirabiliter audaciam secretis proeliis, quae gerunt cum principibus tenebrarum, a quibus timentur, et cum difficultate virtutum, pro quibus legitime certant spectante Te, Rex magne, occultas luctas publice coronandas in conspectu electissimi populi Tui.

Haec est disciplina propria Scholae Tuae, Domine, quae disponit omnia in numero, pondere et mensura, et observat tempora operationum, ut nunc amici Tui, quasi agni se tonderi sinant, nunc quasi catuli leonum ascendant ad praedam.

Qua certe varietate pulchra valde apparent oculis spiritualibus castra Tua, quasi tabernacula Israel, quae visa sunt decora valde inimicis quoque Tuis, dum Balaam pararet maledicere agminibus ejus.

Tu vero, Altissime, Cujus oculis nuda et aperta sunt proelia militum Tuorum, reddes eis coronas splendidissimas in regno Tuo.

Caput X.

De desperationis mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Multi timores et labores occurrunt, Domine, ascendentibus de Aegypto ad terram fertilissimam promissionis Tuae.

Omnes reges Amorrhaei et Chananaei pugnant contra milites Tuos; propter quod saepe patiuntur aliquid humanum non certe desperantes, sed trepidantes et sentientes animi dejectiones, quae comprimendae sunt eruditione et fortitudine Scholae Tuae.

Posuerunt saepe custodiam ori suo et ostium circumstantiae labiis suis, ut discerent sanctum silentium, in quo est magnus decor domus Dei; et videntes se ex humana inconstantia contra propositum Tibi factum loqui, cadunt animo quasi desperantes linguae correctionem, et idem contingit in multiplici studio

mortificationum Christianae disciplinae, quando post multas luctas vident se adhuc propriae aestimationis, licentiae oculorum, vel gulae, vel aliarum passionum dentibus morderi.

Nascitur tristitia magna, quae semen est dejectionis animi, et huic, nisi comprimatur, succedit desperatio.

Quod si in studio orationis ad Te, clementissime Domine, levantes corda sua, videant se derelinqui, et post multos gemitus non visitari, aggravatur dejectio nimis, et paulo minus multi desperant.

Hic est labor parvulorum, Domine, qui sunt expertes sermonis justitiae, neque didicerunt, adhuc sequi Te in deserto per terram, quae non seminatur.

Quod si post aliquam experientiam visitationis Tuae relabuntur in dejectionem, varius labor est, quem explicare nimis laboriosum esset.

Unam tamen dicam, dante Te, Magister suavissime, quod haec pusillanimitas expellenda est, quemadmodum ostendunt castra Dei vivi in veteranis militibus Tuis.

Isti enim fortissime pugnant contra tristitias et dejectiones suas, licet anima eorum appropinquet ad portas mortis, et illorum oculi langueant prae inopia.

Et jam si occidas eos, Domine, sperabunt in Te, et in ipsa umbra mortis confitebuntur Tibi.

Quod si jam videantur inter mortuos computari, de profundis sepulchri suspirant ad Te, bene scientes, facile esse in conspectu Tuo, subito honestare pauperem, et ad vitam suscitare.

Haec sunt mirabilia opera Tua, quae operaris per manus amicorum Tuorum, Domine, Qui dixisti filio

viduae Naim, qui ferebatur in loculo ad sepulturam: Adolescens, tibi dico, surge, et statim resedit, qui fuerat mortuus.

O Rex potentissime, quam admirabile opus est, quando animam languentem et longa morte quasi consumptam vocas fortissima voce Tua de abyssis dejectionum et perturbationum, ut respiret ad auram vitalissimae vitae Tuae.

Haec est, Domine, una e reconditis eruditionibus Scholae Tuae, quam discunt auditores sapientiae, quae de coelo est, quorum fortitudo est quasi rhinocerotis, in quibus clarificatur invictissima gratia Tua.

Utinam discant universi filii Israel, nunquam credere aut servire Pharaoni, sed in desperatis arbitrio mundi rebus firmissime confidere in Te; Qui increpuisti mare rubrum et exsiccatum est, et ubi vita desperanda videbatur, deduxisti servos Tuos in abyssis, sicut in deserto! Ego clamabo de multis tribulationibus, quae circumdederunt me; fiamque consors amicorum Tuorum inspirantium Tibi; ut post clamores et suspiria emittas manum Tuam de alto, et liberes me de aquis multis. Sic erit apud me jugis oratio Deo vitae meae; et reponam spem meam in intimo sinu meo.

Caput XI.

De inordinati timoris mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

De corruptione veteris Adae descendit, Domine, inordinatus timor eorum, quae timenda non sunt, qui multos removit a Schola Tua.

Audit mundus, arctam esse viam, quae ducit ad vitam, et per multas tribulationes oportere ingredi in regnum coelorum; et ad sonitum istorum verborum commovetur cor ejus, et dissolvitur timens timore magno observantiam purissimae legis Tuae.

Turbati sunt filii hujus saeculi, et mortui sunt sicut ebrii, et omnis sapientia eorum devorata est, nec remansit in eis quidquam virium.

Non est consilium, neque fortitudo in gente ista, quae suspicatur pericula insuperabilia, quemadmodum suspicati sunt Syri in obsidione Samariae, quando fecisti audiri sonitum terribilem in castris eorum, et fugerunt nemine persequente.

Hic est labor timentium disciplinam crucis, ut pestis vel gladius superventurus timeri solet.

Verumtamen longe alius est timor Sanctorum, quem discunt in Schola Tua.

Timent illi aeternam damnationem, ubi rota tormentorum sine fine vertetur.

Timent auditionem malam et verbum asperum; quo projiciet justitia Tua reprobos dicens in extremo judicio: Discedite a Me, maledicti!

Timent offendere Te dilectissimum Dominum et Redemptorem suum.

Timent sperari a Te, sicut mors timeri solet; et corda casta eorum configuntur perpetuo timore Tuo.

Sancti Tui, Domine, quasi tumentes super se fluctus timent majestatem Tuam, et pondus ejus ferre non possunt.

Justificationes vero Tuas, mandata novi testamenti

Tui, orationes, vigilias, et universam disciplinam Scholae Tuae non timent, sed amplectuntur, quasi inaestimabiles divitias suas.

Quod si aliquando sentiunt ut parvuli timores inordinatos, qui nascuntur a lege membrorum virgam detrectantium; nihil indecorum agunt, sed motus illos audacia sancta reprimunt dicentes, se paratos esse et non turbatos, ut custodiant amabilia valde mandata Tua.

Utuntur autem remediis a Te praeparatis, Domine, ut roborentur adversus timores nocturnos, noctis, inquam, illius, quae caret luce formosissima gratiae Tuae.

Et ne unquam dicat inimicus eorum, praevalui adversus eos, adjuti fortissima dextera Tua occurrunt timoribus ipsis quaerentes occasiones super aspidem et basilicum ambulandi; et conculcandi leonem et draconem.

Atque ita fortes servi Tui, Domine, solent instanter petere ea, quae sensus eorum magis timet, ut exercitio proeliandi, pulsis timoribus carnis, solus vivat filialis, et permanens in saeculum saeculi sanctus timor Tuus.

Sic confirmantur genua debilia, et corda paventia confortantur a Te, et exultant labia fortium militum Tuorum ad cantandas aeternas misericordias Tuas.

Caput XII.

De inordinatae irae mortificatione, quae discitur in Schola Jesu Christi.

Plenus est mundus prodigiis iracundiae, Domine, et paucissimi curant ejus flammas extinguere.

Non est, qui memor sit Tui, Rex pacifice, in tem-

pore iracundiae, nisi pusillus grex Tuus paratus mori pro Te, et nesciens deponere mansuetudinem Tuam.

Urbes et provincias, et imperia furor irae consumit, quo inebriantur, qui oderunt Te.

Innumerabilia peccata, Domine, nascuntur ab ira: blasphemiae, contumeliae, rixae, vulnera, mortes, ut viri sanguinum quotidie demonstrant.

Et mirabile videtur principibus terrenis, quod aliquis offensus vindictam non quaerat, nec reddat malum pro malo, sed vincat in bono malum; sicut miratus est Saul, quem projecisti a facie Tua, considerans mansuetudinem David, amici Tui; qui, cum posset occidere illum in spelunca, noluit extendere manum in Christum Domini, sed praecidit tantum oram chlamydis ejus.

Mirantur reges terrae mansuetudinem Scholae Tuae, Domine, quia mirum opus et altum videtur eis, reprimere vehementiam flammae, quae ab ira resultat, quando tanguntur montes hujus saeculi, et fumigant.

Discipuli vero Tui habent laudem istam, juxta exemplar magistri sui discentes per omnia consentire Tibi.

Atque ideo stant super custodia cordis perpetuo vigilantes, ne forte inordinatae irae ignis accendatur per occasiones varias mortalis vitae.

Quod si aliquando exarserit in brevi repentina ira eorum, fortissime resistunt illi et extinguunt ignem aquae divinae gratiae Tuae.

Quam regulam quicunque secuti sunt, pace Tua gaudebunt, quia servabunt Tibi quietas et serenas animas suas ad consideranda mirabilia dulcissimae

legis Tuae, et fructu magno pietatis aedificabunt charissimos proximos suos.

Jam vero si aliquando irasci expediat ad peccatores duros corripiendos irascuntur in culpam sine culpa, sicut quando Tu, mitissime Domine, facto quasi flagello de funiculis iratus es, et ejecisti negotiatores et venditores animalium de templo altissimi Patris Tui.

Atque ita plebs Tua, Domine, et populus pascuae Tuae regit iram mirabiliter sine detrimento internae pacis et suavissimae dilectionis, qua nutriunt animas suas.

Beati sunt servi Tui, Rex magne, qui assistunt in serenitate cordis ante faciem Tuam; non enim fatigabuntur servitute mundi, cui tributa solvunt amatores ejus.

Non cadet super servos Tuos vacantes Tibi corde tranquillo sol, neque ullus aestus, qui noceat eis, quoniam dextera Tua proteges eos, et quasi pacificis haeredibus dabis infinitam haereditatem, postquam pertransierint viam peregrinationis suae.

Caput XIII.

De passionum victoria, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Cantabiles sunt, Domine, justificationes et misericordiae Tuae fidelibus servis Tuis, qui in Schola mansuetorum et humilium didicerunt bonitatem et disciplinam Tuam; et post multos agones et sudores paraverunt admirabiles victorias passionum suarum, quas celebrabunt sine fine.

Tu cognovisti proelia eorum, et perseverantem fidelitatem, qua oderunt animam suam, et continuerunt

appetitum rebellem froeno timoris, desiderio serenissimi vultus Tui.

Omnes victoriae regum terrenorum, Domine, quae leguntur in historiis cum admiratione filiorum hujus saeculi, non sunt comparabiles cum victoriis unius discipuli Tui, qui dominatus est concupiscentiis suis.

Illae enim sunt victoriae hominum, qui bellando serviunt cupiditatibus suis, et captivando alios, fiunt ipsi captivi appetituum suorum usque ad miserrimam servitutem.

Victoria tamen servorum Tuorum, qui vincunt seipsos, victoria Tua est, Domine, Qui vicisti mundum, et a pede conculcans tartara solvisti a poena carceris captivitatem Tuam.

O Domine, quam fortes sunt milites Tui, qui jam confregerunt capita draconis, et crucifixerunt sensus suos.

Quam dulcis fit eis pax Tua comparata innumerabilibus proeliis, diu desiderata et tandem acquisita!

O Rex Jerusalem, qualia cantica laudis reddunt Tibi corpus et anima, sensus et corda, viscera et ossa illorum redempta de misera valde servitute!

Coeli et terra, Domine, canunt Tibi canticum novum, quia imperasti ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

Non cessabunt laudare Te die ac nocte corda fidelia servorum Tuorum, quia statuisti procellam in auram, et siluerunt fluctus ejus.

In hac victoria, Magister dulcissime, apparet gratia Scholae Tuae, cui comparari non possunt scholae filiorum hominum.

Nam post severam disciplinam crucis succedit sta-

tus pacificus filiorum Dei, quibus jam labor dulcescit, et vertitur in pinguissimum nutrimentum animae suae.

Beata gens, quae non adoravit deos alienos, et in tempore angustiae quaesivit Te, Unigenite Fili Dei.

Beati servi Tui, qui non pepercerunt animae suae propter Te!

O altissima sapientia et fortitudo!

Haec est praeda veri David, qua praedatus est salutem, gaudium et divitias cordis sui.

Haec est praeda Tua, Domine, populus scilicet electus acquisitionis Tuae, ubi posuisti delicias Tuas.

Hic est exercitus candidatus Filii Dei, cujus fortitudo, magnitudo et altitudo abscondita est ab oculis viventium; sed revelabitur in Ecclesia magna, ubi altissimus Deus manifestabit occulta mirabilia dexterae Suae.

Interim vero antequam veniat dies magna, victores Tui, Domine, praegustant mel dulcedinis Tuae, mansuefactis bestiis passionum, a quibus vexabantur; et facti jam magistri aliorum dirigunt pedes pusillae plebis in viam pacis consolantes eos, qui in omni pressura sunt.

Facti sunt hi electissimi amici Tui, Domine, pes claudo et oculus caeco, patres orphanorum et vindices viduarum; et opponunt se quasi murum aeneum inferno et mundo, crudelissimis inimicis Tuis.

Atque ita multiplicant mirabiliter opera bona, quibus pleni moriuntur in senecta uberi, et transeunt de exilio ad dulcissimam pacem, et vita mortali ad immortalem et beatissimam vitam Tuam.

PARS IV.

De exstirpatione vitiorum, quae fit in Schola Jesu Christi.

Caput I.

De consideratione vitiorum, a quibus purgatur anima in Schola Jesu Christi.

Homo, quem fecisti rectum, Domine, non intellexit consilium altissimae sapientiae Tuae; atque ita de loco voluptatis, in quo posuisti eum, ut nutriretur dulcissimis fructibus Spiritus Tui, ejectus est in terram spinas et tribulos germinantem, ubi comparatus jumentis insipientibus comedit cibum animalem in sudore vultus sui, et factum est, ut inter sudores et labores servitutis suae adhaereat anima ejus bonis, quae de terra sunt, et fiat adeo terrenus et abominabilis, sicut sunt ea, quae dilexit.

Horribiliter deformatus est longissime recedens a speciosissima forma gratiae Tuae, et a candore nivis mutatus est in nigredinem carbonum, quibus foedantur inimici Tui.

Nihil novi nisi sordes et faeces peccatorum, et quasi equus indomitus currit post cupiditates suas.

Superbia, vanitas, invidia, avaritia et alia monstra vitiorum sunt haereditas ejus; a qua nemo potest liberari, nisi per Te, Domine, Qui solus facis mundum de immundo conceptum semine.

Qua in re apparet formosissimus splendor, et fortissima virtus Scholae Tuae, Domine, Qui abluis sor-

des filiarum Sion, et vestis eas bysso et cocco in castissimis deliciis Tuis.

Accedit filius Adae gravatus et denigratus ad Scholam Tuam, Domine, et vi efficacissimae disciplinae et gratiae Tuae reformatur ad exemplar, et quod ei in monte perfectionis monstratum est; et amputata vetustate vitiorum, configuratur Tibi.

Lavatur balneo pretiosissimi sanguinis Tui, quod tepefecit ardor charitatis; et fugit de lavacro mutatus in virum alterum mutatione dexterae Tuae.

Laudent Te, Domine, casta corda discipulorum Tuorum, in tympano et psalterio psallant Tibi; quia educis vinctum de domo carceris, et magnificas sine fine copiosissimas laudes antiquae misericordiae Tuae.

Credo certe, liberalissime Domine, tam admirabilem esse effectum hujus mutationis Tuae; ut si a peccatoribus videri posset, durissima eorum corda moveret ad compunctionem et desiderium adhaerendi Tibi.

Nunc vero, postquam non omnes capiunt mysterium hoc, adorabo majestatem Tuam; et instructus fide, quae est quasi lucerna lucens in caliginoso loco, credam, opera Tua esse mirabilia nimis.

Sedebo solitarius et tacebo super magnitudine bonitatis et suavitatis Tuae; in hac enim purgatione veteris fermenti admirabilis valde videtur bonitas et dulcedo Tua; quia mitissime recipis inimicos Tuos et donas illis vestem nuptialem et jura beatissima filiorum Dei.

Gratis venumdati sunt, ut facerent malum, et sine argento rediimuntur praeventi, et divites facti dulcissima bonitate Tua.

Propterea memor ero Tui, et laudabo Te custodem filiorum Adae, Qui vincis duritiem peccatorum mansuetudine, et sanas sine vulneribus praeordinatas ad vitam aeternam oves Tuas.

Convertantur ergo Tibi timentes Te, Domine, e qui noverunt amabilia valde testimonia Tua.

Caput II.

De exstirpatione superbiae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Omnes filii hujus saeculi sicut Adam peccaverunt, Domine, quaerentes, esse sicut Dii, et aedificant turrem Babel cum patre suo.

Praevaricantur legem puram, quam dedisti eis, nolentes subjici Tibi, et currunt erecto collo adversus Te.

In visceribus peccatorum sedet superbia regina vitiorum, quasi in solio suo, et impellit stultos, ut ambulent in magnis et in mirabilibus super se.

Quod adeo verum est, Domine, ut et ipsi homines plebei et abjecti quaerant excellentiam in stercore vilium exercitiorum, quibus vivunt; nam de nobilioribus, qui gloriantur in virtute sua, manifestum est, quod superbia eorum ascendit semper.

Gravissima infirmitas est haec, quae creaturas Tuas, Domine, facit rebelles et similes lucifero super astra Dei ascendenti et exaltanti se, ut mala aemulatione fieret similis Altissimo.

Hoc grande malum facit homines oblivisci conditionis suae, et majora se ambitiosissime quaerere.

Discipuli vero Tui, Domine, cognoscentes hoc

malum, quod est principium apostandi a Te, exercent seipsos vilissimis exercitiis, quantum fert status illorum; et multis proeliis pugnant contra spiritum inflantem inimicum gratiae Tuae.

Neque contenti sunt exercitio isto, quo ipsi seipsos continent infra se, sed studiosissime curant in vestitu, et sermone celare quidquid altum est, ut conterant caput serpentis, qui insidiatur calcaneo novissimorum animae suae.

Et quod mirabile est comparatione amatorum mundi, quaerunt occasiones contumeliarum et improperiorum ad extinguendum sensum excellentiae et acquirendam gloriosissimam victoriam militiae Tuae.

O Domine, quam fortes sunt isti milites Tui, qui sensum acutissimum propriae aestimationis comprimunt, parati contemni et irrideri propter Te.

Pauci sunt isti constantissimi, quorum laudes enuntiabit omnis Ecclesia Sanctorum, quia fecerunt mirabilia magna nimis.

Et Tu, Domine, Qui corda nosti omnium videns occultas luctas, quibus exprimunt motus superbiae multiplices et vehementes, das eis prius copiosissimam gratiam, non qua non sentiant, sed qua vincant sentientes inimicos Tuos, qui non flectunt genua coram altissima majestate Tua.

Postea vero ad laudem gratiae Tuae das servis Tuis, qui contra superbiam fortiter pugnaverunt, ut post multa proelia animadvertant, se jam non extolli super se, quamvis narrent mirabilia opera Tua, quae operaris in eis.

Haec est victoria brachii Tui, Domine, in quo fecisti potentiam, et dispersisti superbos ex altitudine cordis sui, non ut perirent, sed ut jam non essent superbi; sic enim desiderant justi deficere peccatores a terra, ita ut amplius peccatores non sint.

Deficiente ergo superbia cadit Babylon, cujus culmen pertingebat ad nubes; et obstupescit mundus ad spectaculum gratiae, quae mirabiliter reformat peccatores ad exemplar perfectissimae justitiae Tuae.

Caput III.

De exstirpatione vanae gloriae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Vanitas mundanae gloriae, quam sequuntur filii hominum, Tibi, Domine, nota est.

Usque adeo enim fragiles sunt, etiam quando operantur bona, ut, postquam vicerunt inimicos suos, sibi nimis placeant, et ab aliis laudari vanissime cupiant.

Immo, quod dolendum est, bona naturalia, quae dedisti eis, convertunt in argumentum vanitatis; ut glorientur nobilitate, pulchritudine vel robore corporis, tribuentes sibi, quod certum est, eos non fecisse aut meminisse.

Et eo procedit fragilitas haec, ut quamvis sciant, se carere bonis, quae habere putantur, placeant sibi in illa gloria mendaci, et timeant, illa privari.

Haec est haereditas filiorum Adae, quae cum peccato in homines pertransiit, a qua nemo sanatur, nisi per gratiam Tuam.

Haec infirmitas, Domine, non solum vexat amatores

mundi, sed absconditos etiam servos Tuos, quibus placet honor et fama, et laus proximorum, in quorum aestimatione aliquantum requiescunt.

Sed qui feliciter proficiunt in Schola Tua, diligentissimae repellunt motus vanae gloriae, scientes, mendaces esse homines in stateris, et parum prodesse, si quis bonus aut sapiens reputetur, nisi Tu scrutator cordium probes illum.

Quocirca fidelissimi sunt in attribuenda Tibi gloria, nolentes partem aliquam illius reddi sibi.

Exercent actus innumerabiles contemptus mundi et calcantes fastum illius solummodo gloriantur in Te, Rex altissime, Cui Soli placere student.

Atque ita pro minimo est illis, si magnifice judicentur ab aliis aut ab humano die; multisque ictibus gladii Tui exstirpant radices vanitatis, quam acceperunt in patrimonio Adam, genitoris sui.

Exercitium hoc, Domine, matutinum et vespertinum ascendit sicut insensum in conspectu Tuo; et habet infinitam laudem apud electam plebem Scholae Tuae.

Gratissimum enim sacrificium justitiae ponitur in altari cordium suspirantium Tibi, quando in nullo bono gloriantur, beneque sciunt, se nihil habere, quod non acceperint a fonte infinitae bonitatis et misericordiae Dei sui.

Multiplicatis ergo oblationibus purificatur cor discipulorum Tuorum, Domine, ut nihil sibi tribuant, sed totis visceribus reddant Tibi laudes, et glorientur in sola magnitudine gratiae et redemptionis Tuae.

Ex quo fit, ut extincto sensu vanitatis post labores

proeliorum securius vivant, bene operantes et nihil de se praesumentes, aut cum lampadibus vacuis gloriam hominum exspectantes, sed fidelissima sinceritate adhaerentes Tibi.

Beati servi Tui, Domine, qui maturo sensu cogitantes, se gratia Tua esse, quod sunt, non placentes sibi, sed Tibi, libere currunt per viam vitae, ut laetentur in laetitia probatissimae gentis Tuae.

Illi solum quaesierunt Te, et Tu in aeternum glorificaberis, et habitabis in eis.

Caput IV.

De exstirpatione invidiae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Invidia diaboli, inimici Tui, Domine, mors intravit in orbem terrarum, et ipsa quoque invidia, quae est abominabilis putredo ossium.

Atque ita factum est, ut filii Adam serpentis consilia secuti invideant aliis, et contristentur, si videant alios ditiores, nobiliores aut famosiores se.

Quod experientia ostensum est in passione Tua, mitissime Redemptor; nam et Pilatus vir parum oculatus animadvertit, quod per invidiam tradidissent Te ad mortem cives Jerusalem, inimici Tui, non volentes tolerare famam et clarissima miracula Tua.

Verum infirmitas haec, Domine, non gravat solos peccatores, qui sunt extra gratiam Tuam; sed quandoque justos, qui quamvis non consentiant peccato invidiae, contristantur tamen aliquantulum, si videant alios feliciores se in ipsis quoque spiritualibus operibus, per quae curari solet invidia.

Humanum dico, sicut Tu nosti, Domine, propter infirmitatem veteris Adam, quam haereditate acceperunt.

Tu vero, Rex pacifice, Qui sine invidia communicas bona Tua nullius boni habens indigentiam, operaris mirabilia in Schola humilium servorum Tuorum, qui adjuti fortissima virtute Tua, quamvis in principio suae conversionis tangantur infirmitate ista, praeliando tamen et invocando Te, veniunt ad statum quemdam felicissimum, in quo laetantur proximorum suorum excellentia non minus aut fortasse magis quam sua.

Das enim eis cor sapiens et intelligens ad discernendum judicium; et cum diligant proximos suos, tanquam seipsos, laetantur bonis eorum, quasi bonis suis; atque ita mirabiliter aedificant et compungunt alios ostensione dulcissimi affectus erga omnes vel amicos, vel inimicos suos.

Haec est gens electa, gens magna, quam admirantur omnes reges terrae, quia regnant quodam altiore modo, quem non invenerunt potentes hujus saeculi.

Beati viri, quorum anima non affligitur prosperitate aliorum, neque dilatatur adversitate aliena, videtur enim ascendisse super alas Cherubim ad volandum per serenam regionem, ubi non sunt nubila, quibus obscurantur habitatores terrae.

Profecto, Domine, hic est proprius et suavis valde fructus pretiosissimi sanguinis Tui, quo vescuntur amici charissimi amicti auro primo divinae charitatis Tuae.

Utinam universi homines nutrirentur cibo regio isto, quem paravit amor Tuus, ut omnes gauderent bonis

aliorum, et communicarent, sicut filii Job, amici Tui, cum aliis solatia sua!

Fieret certe pax magna in civitate Tua et abundantia magna in turribus Tuis; et non esset sterilis in grege Tuo.

Quam laeti, Domine, vivunt humiles servi Tui, qui se putant divites et honoratos esse, si fratres sui ditentur et honorentur, et pro aliorum prosperitate celebrant laetissima festa, et immolant Tibi spirituales hostias in cordibus suis!

Isti sunt, qui ut nubes volant non impediti ullo pondere passionum et quasi columbae sine felle ad fenestras suas.

Isti sunt, qui intrarunt in possessionem animarum suarum, ut multiplicatis meritis accipiant regnum decoris et diadema speciei de liberalissima manu Tua.

Caput V.

De exstirpatione gulae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Bene ostendunt peccatores illi, quorum Deus venter est, se esse de stirpe illius, qui occasione cibi prohibiti praevaricatus est fidele mandatum Tuum, Domine, factum in veritate et aequitate.

Surgunt mane ad ebrietatem sectandam impatientes morae, et claudunt portas inspirationibus Tuis turpissima saturitate sua.

Non audiunt, quid loquaris, Domine, corda gravata ebrietate et pastu animali, a quo abhorrent temperantes discipuli Tui.

Quam dignus es, Rex Sion, infinita laude, quam reddunt Tibi, sicut incensum thuribula cordium servorum Tuorum; quia multi, qui ante ambulabant in commessationibus et ebrietatibus, adeo mirabiliter mutati sunt eruditione Scholae Tuae, ut corporalem cibum parcissime requirant.

Amabant olim praesepia jumentorum, consumentes in cura ventris dies suos; nunc autem vivunt de coelesti pane suo, et nutriuntur cibo spirituali tam copiose, ut doleant, quando ex necessitate naturae pascunt cibo animali consecrata jam Tibi corpora sua.

Timebant, antequam converterentur ad Te, severam disciplinam jejuniorum, putantes, se crudeliter torquendos esse; ab initio vocationis currentes ut adolescentulae post odorem unguentorum Tuorum gustaverunt cibos alios dulciores, quos cum oblivione mensarum saeculi didicerunt esurire.

Suavior jam videtur eis calix Tuus praeclarus, quam pretiosa vinea principum terrenorum; et ideo trahuntur a Te, in quo invenerunt potum et escam, qua reficitur non solum anima, sed et caro sua.

Quod si post calorem primum vocationis recordentur caeparum, et alliorum, et inclinentur ad ollas Aegypti, quas negaverunt, exercitium est ad proelia justorum, qui licet sentiant famem illam, non tamen consentiunt, quia memores sunt uberum Tuorum super vinum.

Et quidem pugna haec ventris foecunda plurimis meritis transit; et subsequitur melior appetentia, cui Tu, clementissime Fili Dei, satisfacere soles convivio

pingui, convivio vindemiae defoecatae, quod bene noverunt et laudaverunt felicissimi servi Tui.

Bene est, Domine, ut discipuli Tui novelli esuriant et sitiant, sicut solent et fortissime pugnent contra concupiscentiam gulae, vidente Te, proelia eorum.

Bene est, ut cibos insipidos quaerant, non servientes voluptati, sed necessitati vitae.

Per hoc enim fiunt vigilantes et idonei ad interna gaudia et spiritualia convivia, quibus corda casta recreantur et praeparantur ad alimentum superventuri regni Tui.

Tu enim, fidelissime Remunerator, disposuisti regnum electis Tuis novo testamento aeternae haereditatis, ut comedant et bibant Tecum super mensam Tuam in amplissima domo altissimi Patris Tui.

Veniet ergo optata dies coenae nuptiarum Agni, et sedebunt Tecum, qui nunc esuriunt propter Te; et comedent fructum dulcissimum ligni vitae, quod est in deliciosissimo paradiso Tuo.

Caput VI.

De exstirpatione avaritiae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Amor inordinatus bonorum temporalium, Domine, alligavit in compedibus magnam partem generis humani, non solum infidelium et Christianorum saecularium, sed etiam Ecclesiasticorum, quos excoecavit avaritia, quae est idolorum servitus.

Atque ita gentes contaminatae ingressae sunt sanctuarium Domini, de quibus praeceperas, ne intrarent in Ecclesiam Tuam.

Adoratur aurum, in quo confidunt homines, et quaeritur per terras et per maria cum oblivione aeternae haereditatis Tuae.

O Rex Sion, Qui probas corda sicut argentum, in quo non regnat avaritia.

Mirabile est, Domine, quanta sit filiorum hujus saeculi cupiditas, qua tenentur ligati et captivi, ita ut a misera servitute non respirent ad auram vitae Tuae.

Sed contemptores mundi eruditi ad pedes Tuos, qui noverunt meliorem et manentem substantiam futuram, despiciunt quasi stercora omnes divitias filiorum Adae, ut lucrifaciant Te, haereditatem suam.

Et licet aliqui eorum ante conversionem suam abierint post aurum, et speraverint in pecuniae thesauris; gratia tamen et misericordia Tua, Domine, ita mutati sunt, ut non solum largissimis eleemosynis redimant peccata sua, sed etiam renuntient omnibus, quae possederant, ut emant regnum coelorum, ubi cupidissime thesaurizant.

Et quidem non desunt eis exercitia, ut probes, an ambulent coram Te corde perfecto, quando, postquam reliquerunt omnia, et coeperunt sequi Te, patiuntur incommoditates in cibo, somno et vestitu, et in aliis multis rebus; nec tamen vincuntur, sed vincunt per Te, Domine, Qui es victoria et justitia nostra.

Patiuntur ergo incommoda, et caro concupiscens adversus spiritum gemit aliquando, quia non factum est ei, sicut heri, et nudius tertius, quando nutriebatur in croceis.

Sed fides Tua et spes, quae nascitur ex fidelissima

promissione veritatis Tuae, sustentat fatigatos, ut ascendant ad terram excelsam, ubi invenient reposita cum lucro omnia, quae reliquerunt.

Et in praesenti vita, quando Tibi videtur, Domine, inveniunt solatia pauperum, et delectationes justorum; quae videntur eis bona amabiliora et dulciora universis commoditatibus, quas contempserunt cum magna laude infinitae bonitatis Tuae.

Quocirca judicant, se bonos negotiatores fuisse, qui, inventa pretiosa margarita Scholae Tuae, vendiderunt omnia sua, et comparaverunt eam.

Crescitque in eis amor aeternorum bonorum, quantum decrescit amor temporalium, donec post luctas suas jam nihil placeat eis propter Te, Domine, Qui es omnis substantia et opulentia eorum.

Beatus populus Tuus, Rex pacifice, qui abjectis sollicitudinibus saeculi vacat Tibi Soli, et dicit confidenter: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus Te!

Beati servi Tui, Domine, quibus jam displicet copia bonorum terrenorum, quae ante placebat, et pervenerunt ad statum felicissimum, in quo solum desiderant Te!

Certe longissime recesserunt ab illis, qui appetentes avaritiam inseruerunt se doloribus multis et horrendo supplicio erraverunt a fide, incideruntque in tentationem et in laqueum diaboli; sicut discipulus ille Tuus infelix, qui, cum coepisset loculos habere, et argentum nimis amare, in fine laqueo se suspendit.

Servi vero Tui, qui divitias suas posuerunt in Te currentes sine onere ad patriam suam, et laetantes, quia liberati sunt a servitute durissima, perenniter

requirent unicum bonum et refrigerium cordis sui; et fruentur sine fine amplissima haereditate, serenissima facie Tua.

Caput VII.

De exstirpatione irae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Homines, qui nesciunt potestatem irae Tuae, Domine, et prae timore Tuo iram dinumerare, immemores judicii Tui irascuntur in conservos suos usque ad mortem.

Quod usque adeo certum et publicum est, ut videamus in his diebus multa regna destructa, quae ira filiorum Adam dissipavit.

Per varias enim occasiones hujus vitae homines in iracundia terrae dolos et injurias machinantes alii alios persequuntur, neque requiescunt, donec tollant eos de terra.

Pleni sunt libri historiarum, Domine, exemplis iracundiae, quae videntur horribilia nimis.

Et quod est quotidianum, amatores mundi ad singulas horas prorumpunt in verba furoris plena, si quid eis fiat, non sicut cogitaverunt; paucissimique inveniuntur, qui contineant se consideratione infinitae mansuetudinis Tuae.

At vero Schola Tua, Domine, in exstirpatione hujus vitii admirabilis est; quia discipuli Tui pro diversitate meritorum diversa sacrificia offerunt Tibi, quae mundus vehementer admiratur.

Novelli enim auditores Tui sentientes motus irae, quos ante vocationem senserant, viriliter reprimunt

illos, et student in exteriori homine tranquillitatem ostendere, ut conservetur pax inter dilectissimos fratres suos.

Postquam vero sic pugnaverunt per dies multos, jam sentiunt, se non multum commoveri contumeliis et impropriis, unde fiunt multo fortiores ad currendam viam.

Denique per potentissimam gratiam et dulcissimam misericordiam Tuam, qua visitas corda eorum, adeo proficiunt, ut, quando exercentur injuriis, non sentiant aliquam amaritudinem adversus alios, sed ardenter diligant illos.

Haec est clarissima victoria digna discipulis Tuis, qua corda imperturbata servant Tibi ad capiendam vocem levem subtilissimae inspirationis Tuae.

Haec est victoria mansuetissimi Filii Dei, quae mundi principibus mirabilis valde videtur.

Quomodo enim non miretur mundus videns homines, qui antea currebant ad sanguinem, ita mirabiliter mansuefactos in Schola Tua, Domine, ut non inquietentur, quando afficiuntur injuria a pessimis et crudelissimis persecutoribus suis?

Quod si videat mundus, discipulos Tuos non solum non turbari, sed dulcissimo corde diligere injuriam facientes, quasi charissimos fratres et benefactores suos, quid sentiet de mutatione ista, quam facit dextera Tua?

Profecto, Rex pacifice, isti fortissimi imitatores Tui, qui de bello irae pacem acquisierunt, ostendunt, quam sit magna multitudo dulcedinis Tuae.

Isti sunt, qui compungunt peccatores usque ad lacrymas exemplo conversationis suae.

Utinam consideraret mundus victoriam irae, qua illustratur Schola Tua, Domine!

Vehementer quippe moveretur ad pietatem et ad quaerendam faciem Tuam.

Non reddit plebs Tua retribuentibus sibi mala; non persequitur aut comprehendit inimicos suos; non amat vel petit vindictam, sed pacem, quam offert laesa laesoribus suis.

Hic est status electorum, qui lucent in nocte hujus vitae, sicut astra matutina, et afferunt sedentibus in regione umbrae mortis purissimam lucem Tuam.

Hi sunt, quos posuisti, Domine, ad dandam scientiam salutis plebi Tuae.

Hi sunt, quorum sincerissima corda inhabitas, quasi thalamos consecratos castissimis delectationibus Tuis; quorum victorias coronabis in medio Jerusalem, quando apparebit dies aeternitatis Tuae.

Caput VIII.

De exstirpatione luxuriae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Fallax gratia carnis, Domine, fascinavit innumerabiles filios Adam, ut nollent accedere ad castam Scholam Tuam.

Et adeo inundavit hoc malum, ut multis et horribilibus modis foedaverit magnam partem Ecclesiae immaculatae, sponsae Tuae.

Ignis est usque ad consummationem devorans, qui vasa sancta consumpsit.

O purissime Fili Virginis, quot prodigia visa sunt in mundo per incontinentiam hominum, qui seipsos consecraverant Tibi?

Multi libri possent impleri tristissimis casibus hominum, qui bestiali concupiscentia tradiderunt seipsos luxuriae, et inquinaverunt vestimenta sua.

Gratia vero Tua, Domine, factum est, ut discipuli Tui, vel antequam peccarent, vel postquam peccaverunt, tam fortiter pugnaverint contra monstrum luxuriae, ut clarissimam victoriam paraverint ad laudem divinae bonitatis Tuae.

Crudele bellum passi sunt in labore et sudore corporis, quod afflixerunt et pene consumpserunt, ne forte fallax equus ad salutem praecipitaret eos.

Incredibile videtur, Domine, filiis hujus saeculi, quorum corda et corpora foedavit luxuria, esse aliquos paucos milites Tuos, qui fortissime tentati non vincantur, cum ipsi vix per dies paucos abstineant a turpissima delectatione carnis suae.

Sed Tu, qui nosti corda hominum, scis, et fuisse, et esse nunc aliquos fideles servos Tuos, qui gravissime tentati per multos annos non inquinaverunt templa corporum suorum, quae dedicaverunt Nomini sancto Tuo.

Immo Tu scis, Domine, esse aliquos amicos Tuos, qui quamvis sustinuerint multa proelia ex lege membrorum et sudaverint in lucta ista multis annis pervenerunt tamen auxilio Tuo ad pacem mirabilem, in qua vivunt studiosissime vacantes Tibi.

Et quod mirandum est valde, fortasse inveniuntur

paucissimi aliqui, qui ex inquinamento liberati per gratiam Tuam, adeo misericorditer a Te visitati sunt, ut formosa corpora, quae vident, sint eis fomentum casti amoris Tui.

Mirabilia sunt valde opera Tua, Domine, quae operaris in electa et humili plebe Tua, quae totis visceribus sequitur Te.

In hac certe exstirpatione vitii abominabilis, quod ardet in medullis hominum, clarificatur, Domine, potentissima gratia Tua, quae purificat renes et corda, ut cor et caro exultent in Te, Deum vivum.

Profecto, Domine, pauci illi casti servi Tui, qui post difficillimas luctas carnis, per vigilias, jejunia, lacrymas et alia arma justitiae vicerunt, et in servitutem redegerunt corpora sua, totis visceribus exultant in Te; et quod reliquum est vitae, cantant in organis carminum Ecclesiae altissimas laudes et dulcissimas misericordias Tuas.

Vident et considerant, se liberatos esse a perditione, et spurcitias carnis impolluto calle transisse; et incredibili impetu laetitiae liquescunt in cantibus et instrumentis spiritualis laetitiae Tuae.

Haec sunt, Rex pacifice, et candidissima lilia, quae odoraris, cum quibus versaris, et a quibus non abscondis formosissimam faciem Tuam.

Haec est praeda Tua, Sponse castarum animarum, pro qua amantissime sudasti sanguinem Tuum.

Hic est suavissimus fructus passionis et redemptionis Tuae.

Hi sunt amici Tui, Domine, sine dubio charissimi,

cum quibus communicas altissima secreta coelestia, et quibus praeparasti mercedem copiosissimam; ut exultent Tecum in gloria, et laetentur in cubilibus suis.

Caput IX.

De exstirpatione pigritiae, quae fit in Schola Jesu Christi.

Longe est a peccatoribus salus, o unigenite fili Dei, et propterea deberent ad salutem diligentissime currere, ut assequerentur eam.

Sed grave pondus Adam, quod portant, tardat eos, et generat tristitiam magnam cujus causa difficulter moventur ad opera justitiae Tuae.

Hinc nascitur taedium spiritualis vitae, et abominatio exercitiorum Ecclesiae Tuae, quae hilares operatores diligit, et requirit.

Vitium hoc, Domine, molestissimum est, et extinguit, aut diminuit innumerabilia merita bona servorum Tuorum, nisi fortissime pugnent contra seipsos, et per labores, et incommoditates currant ad aeternam requiem Tuam.

Ingreditur hic hostis gratiae Tuae in claustra monachorum, ubi vexat milites novellos non solum ante actiones, sed etiam in ipsis piis et ordinatissimis actionibus spiritualis vitae; o Domine, quot langores stomachi, et dolores capitis fingit pigritia insinuans se in corpora non assueta sermoni justitiae!

Quod fastidia, et angustias generat vitium hoc, ut removeat animos discipulorum Tuorum a proposito vacandi tibi.

Multiplicata praelia nunc tecta, nunc aperta nascuntur ab illo, in quibus laude dignissimus est populus electus, qui non parcit sibi.

Atque ita, Domine, in monasteriis, ubi viget observantia, ponitur multum laboris, et studii, ut novi servi Tui, qui paulo ante venerunt, velocissime currant ad Te, et projiciant a se pondus mortalitatis, quo onerati non poterunt sequi Te exultantem ad currendam viam.

Et hoc studio mirabiles fiunt mutationes in Schola Tua, Domine, ut qui paucis antea diebus vix se loco movebant, per gratiam Spiritus Tui fiant quasi volatilia pennata, statim ac audiunt signum vel vocem superioris sui, et in hunc modum corpora terrena allevientur vehementia Spiritus vivificantis: et cum laetitia coelestis Curiae, et invidia inferni festinat ad cantandas Tibi laudes confoederatas inter se, et Angelorum aemula Schola Tua.

Pugnant autem viriliter in exequendis ipsis mandatis Tuis voluntate, et actione, ne langor deformet conformia Tibi corda, et corpora sua: et sancta aemulatione singuli discipulorum Tuorum currant accipere bravium, cum omnes celeriter currant.

Sic ergo aemulatione piissima corpora quasi mortua suscitantur, ut vivant Tibi, Domine, et pro captu suo discant adhaerere Tibi.

Haec sunt castra Dei, quibus cedit fortissimus hostium suorum, caro scilicet sua.

Haec est gens electa, et adulterii nescia, quae odit propter Deum, animam suam.

Hoc est spectaculum delectabile, quod in mundo exhibetur Deo, Angelis, et hominibus.

Credo certe, Domine, servos Tuos dirumpentes vincula pigritiae gladio vivo desiderii Tui, et extirpantes, sine indulgentia, radices infamis vitii, quod solet implere spinis, et urticis domos sacras, offerre Tibi sacrificium gratissimum, quod odoratur majestas Tua.

Et propterea inter ipsas actiones sacras ingeris castas laetitias, et dulcissima solatia cordibus ad Te, sine pondere, suspirantibus, et in psalterio decachordo psallentibus Tibi.

Amas enim hilares datores, qui multa millia cordium ad confessionem vellent consecrare clementissimo Regi suo.

Nunc ergo bene est, Domine, ut laetifices populum servientem Tibi, ut celerius currat post Te in Atria Jerusalem suavissimae patriae suae.

Postea vero quando velut hinnuli cervorum ascendent super montes aromatum, Tu nosti quanta sit magnitudo remunerationis, quam reddet eis dextera Tua.

Ibi vacabunt et gustabunt, quod desideraverunt: et fugiente ab eis morte, omnique dolore, arctissimo complexu tenebunt Te, adhaerentes dulcissimo cordi Tuo.

Caput X.

De victoria vitiorum, quae comparatur in Schola Jesu Christi.

Fortiores sunt leonibus mansueti, et hnmiles servi Tui, Domine, quos doces bonitatem et disciplinam, et scientiam in pacifica Schola Tua.

Nam circumdati ut scuto fortissima veritate Tua, cui flectitur omne genu in coelo, et in terra, pugnant adversus hostes gratiae Tuae, et gloriosissime vincunt.

Omnis creatura obstupescit victoriam istam, quae fit per Te, fili Dei altissimi: et cognoscit validam manum Tuam.

Et quidem mirabile opus est, homines antea superbos, avaros, iracundos, et aliis vitiis horribilibus contaminatos; virtute dexterae Tuae transferri ad puritatem virgineam, et sine maculis peccatorum in conspectu Dei sui fortissimos, et velut innocentia infantium candidissimos apparere.

Tanta enim est vis potentissimae gratiae Tuae, Domine, ut in omnibus vulneratis usque ad mortem non appareant signa vulnerum et vestigia cicatricum.

Fiunt Tibi, Rex pacifice, animae, quae fornicatae fuerant cum amatoribus multis, Sponsae castissimae, quasi quae nescierint thorum in delicto.

In Schola enim altissimae sapientiae Tuae restituitur eis candor cujusdam innocentiae, qua fiunt quandoque puriores et gratiores Tibi, quam quae nunquam peccaverunt.

O sapientia et justitia Filii Dei!

O rem novam mundo incognitam et mirabilem nimis

Profecto, Domine, Magdalena dulcissima, Sponsa Tua, quae peccaverat Tibi, postquam didicit Te prostrata ad pedes Tuos, et per annos multos exercuit se in disciplina Scholae Tuae, candidior multo apparuit coram Te, quam multae filiae Sion, quae con-

gregaverunt sibi spirituales divitias, ut in multis muneribus deprecarentur vultum Tuum, fierentque dignae castissimo thalamo Tuo, et ad hunc modum multi alii auditores Tui, quos conscientia gravium peccatorum gravabat, facti mercatores solliciti ad satisfaciendum Tibi, creditori suo, tam mirabiliter profecerunt, ut ipsa etiam enormia peccata praeterita eis cooperarentur in bonum, ut annumerari possent beatissimis illis, qui secundum propositum Tuum vocati sunt Sancti.

Et ita occasione veterum delictorum, stimulante conscientia, multo majora operati sunt propter Te, quam alii, qui Te ad iracundiam non provocaverunt.

Factumque est, clementissime Fili Dei, ut ex multis debitoribus, qui erant uni foeneratori, plus eum diligant, quibus plus donavit; et ubi abundavit delictum, superabundet suavissima gratia et copiosissima redemptio Tua.

Vicisti, Domine, vicisti mortem vita Tua, peccatum gratia Tua, et clarificatus es parcendo et magnificando fidelissimas misericordias descendentes a fonte vivo vitalissimi cordis Tui.

Omnes gentes, quae cognoverint opus hoc grande antiquae bonitatis Tuae, plaudent manibus, et jubilabunt Tibi in voce exultationis et confessionis, quia de profundissimo lacu liberasti, sicut Danielem, traditos ad devorandum electos Tuos.

Et Schola Tua, in qua exstirpantur radices peccatorum, usque ad puritatem mirabilem cordium adhaerentium Tibi, in aeternum laudabit Te, et in choro unanimiter canentium celebrabit clarissimas victorias Tuas.

PARS V.

De exercitio virtutum, quae discuntur in Schola Jesu Christi.

Caput I.

De virtutum studio, quod exercetur in Schola Jesu Christi.

Filiae Jerusalem novae, quae visa est descendens e coelo ornata viro suo, Domine, animae scilicet castae et fidelissimae filiae Ecclesiae, sponsae Tuae, videntes sollicitudinem filiorum hujus saeculi, pro argento et auro, pane pereunte, transferunt ad Te omnem curam suam, ut divitias suas in coelo thesaurizent.

Et ideo diligentissime negotiantur, dum dies est, timentes, ne accedat nox, in qua nemo potest operari.

Negotiatio vero earum non est pro bonis pereuntibus, quae non sequuntur mercatores, quando exeunt de hac vita; sed pro veris divitiis virtutum, quae non pereunt, sed comitantur operatores suos.

Propter quod die ac nocte student et legunt in Te, libro aeternae vitae, ut per veras virtutes formentur in Te, et Tu, Domine, formeris in illis.

Hic est labor justorum, quos nutrit Schola Tua; qui non discunt vanam eloquentiam, ut cum plausu audiantur, sed compunctionem secretam, qua Tu audias eos.

Hic est labor fortium, et prudentium, et nobilium, qui pluris faciunt unum verae humilitatis, aut man-

suetudinis punctum, quam si omnem philosophiam aut jurisprudentiam mundi didicissent.

Atque ita illuminantur et roborantur a Te, Domine, ornantur pretiosissimis vestimentis, qualia non habuit Salomon in omni gloria sua.

Utinam filii Adam viderent pulchritudinem animarum, quae decorantur luminibus et vivis coloribus virtutum, quibus praeparantur ad thalamum desponsationis suae!

Omnia corda liquefierent, ut cera a facie solis, prae magnitudine decoris, quo apparerent suavissimae sponsae Tuae.

Utinam discerent habitatores orbis justitiam Tuam, Unigenite Fili Dei; et deponerent pondus curarum saecularium quibus demerguntur in infernum. Quid enim prodest eis, si universum mundum lucrentur, animae vero suae detrimentum patiantur?

Quid prodest curiositas et anxietas studendi, et negotiandi, et multiplicandi opes et amicos, si non adsit studium virtutum Tuarum, Domine, quibus paratur opulentia et amicitia Tua?

Mundus transit velociter, sicut cursor levis explicans vias suas, et non est, qui recordetur finis sui.

Nonne sanius consilium esset, si fortes et potentes hujus saeculi vacarent Tibi, Rex pacifice, et inter curas alias ponerent curam Scholae Tuae; ubi per altissimas virtutes quasi per vias rectas deducerentur ad pinguissima pascua Tua?

Sed vacent illi aliis operibus et amoribus, ego vero vacabo et supplicabo Tibi, ut studium vir-

tutum divinarum sit pars mea, et dulcissimum otium cordis mei.

Navigent illi per flumina Babylonis ad mercaturam suam; ego vero precabor Te, ut ascendam per semitas justitiae ad verticem Sion, et ad montem visionis Tuae.

Beati discipuli, Domine, quorum corda perenniter suspirant, et feruntur ad Te per vias sublimes virtutum Tuarum et candidissimae lucis Tuae.

Volabunt, et non deficient, donec impletis ardentissimis desideriis mergantur in flumine vivo, quo laetificatur Jerusalem, beata civitas Tua.

Caput II.

De fidei exercitio, quae fit in Schola Jesu Christi.

Accedentes ad Te, Domine et dulcissime Magister filiorum Adae, oportet credere, quod sis verus Deus et liberalissimus Remunerator bonorum operum retributorque malorum; ut hac fide tutissima dirigant in diluvio aquarum multarum navigationem suam.

Et ideo discipuli Tui, quibus aperuisti aures, ut fides intraret per auditum et illuminaret corda eorum, a principio suae conversionis statuunt fideliter sequi rationes fidei Tuae, quidquid mundus et sensus proprius suggerat eis.

Dicit eis mundus et caro sua, ut fruantur praesentibus bonis et voluptatibus certis, et nolint exponere se periculo carendi consolationibus hujus vitae sub dubio perdendi etiam solatia coeli.

Dicit vero eis in secreto cordis fides Tua, stultum esse propter brevia et fallacia gaudia hujus momen-

taneae vitae perdere immensum pondus gloriae, quod servatur in coelis et inter haec duo consilia laborant, unum fortiter repellendo et alterum amplectendo, ne forte reprobi fiant.

Crescit autem firmitas melioris consilii fidei Tuae, Domine, et effundunt servi Tui orationem, quasi virgulam fumi surgentem ex aromatibus myrrhae et thuris, ut adhaereant iis, quae non vident et contemnant, quae videntur.

Ex quo incipiunt, spirituali modo suspirare ad aeterna, quae sunt occulta, quasi de terra aliena, in qua nemo intelligit linguam eorum, qui peregrinantur a Te, et currunt ad dulcissimam patriam et jucundissimam praesentiam Tuam.

Hoc est exercitium servorum Tuorum, Domine, qui ambulant per fidem non solum firmissimae credentes, quidquid credit Ecclesia, sponsa Tua, sed etiam operantes et dirigentes per fidem omnes cogitationes, verba et opera sua, quemadmodum revelasti eis.

Ipsa vero professio quotidiana Catholicae veritatis, quae in symbolo Tuo continetur, non tantum fit ab eis, ut credant parati mori pro veritate castissimae Scholae Tuae; verum etiam, ut adhaereat visceribus eorum aeternitas, magnitudo, bonitas et amabilitas Tua, pro qua viriliter pugnent.

Quando enim praesentatur eis gloria et commoditas mundi, statim recordantur fidei, quae est fundamentum sperandarum meliorum rerum, et nolunt admittere mundi consolationem, ut eorum beatissima portio sit in terra viventium, cujus fertilitate trahuntur.

11*

O lux cordium, quam videbat Isaac, postquam caligaverant oculi ejus, quanti ponderis est in tenebrosis, et in umbra mortis sequi illustrationes Tuas, et bene uti fide, qua certi sumus de Te, licet non videamus serenissimam formam Tuam!

Vae Christianis ingratis, qui non solum non bene utuntur, sed abutuntur misericordia fidei, ad quam gratis vocati sunt tam gentiliter viventes, quam si nunquam in Te, Fili Dei vivi, credidissent!

Pauci sunt, Domine, qui exerceant fidem Tuam, ut deberent, anteponentes bona invisibilia cupiditatibus suis.

Illi vero pauci mirabiliter proficiunt calcantes mundum, et ascendentes super altitudinem nubium ad considerandam et ardentissime diligendam habitationem domus Tuae.

Hos Tu, Clementissime, duces per terram desertam, et custodies quasi pupillam oculi Tui, quia non viderunt, et crediderunt, et posuerunt corda in virtute Tua.

Nunc, Domine, ambulant in aenigmate audientes, quid loquaris ad eos; sed revelata facie videbunt Regem pacificum in decore Suo, et implebuntur suavitate formae Dei.

Caput III.

De spei exercitio, quod fit in Schola Jesu Christi.

Merito sperant in Te, qui noverunt Nomen Tuum, Domine, quod est plenum laetitiae atque salutis.

Vita enim praesens patitur multas varietates et saluberrimum consilium est, habere in Te fixa corda, Qui vera retribuis gaudia.

Quocirca servi Tui, Domine, accuratissime exercent virtutem spei Tuae, quae incedit usque ad Te, nolentes admittere animi dejectiones et languores, quibus fatigantur, qui procul sunt a dulcissima Jerusalem, civitate Tua.

Certissime confidunt in visceribus infinitae bonitatis Tuae, quod, Qui, antequam vocareris, decrevisti, visitare nos oriens ex alto, non avertes aurem Tuam a clamoribus justorum, qui vocant Te, et requirunt beatissimam habitationem domus Tuae.

Et haec spes reposita in sinu amicorum Tuorum facit eos magnanimos et constantes ad proelia Domini, et ad militandum sine pusillanimitate in castris Tuis adversus tentoria Aethiopiae, et turbatas pelles terrae Madian, ubi habitant crudelissimi inimici nostri.

Considerant, o Clementissime, cor Tuum paratum adjuvare illos in opportunitatibus, in tribulatione.

Et quamvis animadvertant exurgere adversum se proelium, et se fragiles, et pusillos esse, eriguntur fiducia quasi leo, qui est fortissimus bestiarum, et ad nullius pavebit occursum.

O Fili Dei altissimi, quis poterit numerare virtutes multas, quas operati sunt, qui considerant in Te, quamvis mundus universus pugnaret contra illos?

Non omnes, qui putantur servi Tui, satis capiunt verbum hoc fiduciae Tuae, quae debellat aereas potestates, et aperit viam ligni vitae.

Nonne recordabuntur mirabilium Tuorum, quae fecisti in diebus antiquis, quando percussisti reges multos pro electo populo Tuo?

Tu aperuisti in virtute Tua mare, et contribulasti capita Aegyptiorum in aquis.

Tu confregisti principes Pharaonis et dedisti cadavera eorum in escam populis Aethiopum.

Tu percussisti petram, et fluxerunt aquae et torrentes inundaverunt.

Et adhuc multi degeneres servi Tui dicunt: Numquid et panem poterit dare, aut parare in deserto mensam populo Suo?

Usquequo, Domine, non bene sentient de Te filii Adam, qui opinantur de Te secundum brevissimam misericordiam Tuam?

Sciunt certe omnes servi Tui, Te liberalissimum esse, et non esse solitum, continere in ira erumpentes quasi mare magnum misericordias Tuas; et tamen non credunt, ut deberent, fortissimae veritati et fidelissimis promissis Tuis.

An non cognoverunt, Te esse Filium Dei incarnatum, passum et mortuum pro salute sua?

Quid ergo dubitant, an daturus sis eis veniam peccatorum, aut victorias tentationum, aut etiam panem corruptibilem, quo vivant?

Mirabile est hoc, Domine, dives valde in misericordia, quod Tu scripseris in charta corporis Tui redemptionem hominum, et confirmaveris novo testamento fidelia valde promissa, quae publicaveras mundo per sanctas scripturas Tuas; et adhuc vacillent non solum peccatores, sed etiam justi aliqui servi Tui, an sis daturus eis, quae Te docente postulant et desiderant?

Quid est hoc, Rex magne, Qui omnipotentiam Tuam parcendo maxime et miserendo manifestas?

Dicant, si possunt hi, parum provecti servi Tui, quis unquam ex corde invocaverit Te ab initio mundi, cui Tu non responderes donando, quod petivit?

Profecto, Domine, a saeculo non est auditum, quod inops aliquis pulsaret fores domus Tuae, et despiceres illum.

A saeculo non est auditum, quod taedio afficereris in pauperes et in pupillos, quibus non erat adjutor.

Ostium Tuum, dulcissime Fili Dei, viatori semper patuit; et nudi de velleribus ovium Tuarum calefacti sunt; neque unquam dixerunt viri tabernaculi Tui: Quis det nobis de carnibus Ejus, ut saturemur?

Ab infantia enim crevit Tecum miseratio; et de utero matris Tuae Tecum egressa est; quod probaverunt et laudaverunt sequentes Te in civitatibus et in deserto.

Quapropter inexcusabiles sunt, qui nolunt projicere in Te omnes cogitationes et sollicitudines suas, quamvis se videant propinquissimos inferno, et multiplicaverint, quasi guttas pluviae, turpissimas praevaricationes suas.

Certissimum enim est, misericordissime Domine, in quacunque hora clamaverint ex corde filii Adam, Te exauditurum illos, et serenissima facie, dulcissimaque mansuetudine accepturum eos venientes ad amplexus Tuos.

Quod usque adeo verum est, Domine, ut, cum sis irreprehensibilis, reprehendereris a sapientibus mundi, quod reciperes peccatores, et familiariter manducares cum illis.

Sed reprehensio haec laus Tua est ineffabilis nimis; semper enim miserationes Tuae notantur, quia eminent super omnia opera Tua.

Speret ergo in Te, o Clementissime, omnis congregatio populi, ubi sunt permixti justi cum peccatoribus; et non male loquantur de immensa bonitate Tua.

Quod si peregre profecti sunt multi, et consumpserunt cum meretricibus substantiam Tuam; veniant confidenter ad Te, sperantes de visceribus Tuis stolam primam.

Discipuli vero Tui, qui exercitatos habent sensus ad cognoscenda magnalia clementiae Tuae, currant velociter ad palmam, et ne timeant Philistaeos, adversarios suos.

Tu enim cum illis es, tanquam bellator fortis, et projicies coram eis hostes suos, dabis eis terram viventium in funiculo distributionis; et reddens amplissimam remunerationem generosis eorum cordibus, revelabis eis formosissimam lucem vultus Tui.

Caput IV.

De amoris Dei exercitio, quod fit in Schola Jesu Christi.

Primum et maximum et dulcissimum mandatum legis Tuae, Domine, impletur in Schola Tua totis viribus et visceribus.

Cum enim discipulis Tuis parvulis revelaveris Te altius, quam filiis hujus saeculi; cognoscentes illi magnitudinem bonitatis et pulchritudinis Tuae diligunt Te toto corde, tota mente et tota fortitudine sua.

Et quidem adeo trahuntur a Te, Domine, ut, si dent omnem substantiam domus suae pro dilectione Tua, quasi nihil despiciant eam.

Omnem ornatum et decorem saeculi, omnem gratiam corporum, quam mundus adorat, omne, quod in orbe terrarum visu pulchrum est, quasi lutum platearum despiciunt, quia didicerunt, diligere Te.

Sciunt illi secreta scientia, Te esse electum ex millibus, candidum divinitate et rubicundum purissimo sanguine et carne Tuae humanitatis; et videntes, nihil in mundo esse comparabile nobilitati, gratiae et suavitati Tuae, contemnunt omnes amores creaturarum, ut liberis cordibus et manibus sequantur Te.

Longissime fugiunt a consortio creaturarum amabilium, quibus adhaerere possent corda eorum, et oderunt perfecto odio, quidquid in terra decorum est, ne forte species decipiat eos.

Nolunt sequi filias Tyri et Sidonis, quae certissime subvertunt corda sapientum; et quasi pedibus cervorum currunt in odorem Tuum.

Diligunt Te, summum bonum, super omnia desiderabilia, et timent timore magno displicere mitissimo cordi Tuo.

Non est divisum cor eorum inter Te, et creaturam aliquam, quam nullo modo ferret zelus Tuus.

Et ideo ita utuntur creaturis, ut non fruantur eis, sed ament Te in eis, et eas propter Te disponentes ascensiones in corde, per quas ascendant ad Te, formosissimum candorem lucis aeternae, et fontem immortalis ac beatissimae vitae suae.

Sola bonitas Tua, Rex Jerusalem, placet eis, a qua trahuntur in funiculis Adam in vinculis dulcissimae charitatis.

De Te semper cogitant ardentes igne seraphico desiderii Tui.

De Te frequentissime loquuntur, non verbis compositis humano artificio, sed spirantibus fragrantiam dilectionis Tuae.

Propter Te semper operantur oculo simplici columbarum, nihil quaerentes, nisi placere animae Tuae.

O Fili Dei altissimi, Qui magnificatus es super omnes reges universae terrae, quam grata sunt oculis Tuis holocausta pinguia amoris Tui, quae semper ardent in altaribus servorum Tuorum, qui se totos sacrificaverunt Tibi!

Non trades oblivioni oblationes ignitas matutinas et vespertinas, quibus amici Tui requirunt serenissimam faciem Tuam.

Immo acceptabis eos, quasi sacrificia justitiae, quae est in sanguine Tuo, et respondebis servis Tuis perenniter suspirantibus ad Te, reddens eis retributionem infiniti amoris, ponens coronam pulchritudinis in capitibus eorum, qua coronetur purissima et super omnem mundi aestimationem pretiosissima dilectio Tua.

Caput V.

De charitatis exercitio, quod fit in Schola Jesu Christi.

Plenitudo legis Tuae, Domine, est dilectio; nam in hoc verbo instaurantur omnia: Diliges proximum tuum.

Quod a Te, Magister dulcissime, adeo celebratum est, ut volueris, hoc esse mandatum Tuum, ut diligamus invicem, sicut dilexisti nos.

Haec est altissima et suavissima eruditio Scholae Tuae, quam fundasti novo testamento aeterni amoris Tui.

Quapropter discipuli Tui, Domine, qui toto corde cupiunt implere praecepta immaculata legis Tuae audientes Te praecepisse, ut invicem diligerent, tam ardenter student mandato sibi imposito, ut innumerabilibus modis adjuvent, et solenter charissimos proximos suos.

Ex quo factum est ad gloriam Nominis Tui, Domine, ut in his locis, ubi perfecte colitur majestas Tua, servi Tui adeo sint unanimes et pacifici, et ad portanda aliorum onera solliciti, ut quantalibet austeritas vitae dulcescat prae magnitudine charitatis Tuae.

Profecto, Domine, si unus infirmetur, omnes infirmantur et compatiuntur illi.

Si unus tentetur, omnes pro eo ferventer orant, et solantur illum.

Si unus ignoret, omnes, qui doctiores sunt, amantissime instruunt et erudiunt illum.

Si unus sit lassus, omnes currunt ad reficiendum et refocillandum illum.

Si unus laetetur, omnes laetantur et congratulantur illi.

O Domine, quam magna est multitudo dulcedinis, quam producit charitas Tua!

Delectabile est valde, videre concordes animos et corpora totius Scholae Tuae, quae vivificatur spiritu amoris mutui, quasi corpus unum, quod vivit anima Tua.

Quam longe est a Schola Tua, Domine, tristitia de aliorum bonis et laetitia de aliorum malis!

Non quaerunt discipuli Tui, quae sua sunt, sed quae aliorum; et quaerunt carere honoribus et commoditatibus, ne careant illis dilectissimi fratres sui.

Amant scilicet alios, sicut animam suam, et exuunt se vestibus, ut induant alios, sicut fecit Jonathas erga David, fidelissimum servum Tuum.

Multa sunt corpora in domo Tua, Domine, sed multitudinis ordinatissimae est cor unum et anima una.

Beati servi Tui, Rex pacifice, qui gaudent privilegiis filiorum Dei, qui sunt inter se unum per affectum, sicut Tu es unum cum clementissimo Patre Tuo per naturam.

Non timebit domus Tua a frigoribus nivis; omnes enim domestici Tui vestiti sunt duplicibus vestimentis duplicis amoris Tui.

Propter hoc laudatur incessanter Schola Tua, Domine, ubi est deliciosissima charitatis habitatio, et abundantia suavissimae bonitatis Tuae.

Mundus quippe, qui semper laborat anxietate animorum, et fragilitate corporum, coactus poenis, quas patitur longe a dulcissima charitate Tua, laudat statum servorum concorditer viventium et laetantium, et sine tormentis saeculi suspirantium Tibi.

Laudat ille, sed non gustat mel mutuae dilectionis, quod invenitur in regione viventium vita charitatis, qua pascitur et exhilaratur plebs Tua; quae sine offensione cordium currit ad beatissimos amplexus Tuos.

Crescat, oro Te, Fili Dei, pax et laetitia familiae

Tuae; et currat sine deflectione ad Te, Quem dilexit et propter Quem dilexit charissimos fratres suos.

Caput VI.

De poenitentiae exercitio, quod fit in Schola Jesu Christi.

Discipuli Tui charissimi, Domine, quorum conscientia vigilat super corde suo, quod praeteritis peccatis vulneratum fuit, adeo fideles et verecundi sunt, ut stent retro, sicut Magdalena secus pedes Tuos, lacrymis rigantes et osculantes eos; ut, quantum possunt, satisfaciant offensae majestati Tuae.

Etsi enim sperent jam Te placatum esse illis per non leves conjecturas, non propterea obliviscuntur peccatorum, ne forte per ingratitudinem infirmentur, et obliviscantur Tui.

Profecto, Domine, jam Petro, et Paulo, et Magdalenae peperceras ex magnitudine bonitatis Tuae; et tamen Petrus flevit longo tempore; Paulus doluit et castigavit se, et Magdalena exercuit corpus in antro diuturna poenitentia quasi mortua sibi.

Sic enim docentur in Schola Tua, Magister vitae, ut de propitiato peccato poenitentiam agant, et acquirant immensa lucra secretae eruditionis Tuae.

Primum autem tanguntur dolore cordis intrinsecus magnopere dolentes et displicentes sibi, quia altissimum Deum, fidelissimum Dominum et mitissimum Redemptorem suum sine causa offenderunt; ex quo abominabiles et contemptibiles videntur sibi.

Mirantur valde, postquam illuminati sunt, quomodo

obscurati sunt sensus eorum, quando peccaverunt Tibi, et acutissimo dolore penetrantur viscera illorum super grandi malo, quod fecerunt.

Deducunt, quasi torrentem, lachrymas, neque tacet pupilla oculi sui; quoniam dereliquerunt Te fontem vivum, et foderunt sibi cisternas dissipatas, ubi aquas turbidas congregarent.

O Domine, quot suspiria exeunt e contritis cordibus Scholae Tuae in silentio noctis, quando peccatores multiplicant, sicut stellas, turpissima peccata sua! Quoties servi Tui injiciunt sibi manus, et quasi publicani percutiunt pectora sua, quia peccaverunt Tibi! Quoties jacent in terra prostrati Tibi in Ecclesia Tua, precantes, ut parcas aliis et convertas furorem Tuum in eos, sicut precatus est David, amicus Tuus, postquam peperceras ei.

Hinc, Domine, nascuntur jejunia, cinis et cilicium Scholae Tuae; quae quo sanctior est, eo magis sumit vindictam de praeteritis et condonatis culpis suis.

Et ideo mirabiliter proficiunt discipuli Tui, mansuetissime Redemptor, quia sic negotiantur, ac si nihil lucrati fuissent, et sic currunt ad Te, quasi longissime abessent.

O sapientia et bonitas infinita, quam contraria sunt studia peccatorum, qui quotidie peccant, et nolunt levissimam poenitentiam agere!

Amici Tui vocati ad Scholam Tuam non possunt requiescere prae magnitudine doloris, quia displicuerunt Tibi; et qui extra disciplinam sunt, non cogitant de quaerenda amicitia Tua.

Verumtamen coeci sunt isti, et in foveam profundissimam cadent, unde non resurgent.

Servi vero Tui, quorum anima in amaritudine est pro transgressionibus antiquis, qui fletum cum potu miscent, et macerant consecrata Tibi corpora sua, surgent de pulvere in gloriam, et quia de torrente dolorum biberunt Tecum, in via exultabunt capita, ut coronentur in platea civitatis Tuae.

Tu, Clementissime, absterges omnem lacrymam ab oculis eorum, et blande loqueris eis ad cor pro transacto labore suo.

Videbuntque illi, Quem dilexerunt; et dilatabuntur viscera eorum jucundissima praesentia Regis sui.

Hic est beatissimus finis poenitentiae, quae post cinerem et jejunium vocatur ad vescendum suavissimo fructu.

Caput VII.

De prudentiae exercitio, quod fit in Schola Jesu Christi.

Posuit Te, Unigenite Fili Dei, clementissimus Pater Tuus Principem domus Suae, ut erudires principes ejus, sicut Temetipsum, et juvenes ac senes ejus prudentiam doceres.

Quod excellenter fecisti, Domine, instruens discipulos Tuos disciplina, qua fierent providi et cauti ad invenienda media, per quae foeliciter proficerent in sublimi valde Schola Tua.

Repleti sunt ergo spiritu prudentiae, non certe illius, quae de terra est, sed prudentia Sanctorum, qua mundo majores visi sunt.

Non enim armati sunt astutia, quam mundus vendit pro prudentia, sed in simplicitate columbarum servaverunt prudentiam sicut serpentes, quemadmodum docuisti eos.

Non sunt decepti apparenti figura mundi transeuntis, neque posuerunt fallacia bona filiorum Adam ante immortales divitias et solatia domus Tuae.

Ex quo factum est mirantibus principibus hujus saeculi, ut non solum viri aetate provecti et literati non fuerint seducti promissis et adulationibus mundi, sed pueri atque puellae paucorum annorum, quae opes, et honores, et delicias providentia Tua multa contempserunt.

Data est enim eis optio, ut eligerent, quod vellent, aut splendidissima matrimonia, aut Te, castissime Sponse virginum; et deliberaverunt, adhaerere Tibi, et mori pro servanda innocentia et puritate sua.

Haec est senectus mentis, quae non fuit acquisita consiliis hominum aut experientia rerum mundanarum, sed a Te, Magister suavissime, infusa Scholae Tuae, ut sciret discernere vera bona, et apparentia bona refutare.

Haec autem laus Scholae Tuae, Domine, olim floruit in multis eventibus mirabilibus, qualis fuit ille, quo Catharina Alexandrina, nive candidior sponsa Tua, convertit multos philosophos, qui ad eam pervertendam venerant, responsis suis.

De ore quippe prudentis processit mel; dulcedo mellis sub lingua ejus; favus distillans labia ejus.

Atque ita capti sunt sapientes saeculi prudentia, quae eminebat in responsis illius.

Nescio autem satis mirari, Domine, prudentiam istam in multis millibus virginum prudentum, quales fuerunt sociae Ursulae, sponsae Tuae, quae mundum mirabiliter seduxit, ut tota cum multis choris servaretur Tibi.

Haec est vera prudentia, quae scit invenire modos occultos et multiplices vitandi pericula hostium invisibilium et visibilium, ut sine detrimento servet pretiosissimos thesauros gratiae Tuae.

Nimis longum esset, Domine, numerare antiqua exempla prudentiae, quae discitur in Schola Tua.

Bene autem est, ut usque in hodiernum diem multa similia videantur in parte nobilissima et formosissima Ecclesiae Tuae; in multis, inquam, puellis et pueris, qui altissimo consilio contemnunt mundum, quamvis impugnentur ab eo.

Proponuntur eis rationes variae a prudentibus, prudentia carnis et capitalibus inimicis Spiritus Tui; et graviter tentati, atque sicut argentum examinati inveniuntur prudentiores mundo, et consecrantur Tibi, ut glorificeris in illis.

Et quemadmodum in ingressu Scholae Tuae probaverunt, quia melior est vir prudens, quam fortis, sic exercent se in processu vitae in adinventionibus Scholae Tuae, ut multis modis, quos mundus non probat, et probantur Tibi, proficiant, et crescant ad mensuram Tuam.

Sic crescunt ordinatissimis incrementis, et vitatis multis periculis perdendi Te, liberantur quasi aves de laqueo venantium, et volant ad nidum, quem parasti eis in dulcissimo corde Tuo.

Caput VIII.

De exercitio justitiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Justus es, Domine, et justitiam dilexisti; aequitatem probavit vultus Tuus, et propterea, qui admittuntur ad Scholam Tuam, inter prima praecepta discunt reddere unicuique, quod suum est, scientes, se, nisi hoc faciant, non posse placere Tibi.

Quocirca fidelissimi sunt servi Tui, Domine, in reddendis, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.

Cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, et cui amorem, amorem.

Atque ita studiosissime curant, neminem laedere, depositum custodire, mercedem operarii non detinere; sed per omnia satisfacere dilectissimis proximis suis.

Imo adeo justitiam diligunt propter Te, Domine, ut non satis quiescant, nisi plus reddant, quam acceperunt, quantum status proprius eis permittit, quemadmodum probavit Zachaeus, discipulus Tuus, quem secretis modis erudieras, antequam aperte vocares illum.

Haec est perfectio justitiae, qua ornatur Schola Tua, Domine, a qua longe absunt filii hujus saeculi, qui plus quam sapientiam diligunt pecuniam.

Opprimunt enim pauperculos et derelictos, qui vix saturantur pane, trahentes cor ad colendos agros, et aedificandas domos suas; et tamen moratur merces parvulorum in tabernaculis divitum, neque commoventur viscera illorum super eis.

Omnia tempus habent, justissime Rex; et Tu reddes unicuique secundum opera sua.

Tu confringes molas violentorum, et de dentibus eorum auferes praedam.

Tu parces pauperi et inopi, et salvos facies filios pauperum, et humiliabis calumniatores.

Tu redimes ex usuris, et iniquitate animas inopum, et clarificabitur in pauperibus justitia Tua.

Nunc vero, quamdiu abundant tentoria praedonum, et consumitur egestate populus Tuus, magna cum laude servi Tui fideles verbis et exemplis dissolvunt colligationes iniquitatis; et pro viduis et pupillis deprecantur vultus divitum, ad exercitium justitiae, qua decoratur domus Tua.

O Domine, quam felix est Schola Tua, quae, cum patiatur injurias et multiplices injustitias, si petatur ab ea tunica, reddit et pallium, ut cum iis etiam, qui oderunt pacem, sit quoque suavis atque pacifica!

Utinam optimates mundi discerent justitiam, et erudirentur, qui judicant orbem terrarum!

Certe si vellent considerare conversionem amicorum Tuorum, et aequitatem, qua ponderant actiones suas, legerent in vivis libris eorum viam justitiae, qua praeservarent ab interitu animas et corpora sua.

Sed nunc pinguescant isti tauri ad victimam rapientes bona pauperum suspirantium Tibi; donec veniat dies ultionis Tuae. Discipuli vero Tui studeant justitiae; ut, qui in sordibus est, sordescat adhuc, et qui justus est, justificetur adhuc.

Tempus breve est, citoque veniens Rex justitiae, exurgens propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, ad consolandas animas adhaerentium Tibi.

Tunc apparebis terribilis violentis, qui male senserunt de cultu justitiae, quam oderunt; et coronabis amicos Tuos pro accuratissima justitia, quam observarunt ad instruendos, et lucrandos Tibi charissimos proximos suos.

Caput IX.

De exercitio temperantiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Amabilis est valde decor domus Tuae, Domine, quem servant studiosissimi temperantiae discipuli Tui.

Adeo enim Schola Tua decoratur honestate et abnegatione rerum delectabilium hujus vitae, ut nihil in ea videatur, nisi honestum et pudicum, sicut decet habitaculum purissimi cordis Tui.

Plebs Tua, Domine, fortissime pugnat cum delectationibus sensuum, temperans illas propter Te, ne unquam excedant modum necessitatis, qualis conceditur ab immaculata lege Tua.

Atque adeo in cibo, potu, somno, visu, olfactu, cum honestate mirabili et verecundia virginea observat moderationem ordinatissimam, qua fit pulchra sicut Jerusalem, et spirat odorem sponsi Tui in plateis, sicut cinamomum et balsamum aromatizans.

Non est reprehensio, quia non est deformitas in schola sapientiae, quae decore suo placet oculis spiritualibus, qui delectantur honestate, et oderunt turpitudinem.

Sed et oculi carnei filiorum hujus saeculi, quando tantillum respirant mundani homines ad Te, capiuntur moderatione illa discipulorum Tuorum; et mirantur

honestissimam conversationem et abstinentiam illam abhorrentem a voluptatibus corporeis, quibus corda stulta gravantur.

Et quidem Schola Tua, Domine, ex quo didicit adhaerere Tibi, bene clareque cognovit, se non posse suspirare ad Te, ut decet corda consecrata Tibi, nisi parcissime utatur rebus delectabilibus etiam licitis.

Certum est enim, sub praetextu necessitatis viros etiam temperantes saepe decipi ad transgressionem et licentiam nimiam, quae miserabiliter laedit animas eorum.

Et propterea vigilant in timore Tuo, Domine, amici Tui, et assidua consideratione coelestium delectationum mortificant membra sua, quae sunt super terram; et continent se intra terminos Angelicae vitae per severam carnis disciplinam.

Hinc est, Domine, ut in domo Tua omnia sint candida et lucida, cum corda familiae Tuae non deturpentur et retardentur impudicitia, crapula vel ebrietate, sed perenni studio Tuae similitudinis dealbentur super nivem, et illuminentur formosa valde luce Tua.

Haec est gloria magna scholae Justorum, qua illustrati sunt plurimi fideles amici Tui, Domine; qui relictis palatiis regum terrenorum abierunt in solitudinem, et admirabili temperantia negantes oculis suis omnia, quae desideraverunt, reliquerunt Ecclesiae, sponsae Tuae, bonum nomen ad narrandas laudes eorum; ut, cum legerentur in futuris generationibus, populus electus laudaret Te.

Re quippe vera laudabilis es, Domine, in sanctis Tuis, quos ita instruis secreta eruditione Scholae Tuae,

ut quasi ablactati a lacte mundi, et avulsi ab uberibus matrum suarum, servent temperatissimam moderationem in usu praesentis vitae, quasi e carne et sanguine caeterorum hominum compositi non essent.

Beati viri illi, qui candorem et honestatem Tuam, Fili purissimae Virginis, in actionibus suis repraesentant! Non projicies illos a facie Tua, quia splendidi facti sunt sicut sol, et tanquam perfecti Nazaraei adhaeserunt Tibi.

Nunc illi crescunt puritate, et a mundo longissime separantur, ut accedant proxime ad Te, et illuminati splendoribus Sanctorum fruantur in aeternum dulcissima societate Tua.

Caput X.

De exercitio fortitudinis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Justi Tui, Rex magne, ut leones confidunt, et aggrediuntur pericula magna aspicientes Te, fortissimum adjutorem et liberatorem suum.

Credo autem, Domine, amicos Tuos nutritos in Schola Tua fortissimos esse, quia, cum nihil possideant in hac vita, quod timeant perdere, pro nihilo ducunt pericula mortis corporalis, per quam transituri sunt ad beatissimam vitam et felicitatem Tuam.

Et ideo mirabile est, quam facile exponant se summis difficultatibus itinerum et navigationum providentes Te semper in conspectu suo, et legitime certantes coram Te, pro Quo omnia visibilia despexerunt.

Filii hujus saeculi, Domine, licet reges, aut impe-

ratores sint, parvuli et timidi sunt, atque adeo ad solum nomen mortis perturbantur.

Possident quippe multa bona temporalia, et vehementer amant animas suas, quas Tu odio habendas praedicasti, ex quo fit, ut timor et tremor veniant super eos, quando aliquod periculum grave succedit. Quo enim ibunt, quando vocabis eos ad judicium, superveniente eis interitu repentino!

Multas causas timoris et horroris habent; neque mirandum est, si apud eos non moretur fortitudo.

Discipuli vero Tui, Domine, scientes, se a dextris habere Te, et confidentes in virtute et justitia Tua, Cujus gratia proeliantur, non solum non fugiunt imaginem mortis, sed ipsi offerunt se vulneribus et morti cum altissima laude majestatis Tuae.

Recte quidem, appropinquante enim morte naturali, vel violenta, amici Tui, Domine, quorum Tu illuminatio et salus es, quem timebunt?

Milites illi, quorum Protector vitae Tu es, a quo trepidabunt?

Vere non trepidant milites Tui, qui fortissime pugnant cum morte pro vita, et cum inferno pro gloria; tam firmiter enim apprehenderunt Te, ut neque mors, neque vita, neque persecutio, neque gladius, neque instantia, neque futura, neque creatura aliqua possit eos separare a potentissima charitate Tua.

Quod genus fortitudinis, quam verum sit, probaverunt, Domine, multi exercitus martyrum Tuorum, quibus cessit lacerans fortiter ungula, neque fortiora carpsit penetralia.

O Rex invictissime, sub Cujus pede gemit mors et infernus, quot adolescentes nobiles et decori valde, in mollibus enutriti, qui videbantur timere formicam unam, obtulerunt se tyrannis pro Te ad rotas, gladios et flammas ignis!

Quot virgines speciosissimae, quae prae teneritudine videbantur non posse ambulare, tradiderunt corpora sua in mortem, contemnentes ignem, bestias et securim!

Mirabilia sunt, Domine, quae fecerunt servi Tui armati fortitudine Tua.

Sed et nunc habes paucos aliquos fortiores mundo contemptores mortis et inferni, qui currunt ad nationes barbaras, ut evangelizent Te; qui lapides et cruces, et gladios, et naufragia non formidant, optantes, ut periculis fluminum, latronum et tyrannorum probes illos.

Potens quippe es Tu, Domine, in his quoque diebus omnem gratiam et fortitudinem abundare facere in illis, ut stent ante reges et praesides, non cogitantes, quomodo, aut quid loquantur, sed fortissime pugnantes pro invincibili veritate Tua.

Hi sunt, qui permanent Tecum in tentationibus Tuis, Fili Dei, tentate per omnia pro similitudine absque peccato.

Hi sunt, quos retinens mundus inhorrescit, quia a constantissimis animis calcatur infirmitas et vanitas ejus.

Hi sunt pars nobilissima castrorum Tuorum, Rex pacifice, qui contra leges carnis et sanguinis, et contra adversitàtes mundi, et inferni portant in corporibus suis charissima stigmata Tua.

Hi sunt, quoram memoria non derelinquetur, sed a Te, liberalissime Remunerator, servabitur scripta in libro vitae.

Beatissimi sunt certe pauci isti pugnatores Tui, Domine, quorum fortitudine clarificatur Catholica fides Tua usque ad fines orbis terrae.

Nunc circumeunt egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, et in mediis populis quandoque apparentes, ut cum discrimine corporalis vitae annuntient iis, qui Te ignorant, aeternam vitam Tuam.

Bene est, ut fortiter pugnent pro Te, et enarrent universa magnalia Tua.

Cito enim finietur persecutio, et cessabit crudelitas tyrannorum; ipsi vero ascendentes de tribulatione magna vestientur stola candida, et prima in amplissimo regno Tuo, cujus foelicitas et laetitia non cessabit in aeternum.

Caput XI.

De exercitio religionis sive latriae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Virtus religionis, Domine, qua colitur et adoratur divina majestas Tua, mirabiliter exercetur a discipulis Tuis, quorum potissima cura est, ut multis modis honorent Te.

Et primum quidem prosternunt se Tibi humillimis cordibus et corporibus adorantes sublimissimam dignitatem majestatis Tuae.

Afferentes Tibi non filios arietum et hircos cum medulla tritici, sed incensum purissimi affectus erga legem Tuam.

Sacrificant Tibi vitulos labiorum suorum in psalterio decem chordarum cantantes Tibi, et innumerabiles hostias spirituales immolantes in ara cordis sui.

O Domine, quoties extollunt manus suas in sancta adorantes Te, et narrantes mirabilia, quae fecisti parcens illis.

Et haec quidem, altissime Fili Dei, quae ad sacrificia spiritualia pertinent, multiplicantur in Schola Tua super stellas coeli ascendentibus ad Te odoribus suavitatis de concilio et congregatione justorum unanimiter habitantium in domo Tua.

Sed ineffabilis est laus magna servorum Tuorum, quae nascitur ex celebratione et solemni ministerio altaris, ubi offerunt Te puris cordibus et manibus clementissimo Patri Tuo.

Ibi una oblatione, quam quotidie repetunt, incruente immolant candidissimum Agnum Dei, Qui tollit peccata mundi, tanta copia ignitorum affectuum et lacrymarum dulcissime fluentium, prae commotione viscerum in cantu Ecclesiae Tuae, ut sine dubio delecteris in eis, et respicias gratissima vota eorum.

Quam pie et ardenter, et quam maturis sensibus, Domine, servi Tui, quos altissima dignitate sacerdotum decorasti, accedunt ad altare Tuum, ut ponant ibi non panes propositionis antiquae, aut carnes vitulorum et hircorum, sed panem, qui de coelo descendit, et sanguinem, quem fudisti, cum operareris salutem in medio terrae!

Omni custodia custodiunt corda et corpora sua, ne inquinentur et indigne tangant vasa Domini; et

multiplicibus modis expurgant vetus fermentum, et lavant stolas suas.

Sic ergo conjungentes interiores hostias affectuum suorum cum holocausto pinguissimo novi et aeterni testamenti Tui faciunt solennitatem grandem magnitudine oblationis et votorum ascendentium velociter ad conspectum majestatis Tuae.

Tu vero, Clementissime, Qui intueris corda hominum, odoraris sacrificium gratissimum cordi Tuo exaudiens desideria pauperum fortissime suspirantium Tibi, et visitans in misericordiis multis casta corda, quae requirunt Te.

Sunt certe oculi Tui aperti, et aures Tuae erectae ad orationes justorum, quas offerunt cum muneribus dilectionis, quae praeparavit nobis infinitus amor Tuus.

Hic est cultus religionis, qua honoratur altitudo Tua, Rex magne, Qui pro perfecto puroque cultu, qui redditur Tibi a piissimis discipulis Tuis, reddes eis coronas decoris, et inaestimabilia gaudia in templo Jerusalem, primogenitae civitatis Tuae.

Caput XII.

De exercitio orationis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Non intelligit mundus, clementissime Fili Dei, quanti ponderis sit semper orare et nunquam deficere.

Non capiunt principes terrae verbum hoc de mane surgendi et vigilandi ad postes sapientiae, atque ideo non inveniunt illam.

Non est inter filios saeculi hujus, qui consideret,

quantae sint divitiae et solatia orationis, in qua anima, tanquam sponsa castissime conjungitur Tibi sponso suo.

Schola tamen Tua, Domine, illustrata lumine vultus Tui cognovit pondus et aestimationem orationis, et se totam dedicavit studio illius.

Quapropter amici Tui habent horas certas et quotidianas, quibus intentissime vacant Tibi, unico bono et solatio suo, tanti aestimantes tempus illud, ut libenter contemnant omnia desiderabilia mundi, ne priventur eo consortio Tuo.

Et ne alieni efficiantur a Te, Qui es vita et foelicitas eorum, reliquo tempore diei et noctis, quantum fert humana fragilitas, nihil cogitant, nisi Te, ut adhaereat visceribus eorum delectabilis valde imago praesentiae Tuae.

Neque in hoc opere tam necessario sequuntur, vel admittunt consilia hominum, qui nesciunt aestimare pretium sapientiae Tuae; sed intuentur exempla Sanctorum, qui quaerebant speluncas et solitudines, ut longe a confusione Babylonis vacarent Tibi.

Propter hoc subtrahunt se consortio consanguineorum et amicorum carnalium, qui fallaciter lactant eos inutilibus suasionibus, quae corda stulta seducunt.

Propter hoc fugiunt inquinamenta carnis et spiritus, scientes, se non posse conversari Tecum, si non lavent pedes suos.

Atque ita puris cordibus et manibus assistunt ante faciem Tuam, Rex pacifice, ut audiant, quid loquaris eis, et percipiant sibilum lenis aurae Tuae.

Purgant atque repurgant semetipsos calido balneo

sanguinis Tui, ut crescente puritate vitae aptiores fiant ad ascensiones cordis, et dulcissimam sermocinationem secreti Spiritus Tui, qui auditur in abscondito cubiculo cordis, clausis portis atque fenestris sensuum adversus importunas imagines mundi.

Sic ergo exercent se discipuli Tui, Domine, tanta cum sollicitudine et fidelitate, ut nolint requiescere donec inveniant Te, a Quo exspectant pluviam voluntariam misericordiae, quae sicut ros Hermon descendit in eos, qui vigilant ad portas Sion, ubi est locus quietis Tuae.

Et quamvis longa et tristissima ariditate probes illos, quasi ambulantes per loca deserta, ubi laboratur aquae penuria, sequuntur Te fideliter per viam solitudinis, scientes, se currere ad fontem aquae vivae.

Non cessant a proposito sequendi Te, licet occurrant eis crudeles inimici, qui quaerunt subvertere sensus eorum ad deserendam Scholam Tuam.

Fide igitur sincera ambulant per terram sterilem, quamdiu placet Tibi, ductori suo, Cui adhaerent neglectis consiliis hominum.

Et quando disponit suavissima providentia Tua, apparet eis terra promissa, quasi paradisus Domini, ut lassi recreentur et laetentur abundantia dulcissimae bonitatis Tuae.

Ibi exultant ossa humiliata, et reviviscunt viscera pene mortua rigata flumine consolationis Tuae.

Ibi cor expanditur prae magnitudine laetitiae, et fortissime adhaeret Tibi, liberalissimo Remuneratori suo.

Ibi salit sicut cervus claudus, et solvitur vinculum

linguae mutorum ad cantandas copiosissimas misericordias Tuas.

Ibi sugunt charissimi amici lac Sponsi ex uberibus Tuis, quae fragrant unguentis optimis, quibus nihil est comparabile in terra nostra.

Ibi apparet lux formosior sole, quae illuminat penetralia cordis, et ingerit castissimas delectationes Dei.

O Domine, quam dives est domus Tua, et quam plena sunt cellaria Tua ubertate consolationum ineffabilium, quas non gustant, neque gustabunt, qui fugiunt humilitatem et mansuetudinem Scholae Tuae.

O quam contemptibilia et sordida videntur dilectis Tuis, qui gustaverunt Te, omnia solatia filiorum Adae, omnia convivia, omnia palatia, omnes horti et omnes voluptates corporum, quibus tenentur ligati inimici Spiritus Tui!

Non recedant a Schola Tua, Domine, qui Te lactati sunt, et biberunt de torrente consolationis, qua plena est sermocinatio Tua.

Etenim et solatia illa, quibus novelli servi et adolescentuli trahuntur, talia sunt, quae illos trahere possint sine violentia, ut nolint separari unquam a Te; sed gaudia illa majora et puriora, quibus post sterilitatem abundare solent oratores Tui, fortius tenent corda et corpora exultantia in Deum vivum, et in aeternum velint Tecum permanere.

Magna est velut mare bonitas Tua, Domine, Qui posuisti delicias Tuas in communicatione filiorum hominum, ut ostenderes antiquas cogitationes miserendi, quas habuisti, antequam fundares terram, et abyssis vestires illam.

Beati servi Tui, Rex pacifice, qui assidue assistunt coram facie Tua, et meditantur in operibus manuum Tuarum, et quod foelicius est, contemplantur Te summam bonitatem, sapientiam et fortitudinem suam.

Hi pauci electi Tui quaerent certissime loca solitaria, ubi non audiatur strepitus malleorum et clamor mercatorum et discursus transeuntium et currentium post desideria sua.

Quaerent atque requirent Te in abscondito, ut pacifice loquantur Tecum, et adhaereant cordi Tuo.

Tu vero, Clementissime, exaudies eos et amantissime respondebis, quando offerrent Tibi sacrificium plenum adipe desiderii Tui; et post exilium hoc ostendes eis optatissimam et super coelos serenissimam praesentiam Tuam.

Caput XIII.

De exercitio obedientiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Si omnia membra mea verterentur in linguas, Unigenite Fili Dei, non satis laudarem exercitium obedientiae, quae singulariter lucet in Schola Tua.

In hac enim virtute excellenter imitatur Te, qui factus est obediens a nativitate usque Te et recedere a praevaricatione patris sui.

Et quidem, quod est mirabile, cum esses Filius naturalis Dei, didicisti ex iis, quae passus es, obedientiam, quasi volens singulari cura et perfectione imprimere visceribus discipulorum Tuorum cultum et amorem virtutis istius.

Quapropter illi bene intelligentes sensum Praeceptoris sui, Qui docet sapientiam in abscondito, ita se tradunt regendos superioribus suis, quasi omni discursu et judicio carerent.

Sciunt enim, omne judicium creaturarum non posse comparari cum judicio Filii Dei loquentis per superiorem Suum; et ideo redigunt in captivitatem omnem intellectum, ne forte pereant de via justa.

Quod adeo perfecte sit in Schola Tua, Domine, ut cum jucunditate multa superiore religionum, in quibus observantia viget, considerent mirabilia magna, quae operaris in auditoribus Tuis.

Ab initio enim suae renunciationis multi novelli discipuli, qui paulo ante erant e numero prudentum hujus mundi, adeo mirabiliter mutantur per gratiam Tuam, ut foeliciter excoeccati obscuritate fidei, non magis discurrant circa obedientiae mandata, quam si infantes modo geniti essent.

Qua certe simplicitate gratissima Tibi, Domine, in tantum proficiunt, ut intra paucos menses videantur ascendisse super excelsam terram, et sedere posse cum principibus populi Tui.

Hi sunt, qui renascuntur denuo iterato ingredientes in uterum incorruptum Scholae Tuae; quae quasi purissima virgo parit Tibi filios sine dolore, ut multiplicetur nive candidior familia Tua.

Crescit autem obedientiae laus in multis occasionibus, ubi praecipiuntur ardua et difficilia, aut quae fortasse non videntur rationabilia; in quibus tamen mites agni Tui, Domine, vel nescientes cogitare malum

de superiore suo, vel si tententur, repellentes cum horrore cogitationes infideles, comparant admirabiles victorias, quibus aedificatur et exhilaratur domus Tua.

O Rex pacifice, quam speciosa est congregatio justorum ordinatissimis actionibus tota composita ad nutum praelati sui!

Quam foelix aemulatio discipulorum Tuorum, qui sunt parati potius mori, quam verbum obedientae praeterire.

Quantus decor est, Domine, ille, qui consurgit ex concordia multorum consentientium promptissimis animis in unum opus obedientiae, quam totis visceribus diligunt!

Non est Satan in Schola obedientiae Tuae, dulcissime Magister hominum, non murmur, non querimoniae, non falsae interpretationes, non fastidia, non malignitas, non tarditas, sed pax et laetitia nascens de corde puro et fide non ficta.

Credo certe, Domine, Te comedere avidissime suaves valde fructus istos, quos producit obedientiae studium in pacifica domo habitationis Tuae.

Vescere ergo, Domine, et laetentur omnes, qui se sacrificaverunt Tibi, ut servirent divinae majestati omnibus diebus vitae suae.

Tu regis eos nunc in arca, in quam non ingrediuntur fluctus aquarum diluvii; et postea jubebis requiescere non super montes Armeniae, sed super montem coagulatum interminabilis gloriae et ineffabilis consolationis Tuae.

Caput XIV.

De exercitio castitatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Beatissima est Schola Tua, Domine, quae castigat concupiscentiam tanquam equum fallacem ad salutem, qui in abundantia virium suarum non salvatur.

O quam pulchra est, Rex pacifice, casta generatio quaerentium Te, quam illustrat claritas vultus Tui!

Corda casta ad Te suspirantia sunt lilia candidissima paradisi Tui, quibus delectatur anima Tua.

Quod bene intelligentes discipuli Tui, Domine, viriliter pugnant pro decore castitatis; et dignum judicant pati multos sudores et angustias pro candore puritatis Tuae.

Tenent gladios super femur suum; praecinctisque lumbis vigilant ad Te, ne unquam inquinentur stolae eorum, quibus decorantur ad nuptias Agni Dei.

Difficile numerari possunt vigiliae, jejunia, cilicia et aliae corporis castigationes, quibus exercent se, ad tuendum decorem puritatis, qui somno, cibo et mollitie solet offendi.

Videntur certe solliciti amici Tui, Domine, mille oculos habere ad circumspiciendum occasiones et pericula laedendi castitatem, quasi viatores providi thesauros portantes, qui timent insultus latronum.

Et ideo non cessant diebus atque noctibus offerre Tibi preces et suspiria inenarrabilia, ut liberes eos de manu angustiae et de multis tribulationibus, quae circumdederunt eos.

Item vero quando tententur longis et molestissimis

tentationibus concupiscentiae, quae saevit quasi ursa raptis catulis, mirabile est, quam fortiter resistant, et quot muris et antemuralibus curent defendere se a crudelibus inimicis suis.

O Fili Dei altissimi, quot proelia crudelissima tolerant servi Tui ad custodiam formisissimae castitatis, cujus decor amabilissimus est!

Quot anxietates et sudores mortis patiuntur, ne perdant argentum igne examinatum!

Certe bellum hoc, quod nascitur a lege membrorum, horribile est; nam et confringere solet cedros Libani; et facit quandoque stellas de coelo cadere, ut tristissimis historiis probatum est.

Quocirca milites Tui, Domine, clamant ad Te e profundis cordium suorum, scientes quale bellum gerant, et quam fragilis sit omnis homo, nisi fortissima gratia Tua firmet illum.

Ambulant ergo caute vocatione, qua vocati sunt, nolentes confidere in viribus propriis; et exspectantes manum Tuam de alto audent pugnare cum ferocissimis hostibus suis.

Postquam vero castigato corpore et purificato corde multiplicia proelia fideliter sustinuerunt, mirabiliter visitantur a Te, clementissime Rex, et facti digni ampliore dilectione propter praerogativam castitatis, recipiunt a Te dulcissimi amoris signa desiderabilia super omnia gaudia filiorum hujus saeculi.

Splendore Tuo illuminantur et exhilarantur ad currendam viam, quam coeperunt; et carnis pondere non gravati, spiritualisque vitae cibo in mensa Tua nutriti

festinant ad patriam suam ad consortium Angelorum, quibus assimilati sunt.

Ibi dabis eis partem in thalamo Tuo, et longitudine dierum et gaudiorum ineffabilium replebis eos.

Caput XV.

De exercitio paupertatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Merito Schola Tua, Domine, in fundamento solidissimo paupertatis Tuae fundata est, quia possessura est regnum coelorum.

Non enim bene cohaeret possessio substantiae hujus saeculi cum meliore substantia regni Tui, cujus divitiae non sunt de hoc mundo.

Quomodo enim corda onerata bonis terrenis suspirabunt ad bona coelestia, et thesaurizabunt apud Te thesauros suos?

Certe non pertinet ad Scholam Tuam mercatura et sollicitudo terrae, quae non sinit animum adhaerere Tibi.

Quocirca disipuli Tui, Domine, tam ardenter student ditissimae paupertati, ut vix velint habere alimenta et vestes, quibus tegantur in hac vita.

Quod si aliquando ex misericordia proximorum abundent bonis, contristantur, ne forte reputentur inter filios hujus saeculi, qui carituri sunt corona paupertatis Tuae.

Nihil esse videtur in mundo, quod tam vehementer desideratur sicut aurum, cum quo veniunt honores et delectationes; nihil vero ferventius quaeritur a discipulis Tuis, Fili Dei, quam paupertas, cum qua venit contemptus et incommoditas vitae.

Ex quo apparet, quam diversae sint viae Tuae a viis hominum.

Sed paucissimi capiunt verbum istud; non enim satrapae Medorum atque Persarum cum populis suis possunt sibi persuadere, amabilem esse inopiam mansuetorum et humilium, qui habitant concorditer in domo Tua.

Sed quidquid sentiat mundus, qui non cognovit Te, Domine, servi Tui eruditi ad pedes Tuos amant paupertatem, quasi dulcissimam sponsam, et cupiunt mori inter brachia ejus.

Quod adeo verum est, ut non solum, postquam in domo Tua profecerunt, sed etiam in ipso ingressu multi famosi discipuli Tui relinquentes omnia, ut sequerentur Te, relinquerint ipsa etiam vestimenta, quibus tegebantur, ut Tu tanquam omnino derelictos tegeres illos, sicut Franciscus, charissimus amicus Tuus.

Disciplina haec Tua, Domine, recondita est, neque capiunt eam amatores sui, quibus plenus est mundus.

Pauci tamen illi, qui capiunt eam, fiunt Tibi gratissimi in religionibus praesertim observantibus, ubi non solum nihil possident religiosi, sed ex iis, quae dantur eis ad usum, eligunt viliora, ut Tibi, exemplari suo, consentiant.

O Domine, Qui non habuisti, ubi reclinares caput in terra, quam dedisti filiis hominum, quam jucundum spectaculum est, videre multos discipulos Tuos, qui ante vocationem suam induebantur purpura et abysso, et postquam gustaverunt divitem paupertatem Tuam, induuntur vilissimis vestimentis, quae aestimantur ab eis super vestes pretiosissimas regum terrae!

Quam admirabile opus est, viros multos nobilissimos, qui ante vocationem suam epulabantur splendide, comedere fragmenta panis mendicati, et pro magno habere, quod dentur eis reliquiae ciborum, quae supersunt familiae Tuae!

Haec est exercitatio mira, quae discitur in Schola Tua, Domine, cum hilaritate magna et contemptu mundi, currentibus servis Tuis pauperibus ad divitias incomparabiles regni Tui.

Cito transibit indigentia pauperum Tuorum, Rex dives in misericordia, et amici Tui vestientur veste regia, et saturabuntur lautissimis epulis ad mensam Tuam.

Caput XVI.

De exercitio resignationis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Nihil est desiderabilius servis Tuis, Domine, quam facere omnia secundum consilium rectissimae voluntatis Tuae.

Cum enim consecraverint se Tibi, ut totis visceribus sequantur Te, Magistrum et Auctorem vitae, nihil volunt operari, vel cogitare, quod non placeat cordi Tuo.

Quod si inter varias mutationes vitae infirmentur, vel sanentur, adjuventur, vel derelinquantur; quidquid eis accidit, suscipiunt de manu Tua cum magna pace cordis, quia, sicut Tibi placuit, ita factum est.

Inaestimabilis est, Domine, pax, qua justi Tui gaudent, sive annus sit fertilis, sive sterilis, sive pluat, sive grandinet; quia in his omnibus intuentur et diligunt beneplacitum Tuum.

Per omnia quaerunt primum, quid acceptum sit in conspectu Tuo, et donec voluntati Tuae satisfaciant, non possunt requiescere; in quo facile cognoscitur justitia et puritas eorum super candorem nivis, sive moriantur, sive vivant filii eorum, sive nobiles, sive ignobiles sint, sive laudentur, sive vituperentur, in ore habent verba servi Tui Job, quando misisti manum Tuam validam super eum.

Neque ferre possunt consilia hominum impatientium et superborum, qui nolunt inclinare cervices ad jugum Tuum, sed elevantur cum murmure adversum Te, si infirmitatibus, vel paupertate, vel aliis probationibus tangas illos.

Considerant enim stultitiam eorum, qui nolunt subjici Tibi, et pereunt cum dissolutione magna; et foelicem vitam illorum, qui acquiescunt divinae voluntati et suavissimae providentiae Tuae.

Et ideo eligunt partem meliorem extenuantes hoc consilio molestias praesentis vitae et acquirentes substantiam meritorum multam nimis.

Non auditur clamor in domibus eorum in morte primogeniti, neque immoderatus risus in prosperitate hujus saeculi, sed aequalitas laetitiae castae, quae nascitur ex impleta jam voluntate Tua.

Pauci sunt valde, o Rex pacifice, qui aequanimiter vivant, et laetentur in beneplacito Tuo, et qui non patiantur aliquid humanum, quando graviter probas illos.

Pauci sunt, qui aeque accipiant de manu Tua adversa et prospera, et cantent inter nubila misericordias Tuas.

Multi confortant manus aliorum lassas, et roborant genua debilia; et tamen quando tangit eos plaga, deficiunt et ponunt in coelum os suum.

Verumtamen per hoc crescit laus magna electorum Tuorum, Domine, quibus clarificatur Schola Tua.

Fiunt enim admirabiles in universa terra, quando stant adversus gravia mala, quasi columnae ferreae, quae non possunt moveri de loco suo.

Isti sunt fortissimi servi Tui, quorum corda constantissime confiteantur Tibi, sive bene, sive male fuerit eis.

Justorum gloria, Domine, in Ecclesia Tua tanta est, ut, qui male agunt, compungantur consideratione patientiae et resignationis eorum, et qui bene operantur, quasi doctores et pastores sequantur illos.

Sic lucet Schola Tua his luminibus in nocte praesentis vitae, ut ad eorum fulgorem ambulet in tenebris, donec aspiret dies et inclinentur umbrae; et pro perfecta resignatione, qua discipuli Tui quaesierunt Te, inveniant et possideant Te infinitum bonum et interminabile gaudium cordis sui.

Caput XVII.

De exercitio mansuetudinis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Pusillus grex agnorum Tuorum, Domine, paratus mori potius, quam laedere offensores suos, tanto studio sequitur mansuetudinem Tuam, ut lapides quoque ad compunctionem movere possit.

Didicit per auditum fidei Te, cum accusareris, non

Te excusavisse, cum patereris, non comminatum fuisse, cum blasphemareris, non maledixisse; et imprimitur ejus visceribus dulcissima mansuetudo Tua.

Recordatur injuriarum et improperiorum, quae ceciderunt super Te; et videtur ei culpa intolerabilis, non adhaerere et conformari Tibi.

Quocirca fortes amici Tui, Domine, quorum corda fortius adhaeserunt Tibi, non solum laeto vultu audiunt contumelias et irrisiones, sed (quod est mundo mirabile) quaerunt occasiones, ut saturentur opprobriis, tanquam pinguissimo nutrimento animae suae.

Et quamvis initio suae conversionis non semper gustent mel, quod latet sub improperiis, quae tolerantur propter Te; quandoque tamen, secundum tempora a Te disposita, intime laetantur, sicut laetabantur Apostoli Tui, quando digni habiti sunt pro suavissimo Nomine Tuo contumeliam pati.

Qua in re apparet, Domine, potentia divinae gratiae Tuae, quae mutat corda hominum usque ad mirabilem pacem et laetitiam de injuriis; ita ut quo magis tentantur, magis dulcescant et mansuescant erga falsos et infideles fratres, a quibus exercentur, sicut Tu, mitissime Domine, fecisti erga infoelicem Judam, proditorem Tuum.

Et hoc quidem tam singulare et admirabile exemplum discipulorum Tuorum vehementer movet filios hujus saeculi ad compunctionem et correctionem vitae.

Licet enim caeci sint, tanta est tamen manifestatio virtutis Tuae in tolerantia injuriarum cum ostensione mansuetudinis, ut, quando vident aliquem discipulum

Tuum placido vultu dulcescere erga irrisores suos, non possint tolerare vim cordis humilitati et arridentis offensoribus suis.

Utinam, Domine, omnes habitatores terrae discerent ponderare disciplinam Scholae Tuae, quae vincit mundum non offendendo, seu resistendo, sed perferendo usque ad extrema improperia!

Utinam appareret oculis habitantium in tenebris formosissimus splendor mansuetudinis, quae exercetur in domo Tua!

O quot victorias comparavit mansuetudo Filii Dei per charissimos servos Suos gaudentes contemptu mundi, et abscondentes in sinu pretiosissima lucra gratiae, quae ex opprobriis amarissimis proveniunt eis!

Principes terrarum pro vindicta unius verbi parum bene sonantis secundum leges mundi currunt ad sanguinem, et consumunt amplos redditus, perdunt vitam et animam suam, mites autem servi Tui, Domine, non solum nihil perdunt, sed acquirunt immensa lucra gratiae et gloriae, et acceptis injuriis, quasi invento thesauro revertuntur hilares in domum Tuam.

Ex quo patet, in praesenti vita mansuetos discipulos Tuos esse velut immobiles et imperturbabiles in hac varietate saeculi, quod sicut luna mutatur, et mutat inconstantes amatores suos.

Et hinc est, ut aptissimi sint ad acquirendam sapientiam secretae eruditionis Tuae, quae non residet in animis perturbatis et sollicitis ad varios eventus militiae, quae exercetur super terram.

Beatissimi sunt certe mites amici Tui, Rex Jerusa-

lem, quoniam in praesenti vita gaudent iis rebus, quibus potentatus mundi contristantur et affliguntur usque ad mortem et in futura felicique vita possidebunt fertilissimam terram viventium, et comedent dulcissimos fructus ejus.

Facti sunt ad proportionem cordis Tui, et per omnia student formari ad exemplar infinitae perfectionis, quo fiunt decori et amabiles valde in Schola Tua.

Hinc surgent divitiis immortalibus affluentes, et intrabunt in mare magnum deliciarum Tuarum; ubi sine fine cantabunt altissimas victorias gratiae et infinitam dulcedinem bonitatis Tuae.

Caput XVIII.

De exercitio humilitatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Non est sapientia super terram, Domine, quae comparari possit cum sapientia Scholae Tuae, quae creat casta et humilia corda, qualia decent Te, Magistrum suum, Qui, cum in forma Dei esses, non rapinam arbitatus es, esse Te aequalem Deo, sed Temetipsum exinanisti formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et in profundissima abysso humilitatis habitu inventus ut homo.

Hoc est verbum absconditum, quod discitur in Schola Tua, Rex pacifice, non in strepitu et contentione verborum, sed cum pace, in qua factus est locus quietis Tuae.

Ita vero discitur verbum hoc, ut discipuli Tui, Domine, illuminatos cordis oculis habentes, tam solli-

cite quaerant vilia ministeria domus Tuae, quam ambitiosi filii hujus saeculi quaerunt primos accubitus in coenis, et primas sedes in foro, primosque honores in palatio.

Quod ut obtineant, si quid gloriosum eis faciendum committitur, quantum per legem Tuam licet, vel fugiunt, vel fingunt se nescire, vel non posse, ne forte positi supra montem, evanescant in cogitationibus suis, et veniat eis pes superbiae, quo recedant a Te.

O Domine, quot vasa sancta electionis Tuae absconderunt se, ne sublimarentur in Ecclesia Tua!

Quam diligenter Ambrosius et Gregorius, Doctores magni, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna, quaesierunt fugam praelationis?

Quam humiles corde et viliter de se sentientes fuerunt clarissimi amici Tui Thomas de Aquino et Antonius?

Mirabile est, Domine, quod isti, quos replevisti spiritu sapientiae et intellectus, tam serio reputarent se indignos honoribus et tam accurate vitarent illos!

Verum haec est eruditio Verbi, quod caro factum est; qua instructi servi Tui vilissima de se opinantur, et alios quasi meliores se humillimis cordibus et externis reverentiae actibus honorant.

Ex quo surgit dulcissima pax, et suavissima conversatio inter domesticos Tuos, Domine, quorum unusquisque alios omnes amat, et honorat sine invidia, vel maledicentia.

Et hoc mutuo exercitio charitas, quae est vinculum perfectionis, mirabiliter nutritur, et corda redundant oleo laetitiae Tuae.

Non est amaritudo in familia humilium, neque asperitas, quae pugnet cum suavitate Spiritus Tui, Qui requiescit super pauperculos trementes sermones Tuos.

Nescio, Domine, satis explicare, aut ponderare suavitatem humilitatis, qua plena est domus Tua.

Video enim humiles amicos Tuos ab aliis etiam peccatoribus tam ardenter amari et desiderari; ut mihi persuadeam, infinitam esse vim humilitatis, quae potest mollire corda lapidea, et suscitare in eis compunctionem et ignita desideria gratiae Tuae.

O Domine, quam potens est gratia humilitatis, quae facit magnos homines parvulos in oculis suis!

Utinam vidissent superbi optimates saeculi mitissimum David, amicum Tuum, quando exspoliavit se et saltavit coram arca foederis totis viribus, juravitque se fore vilem et parvulum aestimatione sua!

Etsi enim non omnes intelligerent absconditum sensum publici sermonis, omnes, credo, moverentur, et fortasse multi traherentur fortissima virtute Tua.

Sed quidquid mundus velit, Schola Tua trahitur suavi valde catena humilitatis Tuae!

Haec est opulentia et fortitudo magna, qua roboratur Ecclesia, sponsa Tua, Domine, et consolatur seipsam in laboribus suis; quia humiles corde amici Tui sunt cardines terrae, super quos posuisti orbem, ut sustinerent grave pondus ejus.

Horum corda Tibi, Rex Sion, gratissima sunt; quae transeunt modo per ignem probationis, et consummato cursu inter principes populi glorificabuntur a Te, atque implebuntur castissimis deliciis paradisi Tui.

Caput XIX.

De exercitio misericordiae corporalis, quae fit in Schola Jesu Christi.

Discipuli Tui, Domine, scientes, se habere Pontificem misericordem, Qui possit et soleat compati infirmitatibus eorum, toto corde exercent opera misericordiae erga omnes propter Te.

Induuntur viscera misericordiae similia illis, in quibus visitasti nos descendens ex alto, et intime affliguntur ex miseriis proximorum, quos diligunt sicut animas suas.

Non est misericordia eorum, quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens, qui non foecundat terram, quae patet sine aqua Tibi, sed quasi pluvia magna et voluntaria, quae descendit super terram desertam, ut fructus abundantissime producat.

Et ideo si amici Tui divites sint, Domine, tanta sollicitudine distribuunt inter pupillos et viduas, et peregrinos opes suas, quanta solent homines avari coacervare illas claudentes viscera sua ad gemitus pauperum.

Tota die miserentur et commodant, dispergunt donantque pauperibus, per quorum manus tanquam per fidelissimos nuntios, transmittunt in coelum bona sua.

O quam avide exercent opera misericordiae tanquam boni mercatores, qui per hoc ipsum misericordiam consequentur!

O quam placido vultu audiunt miserias filiorum Adae, et commoventur super eis. Confiteantur Tibi, Domine, opera misericordiae, quae facis per manus

servorum, quorum laus usque in hodiernum diem est in Ecclesia Tua.

Sunt enim aliqui inter electos auditores Tuos, qui non solum consolantur inopes ex iis, quae superfluunt statui suo, sed non curantes statum, qui cito cadit, et quaerentes statum permansurum, subtrahunt sibi necessaria statui, vix relinquentes necessaria sustentationi personae, ut copiosius misereantur derelictis Tuis.

Non enim possunt tolerare sine effusione multarum lacrymarum miseriam inopum, qui squalentes calamitate consumuntur fame; et currunt ad capsas et cellaria, ut cum laetitia dimittant a se charissimos fratres suos.

Neque major laetitia eis accidere potest, etiamsi nobilissimi sint, quam cum vident promptuaria sua, et horrea vacua, et plena spe fidelissimae misericordiae Tuae.

Qua in re, clementissime Domine, saepe apparuit manifestatio infinitae bonitatis Tuae; nam horrea a servorum Tuorum misericordia semel evacuata iterum implere soles, ne siccetur fons miserationum Tuarum descendentium in domos eorum, qui requirunt Te.

O Fili Dei altissimi, quoties amici Tui, qui vix habent necessaria, ut tegantur et vivant exuentes se vestimentis, quantum fert honestas, cooperiunt nudos, mendicos, repulsos a domibus divitum crudelium.

Credo certe, o Mansuetissime, sacrificia haec esse delectabilia valde cordi Tuo, quemadmodum significasti Martino militi, qui totis visceribus dilexit Te, quando petenti pauperi dedit dimidium pallii sui.

Sed non sunt contenti negotiatores Tui, Domine,

si subtrahant sibi necessaria ad consolandos pauperes occurrentes sibi; ipsi enim ambulant per domos derelictas, scrutantes, ubi lateant, qui tabescunt miseria, et exhalare videntur animas suas donantes eis, quae ipsi habent, et quae petunt ab aliis, cum rubore propter Te.

Profecto, Domine, holocausta haec bene medullata sunt medulla dulcissimae charitatis Tuae, qua abundant corda amicorum Tuorum quaerentium modos varios miserendi, ut miserearis eis.

Quid autem dicam, Fili Dei altissimi, de misericordia illorum, qui adhibent pauperculos ad mensam suam, ut honorent Te, nolentes delectari conviviis divitum, sed eorum, qui carent solatiis hujus vitae!

Certe non desunt his diebus aliqui pauci electi Tui, Domine, qui hoc modo exerceant misericordiam; quorum laus magna est in Ecclesia Tua, quanto ipsi in altiore dignitate constituti sunt.

Verum et alii sunt de mitissima Schola Tua, Domine, qui non solum vocant ad mensam suam derelictos, sed pleni adipe misericordiae ministrant eis manibus suis, et intime laetantur miserendo.

Haec est haereditas sancta et generatio casta quaerentium Te, qui, quando vident pauperes, in quibus considerant personam Tuam, vellent, si possent, sine nota prosternere se, et amplecti eos, et detergere vulnera illorum.

O Rex magne, Cujus miseratio non habet finem, quam facile remittis peccata his viris misericordi-

bus, si forte pro humana fragilitate aliquando peccent Tibi!

Quam cito reconciliaris eis quaerentibus per misericordias pauperum redimere peccata sua!

Utinam divites, qui habent consolationem suam in hoc mundo, quaererent sic placare Te, et obtinere veniam crudelitatis suae!

Sed redeo ad Scholam Tuam, Domine, a qua nollem separari, praesertim quando cantatur Tibi misericordia, et cantabo cum choro domesticorum Tuorum misericordiam illam grandem, quae inventa est his quoque diebus in aliquibus amicis Tuis, qui laborantes manibus suis, ut haberent, ut distribuerent necessitatem patientibus, quidquid integris hebdomadis lucrabantur, dederunt pauperibus vix reservantes modicum panem sibi.

Neque fuit sterilis misericordia haec, qua repleta est sicut adipe et pinguedine anima eorum, quae suspiraverat in atria Tua.

Verum non est tacenda gloria Tua, Domine, in iis servis Tuis fortissimis et electissimis, qui, cum essent captivi apud infideles hostes Tuos, et haberent argentum, quo redimi poterant, fecerunt redimi alios captivos derelictos, et ipsi remanserunt in jugo servitutis, qua comparaverunt libertatem filiorum Dei, cum inaestimabili laude Tua.

Bene est, Domine, ut misericordia discipulorum Tuorum abundet sicut aqua maris, et fiant similes Tibi in dulcissimo affectu erga fratres suos; pro quo reddes eis incomparabilia gaudia in foelicissimo regno Tuo.

Caput XX.

De exercitio misericordiae spiritualis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Magna est, Domine, sicut arena maris miseria animae, quae trahitur de Adam; et ideo magna est valde misericordia spiritualis, quam exercent discipuli Tui ad instruendos, consolandos, animandos et curandos proximos suos.

Ex quo fit, ut aliqui servi Tui, quibus dignus non est mundus, habentes talentum, quo possent laudari in civitatibus magnis, quaerant oppida parva derelicta, ubi seminent verbum Tuum cum laetitia, et evangelizent pauperibus regnum Dei.

Ubi mirabile est, quanta sollicitudine doceant rudes et ignorantes viam Tuam obliti propriae commoditatis prae magnitudine misericordiae, qua moventur erga parvulos petentes supersubstantialem panem Tuum.

Sed non satis videtur his fidelissimis servis Tuis, Domine, si perambulent oppida pauperum laborantium fame verbi Tui regnis, ubi nati sunt; cogitant enim egestatem infidelium, qui longissime distant et non cognoverunt vel auditum blasphemaverunt Nomen Tuum; et relinquentes parentes, amicos et commoda sua per navigationes periculosas valde quaerunt misereri eorum, qui sine remediis Ecclesiae Tuae portantur ad flammam.

Fiunt peregrini super terram, ut per labores et pericula innumerabilia ducant populos, ubi non est invocatum Nomen Tuum, ad patriam supernae Jerusalem, quae regnat in coelis.

O Fili Dei vivi, quot noctes laboriosas, quot dolo-

res, quot persecutiones patiuntur propter justitiam et misericordiam, qua commoventur viscera eorum erga proximos suos!

Quod si amici Tui, Domine, justis de causis non sic peregrinentur ad convertendos incredulos ad prudentiam justorum, non propterea torpescunt; sed ex illis, quos invenire possunt, egentes consilio, aut solatio, lucrantur Tibi multos, adimplentes ea, quae desunt, ut impleatur domus Tua.

Non sunt similes illis indignis Christianis crudelibus, qui quasi struthiones in deserto deserunt fratres suos expositos perditioni, nolentes dare operam saluti pusillorum, quasi non essent redempti pretiosissimo sanguine Tuo.

Sed contra sunt adeo fideles adjutores animarum, pro quibus Tu, Domine, fuisti quasi viator declinans ad manendum in terra aliena; ut statim ac vident aliquem tentatum, aut vacillantem, promptissime subveniant ei, et dulcissimis verbis ovem rationalem errantem reducant ad ovile Tuum.

Quod genus misericordiae magnae acceptissimum est Tibi, Pontifex clementissime, super millia arietum et taurorum pinguium, quia plenum est pinguedine meliori suavissimae charitatis et miserationis Tuae.

Non est, qui se abscondat a calore compassionis, quae fervet in Schola Tua, Domine, quia discipuli Tui circumeunt civitatem, et scrutantur egestatem animarum, ad medendum eis, ne forte multi derelicti pereant de via justa.

Requirunt modos multos mirabiles, ut concilient discordes, ut offensos pacificent, ut virgines custo-

diant, ut pueros orphanos instruant timore Tuo; et quasi apes argumentosae conficiunt favos, quos implent melle dulcissimae misericordiae, qua delectatur et gloriatur infinita bonitas et majestas Tua.

O Rex pacifice, quam dives es in misericordia, quam exerces per charissimos amicos Tuos!

Habes certe paucos aliquos, Domine, in domo Tua nobiles secundum carnem, et famosos, qui, ut honorent Te unicum bonum et desiderium suum, dedicant se totos spiritualibus operibus misericordiae, postquam reliquerunt omnia temporalia propter Te.

Quorum corda Tibi nota sunt tam propensa ad miserendum, ut prae magnitudine sollicitudinis, quam patiuntur pro salute proximorum, vix recordentur sui.

Videntur certe nutriti oleo misericordiae, quam exercent in hilaritate; illisque praecipue diebus bene valent, quibus multos desolatos consolati sunt.

O mercatura sapientiae, quam foelix es!

Miseratio haec non est sterilis, Domine, neque revertetur vacua ad operatores ejus.

Tu enim, Clementissime, reddes eis lucra multa, quae promisisti misericordibus; et postquam multiplicaverint gratissima Tibi bona opera sua, facies eos sedere cum senatoribus terrae viventium, implebisque illos jucunditate beatissimae vitae Tuae.

Caput XXI.

De exercitio gratitudinis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Schola Tua, Domine, non est terra maledicta, quae spinas germinat cultori suo, sed terra fluens

lacte et melle gratissima Tibi, Qui sanguine Tuo rigasti eam.

Quod inter discipulos Tuos fidelissimos adeo manifestum est, ut testibus multis probari possit.

Non cessat Schola Tua, Domine, cantare misericordias Tuas, et fontem infinitae bonitatis, quo vivunt plantae amoenissimi paradisi Tui.

Certe quanto amici Tui sanctiores fiunt, tanto magis crescit intima gratitudo animi, qui reddit Tibi, quae Tua sunt, et ligatus catena dilectionis fit servus emptitius Domini sui.

Hinc nascuntur suspiria et cantica jubilationis, quibus exultat schola justorum in dulcissimo Deo, salutari suo.

Hinc nascitur humilitas cordis, quod sentit se gravari magis ponderibus misericordiae Tuae.

Hinc nascitur augmentum mirabilium meritorum, quibus ornatur anima, quae non gloriatur in iis, quae accepit, quasi essent a se, sed gloriatur in fonte bonitatis Tuae.

Non deficiet laus Tua de ore servorum Tuorum, Domine, qui cogitant, gratia Tua se esse, quales sunt, sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, a qua exspectat totum illud, sine quo non posset vivere.

Schola scilicet Tua, Magister suavissime, non est sicut terra Aegypti, ubi jacto semine in hortorum morem, aquae de Nilo ducuntur irriguae; exercentibus se hominibus regni illius in spe aquae currentis per terram, et non petentibus pluviam descendentem de coelo.

Sed est sicut terra promissionis, quam jurasti Abra-

ham, fidelissimo amico Tuo, quae non habet spem in fluminibus terrae, sed pluvia voluntaria coeli, quam exspectat temporibus suis.

Et ideo elevatis oculis in coelum, semper recordatur Tui, et humillimo corde commendat Tibi torcularia et horrea sua, quae implentur a Te.

Quando vero recordantur discipuli Tui, Domine, praeteritae vitae et servitutis, a qua liberasti eos, exultant labia eorum, ut cantent Tibi canticum novum, cujus tenor non habet finem.

Cum enim considerent, se per dulcissimam gratiam Tuam vivere, et non ardere in aeternis flammis, ea ipsa hora, qua vivunt, inflammantur viscera eorum lampadibus ignis Tui, et liquescunt inexplicabili gratitudine, quam reddunt Tibi, quasi sacrificium debitum infinitae misericordiae Tuae.

O Rex altissime, quam fideles sunt servi Tui in agendis gratiis pro acceptis beneficiis de liberalissima manu Tua!

Sed et erga proximos suos ita grati sunt per eruditionem Scholae Tuae, Domine, ut, si quis fragmentum panis, aut vas aquae donet eis, videantur sibi ligari catenis gratitudinis, ad reddendam gratiam benefactoribus, quemadmodum sensit Theresia, purissima virgo et sponsa Tua, erga hominem ignotum, qui vas aquae dederat ei.

O corda casta et fidelia amicorum Tuorum, Fili Dei, quae longe recedunt a rusticitate mundi.

Profecto, Domine, filii hujus saeculi, licet instanter postulaverint, statim ac acceperunt beneficia Tua, obliviscuntur Tui.

Servi vero majestatis Tuae non solum non obliviscuntur Tui, sed neque proximorum pauperum, licet vas aquae frigidae tantum acceperint ab eis. Non est conventio luci ad tenebras, et Scholae Tuae ad gymnasia mundi, qui non cognovit Te.

Laetentur ergo in Te, Domine, servi Tui, et cum intima gratiarum actione commemorent grandem misericordiam Tuam.

Tu quippe odoraberis odorem suavitatis surgentem ex cordibus, ubi ardet dilectio Tua; transactis laboribus praesentis vitae, admittes eos ad strictissimos et castissimos amplexus Tuos.

Caput XXII.

De exercitio abstinentiae et sobrietatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Beati sunt servi Tui, Rex pacifice, qui nutriuntur cibo regio mensae Tuae, quam principes hujus mundi non gustaverunt.

Habent enim victum meliorem, quo vivunt et roborantur ad castiganda corpora sua mirabili abstinentia et sobrietate; qua fiunt aptiores ad convivia deliciarum spiritualium, quae non communicantur filiis alienis, qui tenentur visco praesentis vitae.

Mirabile est, Domine, quam fortiter se exercent amici Tui in cibo et potu, mortificantes appetitum exquisitis modis, quos invenit sapientia Tua.

Nam praeter modicam quantitatem, qua utuntur, quasi stantes et transeuntes per viam vitae, quaerunt multis modis facere insipidos cibos, et insuavia po-

cula, ut per omnia fiant similes patienti et crucifixo Redemptori suo.

Filii hujus saeculi, quorum Deus venter est, legunt curiose valde libros scriptos de ratione parandi cibos, ut nulla sit delectatio gulae, qua careant in hac vita; filii vero Tui, Domine, legunt historiam passionis Tuae, in qua discunt fel et acetum, quo miscere cupiunt prandia sua.

Non emunt vina pretiosissima, in quibus est luxuria; sed modico vino utentes, ne infirmentur, custodiunt Tibi casta corda et corpora, quae immolaverunt Tibi.

O Domine, quam diversae sunt viae Scholae Tuae a viis amatorum mundi!

Certe Tu nosti, esse quoque nunc paucos aliquos discipulos Tuos, qui quando sedent ad mensam aspicientes Te Crucifixum, spargunt pulveres absynthiis, vel aloes super cibos, ut mortificent sensum gulae, quae est crudelis inimica Spiritus Tui.

Et ad istum modum adinvenerunt varios modos extinguendi saporem ciborum, ne extinguatur in cordibus eorum sapor dulcissimae sapientiae Tuae.

Ista est negotiatio fortium, qui negant appetitui omnes delicias praesentis vitae, considerantes fructum ligni vitae, quod floret in paradiso deliciarum Dei.

Nunc sequuntur duram disciplinam, quae mundo videtur inconsolabilis.

Sed ipsi sciunt, non esse adeo duram, ac suspicatur mundus; quia Tu loqueris eis ad cor, et pluis manna super corda eorum, quando sic videtur expedire sapientiae Tuae.

Profecto, Domine, bene est esurire nunc et sitire, si labor iste terminandus est, et commutandus cum statu beatissimo, in quo servi Tui famelici et sitibundi non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque ullus aestus.

O quam prudenter agunt isti negotiatores Tui, Rex pacifice, qui considerantes, terram promissionis esse pinguem et bonam, supponunt sicut Issachar, humeros suos ad portandam onus et pro dulcissima libertate serviunt sub tributo.

Habent certe spem futurorum bonorum, quae non videntur, negantes sibi, quae videntur, et vehementer sollicitant sensus suos.

Et quanto plures victorias acquirunt occasione quotidianae refectionis, tanto major et firmior spes crescit de victoria ad colligendos fructus palmae, in quam ascendunt.

Solent autem isti amici Tui, Domine, gaudere privilegiis libertatis Tuae in hac valle lacrymarum et servitutis in iis horis, quibus aliis minus fortes domestici Tui non gaudent; quia etiam immediate post perfectionem sentiunt se agiles et aptos ad vacandum Tibi, et consideranda mirabilia legis Tuae.

Tu vero, clementissime Fili Dei, corroboras eos et attrahis ad Te mirabilibus modis, bene compensans laborem abstinentiae et sobrietatis, quam exercent, ut se totos servent Tibi.

Post exercitium autem illud angelicum, quo se sacrifiant majestati Tuae, cibabis eos melle, quod manat a Te, petra viva, et adipe frumenti, quo nutriuntur

filii Sion inclyti; dabisque eis bibere, quantum desideraverunt de fonte vivo, cujus aqua limpidissima potantur cives Jerusalem, sponsae Tuae.

Caput XXIII.

De exercitio patientiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Inter omnia documenta Scholae Tuae, Domine, Redemptor et Rector hominum, valde laudatur exercitium patiendi multa mala propter Te.

Probatio enim fidei et charitatis multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, patientia servorum Tuorum est, quae a nemine reprehenditur, et ab omnibus in admiratione habetur.

Et quidem licet non ita laudaretur probatio haec, quae caret suspicione in Schola Tua, non satisfacerent sibi ipsis amici Tui, Jesu Christe patientissime, nisi paterentur gravissimas molestias et tristitias propter Te.

Considerant enim illos servos Tuos, quos habuisti charissimos in saeculis praeteritis, ita a Te probatore illorum gravatos fuisse, ut aliquando taederet eos vivere, et intima desolatione tabescerent.

Sic probasti Apostolos Tuos, Domine, et antea probaveras antiquissimos servos Tuos ante et post diluvium, ut clarificetur in eis gratia Tua.

Non ignorant discipuli Tui, Magister vitae, patientiam Noe, cum fabricaretur arca, et Job, cum sederet in sterquilinio, et Tobiae, cum privatus lumine oculorum suspiraret Tibi.

Quapropter desiderantes conformes fieri imagini

Filii Dei, Qui est Primogenitus inter multos fratres compatientes sibi, armantur scuto fortissimae patientiae adversus tristitias et desolationes, quae nascuntur ex mortalitate praesentis vitae.

Alii sine culpa perdunt bonum nomen, quod est melius, quam divitiae multae.

Alii infamantur molestissimis morbis, donec marcescant viscera eorum, quibus fidelissime dilexerunt Te.

Alii male tractantur ab iis, quibus fecerunt magna bona.

Alii tolerant duras tentationes, quibus videntur propinquare ad portas mortis et inferni.

Alii quanto magis curant adhaerere Tibi, gravius repelluntur a Te, et consumuntur ariditate tristissima.

Haec sunt castra Dei vivi militantia Tibi et bibentia de torrente aquarum turbidarum, quamdiu placet divinae sapientiae et bonitati Tuae.

O mitissime Redemptor, Qui regnasti a ligno, ubi traxisti ad Te corda fidelia exaltatus a terra, quam graviter premuntur in hac vita discipuli Tui, qui sunt praeordinati ad coronam!

In plagis supra modum, in mortibus frequenter, et in aliis afflictionibus, quae videntur terribiles supra mortem.

Omnes fluctus Tuos videris, Domine, mittere super electissimos, et furor irae Tuae videtur comprehendere eos.

Domos eorum evertis, portas et vectes confringens, et tradis eos tortoribus, ne corda eorum adhaereant resinosae substantiae mortalis vitae.

Quod illi bene intelligentes consolantur se ipsos in

tribulationibus, scientes, se habere apud Te repositam amplissimam retributionem, quae melior est super vitas. Canunt hymnos Tibi, Remuneratori suo, in nocte obscurissima angustiae, quae cecidit super eos, scientes, quod ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum laetitia.

Licet veniat confractio ossium, membrorum divisio et totius corporis contritio, parati sunt omnia ferre, ut fruantur Te, sicut facit passioni proximus Ignatius fortissimus, martyr Tuus.

Haec est vita et conversatio electorum Tuorum, Domine, qui non irascuntur contra Te, quando mittis manum Tuam super eos; sed aequo animo ferunt omnia facti consortes crucis Tuae.

Tu vero, justissime Judex, legitimis certatoribus reddes clarissimas coronas justitiae in atriis Ecclesiae triumphantis, et pro transactis angustiis dilatabis viscera eorum inaestimabili consolatione aeternae vitae Tuae.

Caput XXIV.

De exercitio modestiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Modestia discipulorum Tuorum, clementissime Fili Dei, nota est omnibus hominibus, qui trahuntur virgineo aspectu Scholae Tuae, quae per hoc ostendit, se habere Magistrum Filium Virginis.

Credo autem suavissimam virtutem istam inde nasci, quod auditores Tui semper de Te cogitent et ambulent coram Te, quasi in praesentia Regis magni, Qui nihil indecorum aut incompositum ferre valet.

Videntur certe servi Tui, Domine, virgines modestissimae, quae praeparantur ad nuptias Tuas, non sicut illae, quae ornatu saeculi parabantur ad horum Assueri, sed sicut decet castissimas sponsas Agni Dei.

Ex quo fit, ut domus Tua, Rex pacifice, sit decora valde et suavis sicut Jerusalem, quae sursum est.

Nihil enim videtur in terra similius esse choris castrorum, quae laetantur victoria in victrice civitate Tua, quam congregatio justorum unanimiter habitantium et cum amabili modestia servientium Tibi.

Sive enim ambulent, sive sedeant, sive taceant, sive loquantur, sive laborent, sive requiescant, sive quidquam aliud operentur, lucet in eis proportio quaedam mirabilis actionum ad mensuram Tuam, Domine; et oculis omnium placet modestia conjuncta castae laetitiae Scholae Tuae.

Non est praecipitatio aut cursus vehemens, non clamor, non nutus oculorum, non erecta colla, non tristis aspectus, non dissolutio risus, non rixae, aut aliquid inordinatum, quod deturpet dulcissimam pulchritudinem Scholae Tuae, cujus vestis nuptialis est ordinatissima modestia.

Etsi vero in omnibus corporis partibus et actionibus sit Tibi gratia, et procedat quasi columba nive candidior, ille tamen decor, qui resultat ex moderatione oculorum, et Tibi, Domine, et servis Tuis spirituales oculos habentibus gratissimus est.

Illa simplicitas sine affectione, illa castitas sine adulterio, illa gratia sine dolo, quae ornat oculos corporales familiae Tuae, habet vim magnam ad mo-

vendos animos illorum etiam, qui extra domum Tuam vagantur, et ambulant extento collo, sicut filiae Sion, quae displicuerunt Tibi.

Habet praeterea modestia domus Tuae, Domine, immensa bona, vitatque gravissima mala nolens aspicere vanitatem saeculi, quae sollicitat corda suspirantia in atria Tua.

Unde inspiratione Spiritus Tui factum est, ut in ordinibus reformatis, vigilantibus super custodia cordis, tam diligenter studeant servi Tui moderationi oculorum, ut nihil intueri velint, nisi quod ad pietatem pertinet.

Nam et multa, quae licita sunt, exercitio quotidiano negant oculis corporalibus, bene scientes meliora spectacula se intus visuros, si a licitis externis abstineant.

O Fili Dei vivi, quot mala parturiit visus incautus Evae aspicientis lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave! Videtur haec mater morientium transfudisse in filios suos insatiabilem curiositatem videndi vana et noxia sine fine.

Atque ita horribilia mala contigerunt non solum peccatoribus, sed etiam justis multis, Domine, qui per licentiam oculorum recesserunt a Schola Tua.

Casus autem et infoelicitas istorum cautis amicis Tuis vertitur in cautelam; et ideo parcissime utuntur oculis, ne unquam mors intret per fenestras.

Sic transeunt per viam festinantes ad patriam, et exspectantes Te, Judicem justissimum, Qui dices eis verba illa immensae consolationis plena: Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

Tunc illi, qui averterunt oculos, ne viderent vanitatem, aspicient apparentem regionem vivorum, et sine timore periculi videbunt campos laetissimos vere aeterno virentes, in quos fortiter suspirarunt.

Et quod delectabilius est, videbunt Te, Rex Salomon, coronatum dulcissima pulchritudine, et splendentem formosissima luce, quae resultat ex serenissimo vultu Tuo.

Caput XXV.

De exercitio silentii, quod fit in Schola Jesu Christi.

O Rex pacifice, o Verbum caro factum, o vir potens in sermone, quomodo scribam de exercitio silentii melle dulcioris, quod exercetur in Schola mansuetorum, quae sequitur totis visceribus Te, coelestem Praeceptorem suum.

Potens fuisti, Domine, in sermone trium annorum, quo docuisti multos, et evangelizasti regnum clementissimi Patris Tui.

Sed non minus potens fuisti in silentio triginta annorum, quod admirantur sapientes amici Tui usque ad stuporem magnum nimis.

Sed hoc est mare magnum et spatiosum valde, neque possum navigare illud.

Declinabo ergo ad Scholam Tuam tacitam, et sine strepitu intentam considerationi mirabilium Tuorum; et considerabo in ea vim fortissimam silentii Tui.

Bene novit familia Tua, Domine, innumerabilia damna, quae nascuntur a modico membro linguae, quam nullus unquam domuit sine copiosa gratia Tua.

Nimis aperta et quotidiana sunt exempla malorum,

quae patiuntur non solum filii hujus saeculi, qui scientiam viarum Tuarum nolunt, sed discipuli quoque Tui, quando non vigilant super se.

Dolendum est enim, Domine, quam graviter laedatur pax interna verbis otiosis aut inordinatis, et quam miserabiliter licentia linguae siccet fontem devotionis, qua solet visitare vacantes Tibi in silentio amicos Tuos.

Non est opus, Domine, vocare testes multos calamitatis hujus; unusquisque enim testificatur juxta conscientiam suam, quam magnam sylvam incendat modicus ignis indomitae linguae.

Bene autem est, ut fideles servi Tui ex ruina surgant cautiores ad ponendum ostium circumstantiae labiis suis; et vulnerati paucis verbis inordinatis redeant tacti dolore ad remedium castissimi silentii Tui.

Sic enim facere solent, quando pro humana fragilitate in verbo offenderunt, et tenacissime apprehendunt disciplinam linguae, quae est insignis decor familiae Tuae.

Ex quo fit, ut viri etiam eloquentes, qui versantur in Schola Tua, Domine, fiant quasi modogeniti infantes, sugentes ubera matris suae.

Credo autem, hoc genus silentii saepe etiam provenire a cogitatione Tuae majestatis, qua fiunt homines quasi balbutientes, sicut sensit de se Moyses, fidelissimus in omni domo Tua; qui animadvertit, se impeditioris et tardioris linguae esse, ex quo apparuisti ei.

Sive ergo cautior facta ex lapsu linguae, sive erudita visitatione Tua, quaerit studiosissime tacere Schola Tua, Domine, ut imitetur Te, Qui, cum esses Dei

Verbum, tacuisti, ut fieres dulcissimus Praeceptor filiorum Adae.

Pro hac igitur imitatione vendunt discipuli Tui omnem mundi eloquentiam, et mirabilibus modis se a lapsu praeservant.

Sic enim, ut Tu melius nosti, Domine, solent capillos portare in ore servi Tui, vel funiculis ligare brachium, vel aliis modis adjuvare memoriam, ne per occurrentes occasiones obliviscantur custodiae labiorum, et extinguant suavissimum saporem Spiritus Tui.

O Domine, quoties sudant in hac lucta discipuli Tui, qui nondum bene didicerunt sermonem justitiae! Quoties tanguntur respectibus humanis, ut interrogent, vel respondeant, quae necessaria vel utilia non sunt! Tu, Domine, Qui laborem consideras, vides eos, et probas proelia eorum, Tibique places in eis; quae, ut Tibi placeant, displicent appetitui suo.

Fit autem per gratiam Tuam magnam copiosus fructus silentii, in quo seminant servi Tui innumerabilia semina virtutum, quae metent temporibus suis, quando apparebunt campi eorum repleti ubertate bonorum operum, in quibus modo fortiter laborant.

Nunc servant se inviolatos Tibi, caventes, ne levibus verbis diminuant puritatem cordis, quod consecraverunt Tibi; et in praesenti etiam custodia linguae, cum magno lucro, audiunt Te quandoque loquentem ad cor eorum, et ingerentem puras laetitias conversationis Tuae.

Sed ineffabile est, quod laborem praesentis disciplinae daturus es eis, qui nolnerunt communicationem filiorum veteris Adam propter Te.

Dabis eis certe, o Clementissime, Teipsum, Quem desideraverunt.

Dabis eis Verbum, quod erat in principio apud Deum, pro silentio, quod servaverunt ad decorem Jerusalem; et implebis viscera eorum purissimis dilectionibus paradisi Tui.

Caput XXVI.

De exercitio observantiae, sive custodiae legum, quod fit in Schola Jesu Christi.

Incomparabilis est laus Scholae Tuae, Fili Dei, Legifer noster, in custodia legis Tuae et legum, quas per legislatores, ministros Tuos, posuisti.

Ex quo enim voluntas Tua manifestata est discipulis Tuis per quamlibet ordinationem superiorum, eisdem oculis aspiciunt eam, quibus intuentur Te, exemplar suum et unicum bonum cordis sui.

Non sunt ex genere servorum illorum, qui serviunt ad oculum, et non habent rectum cor erga Te; sed tam fideliter suscipiunt quaelibet mandata scripta, ut pro eis mori non dubitent, quod est signum castissimorum animorum, qui propter Te obediunt legibus Tuis.

Et quidem Tu, Domine, probas renes et corda eorum offerens eis occasiones, quibus tententur ad transgressionem, ut pateat, an toto corde ambulent in veritate Tua.

Occurrentes eis interpretationes infideles et exceptiones, quae aliquando videntur rationabiles, ita ut luctentur cum variis cogitationibus invicem accusantibus et defendentibus.

Sed constantia eorum glorificat Te, Domine, dum ad simplicem sensum observant leges status proprii, ne forte ira Tua provocetur ab eis.

Quod si ab aliis minus perfectis excusentur per varias rationes, quibus videntur licite uti posse; non confidunt in consiliis hominum, sed in consilio timoris Tui.

O Rex pacifice, quot sacrificia fumant Tibi in altaribus amicorum Tuorum, qui imitantes Eleazarum, servum Tuum fortissimum, qui maluit mori, quam vesci carnibus licitis, simulando se manducare illicitas, eligunt potius affligi cum populo Tuo, quam in observantia sua vere vel appetenter errare!

Istorum gloria magna est, Domine, in religionibus, in quibus observantia viget, ubi pro una ceremonia observanda parati sunt displicere omnibus satrapis mundi, et pati persecutiones ac derelictiones absque numero.

Isti sunt viri magni, et fortiores leonibus, et velociores aquilis, qui superantes omnia impedimenta terrarum per inviolatam custodiam legum festinant ad optatissimam requiem Tuam.

Non tanget illos tormentum malitiae, quia non sunt ausi attingere integritatem legum, quas posuisti eis.

Non errabunt sicut oves, quae pereunt, quia vigilantissime considerant opera et affectus suos, ne recedant a legibus patrum suorum.

Non morientur fame isti, qui patiuntur multa mala propter justitiam, quia saturabuntur a Te, Cujus mandatis adhaeserunt.

Non cadent in bello, quod tolerant nunc ab illis,

qui eos nimis scrupulosos seu verbales appellant, quia Tu pugnabis pro eis.

Non demergentur in mari, quod navigant dirigentes ad Te cum labore et fatigatione cursum suum, quia Tu transvehes illos per aquam nimiam, operietque mare inimicos eorum.

Illi Tuo consilio sequuntur Te, Legislatorem et Ductorem suum, nolentes audire interpretes et consolatores onerosos, a quibus importune tentantur et fortissime adhaerent Tibi.

Tu vero, fidelissime Domine, roboras eos nunc visitatione Tua; et absoluto bello transferes illos ad pacem beatissimam, et purissima gaudia perpetui regni Tui.

Caput XXVII.

De exercitio veritatis seu veracitatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Discipuli Tui, o Veritas infinita, non sunt ex genere hominum illorum, qui diligunt vanitatem et quaerunt mendacium.

Horrent quippe omne, quod non convenit veritati Tuae, sicut mortem et infernum, et veritatis decorem amant sicut animas suas.

Quapropter in omnibus verbis et factis suis fugiunt vigilantissime vanam ostentationem et fictionem earum rerum, quae revera tales non sunt, ut Tibi placeant in abscondito cordis.

Qua in re Schola Tua simplex, casta et sincera longissime recedit a consuetudine filiorum Adae, qui, cum dii non sint, curant apparere sicut dii, et continuo vitae mendacio seducere proximos suos.

Et quidem, si de veritate verborum loquar, Domine, servi Tui cautissime loquuntur, ne verba sint contra mentem, in qua veraciter serviunt Tibi.

Paratique sunt profiteri semper veritatem Tuam ante reges et praesides, morique potius, quam proferre unum mendacium quantumvis officiosum; quod propositum firmissimum nascitur ex intimo amore veritatis Tuae.

Hinc etiam est, ut parce loquantur, quanto sapientiores et chariores Tibi sunt, considerantes in viris etiam illuminatis non semper verba quadrare intentioni mentis, quantum ipsi vellent, quod provenit ex infirmitate cordis humani et multiplicitate occasionum, quibus moventur ad verba.

Et ideo facilius eis videtur abstinere a multiloquio, quam semper veritatem inviolatam servare.

Si vero de veritate factorum dicam, Domine, filii hominum sunt mendaces in stateris, nescientes aut nolentes mensurare opera sua numeris et ponderibus Tuis; et despicientes quasi nimirum simplices et contemptibiles amicos Tuos, quia oderunt fraudes et dolos, et quidquid a sinceritate Tua alienum est.

At filii Tui, qui suxerunt cum lacte primo Scholae Tuae castissimam veritatem, non habent sacculos et mensuras duplices, ut aliud servent in mente ad negotiandum cum Sabaeis et Madianitis mercatoribus, quorum prudentia terrena est.

Sed habent cor fidele et paratum tam veraciter agere cum proximis suis, quam secum, et adhaerere perpetuae et immutabili veritati Magistri sui.

Et propter hanc securitatem veritatis ipsi etiam

mendaces filii hujus saeculi amant discipulos Tuos, Domine, quia sciunt, Scholam Tuam non habere merces corruptas, neque nocere velle iis etiam, qui diligunt simulationes et commercia saeculi.

Bene negotiantur auditores Tui, Rex pacifice, patientes damna temporalia pro veritate, quae adhaesit visceribus eorum, scientes, majora lucra se habere apud Te, unicum bonum suum.

Tu vero, Domine, Qui es ipsa Veritas, Cui fiunt conformes charissimi amici Tui, reddes eis cum foenore amplissimam remunerationem et interminabilia solatia vitae Tuae.

Caput XXVIII.

De exercitio clementiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Quam dilecta sunt tabernacula Tua, Domine, non solum illa coelestia, ubi jam Sancti exultant in gloria, et laetantur in cubilibus suis, sed terrestria etiam illa, ubi habitant electi Tui mansueti et misericordes, qui totis visceribus diligunt proximos suos.

Ibi enim superiores, quos Tu audiri praecepisti, non sunt feri et crudeles erga subditos suos, quando pro humana fragilitate delinquunt.

Non sunt similes judicibus illis saecularibus et principibus terrenis, qui laetantur, quando offertur eis occasio fundendi sanguinem et tollendi de vita eos, qui peccaverunt.

Non placet mansuetis et misericordibus animis occasio haec; immo dolent valde, et ingemiscunt intra

se gemitibus inenarrabilibus, quos producit inspiratio suavissimi Spiritus Tui.

Et dulcescunt affectibus clementiae Tuae considerantes, quomodo possint licite diminuere poenam, quantum licet per immaculatam legem Tuam.

Memores sunt Tui, Domine, Qui condonasti eis delicta, et reatum poenae abstulisti, vel mitigasti secundum magnam et insuperabilem clementiam Tuam et cupientes imitari Te, oderunt omnem saevitiam, cogitationem et opera juxta mensuram cordis sui.

Propter quod, quando necesse est infligere poenam iis, qui praeoccupati sunt in aliquo delicto, corripiunt eos in spiritu lenitatis et dulcissimis verbis ostendunt se illis compati et dolere, quod ventum sit ad judicium.

Ex quo fit, ut interveniente gratia Tua, Domine, per hanc dulcedinem affectus, et diminutionem poenae resipiscant delinquentes, et corrigantur multo brevius et efficacius, quam si severe punirentur.

O clementissime Fili Dei, Qui parcendo et miserendo vicisti mortem, quam mirabiles conversiones operata est clementia amicorum Tuorum, quos praeposuisti plebi Tuae!

Quam mirabiliter mutavit corda lapidea in corda carnea, et ligavit ea vinculo charitatis Tuae!

Profecto, Domine, fama clementiae Tuae implevit orbem terrarum; non enim solum diminuisti poenas debitas peccatis nostris, sed tulisti languores nostros et portasti dolores novo genere clementiae, quod mundus non cognovit.

Quando vero necesse fuit, castigare profanatores

templi Patris Tui, non accepisti ensem aut hastam, sed funiculum clementiae indicem, quo ferires sine vulneribus offensores Tuos.

Haec est disciplina, quam sequuntur discipuli Tui, quos constituisti judices et praelatos in Ecclesia Tua; qui induti viscera misericordiae, non quaerentes sequi summum jus, sed lenitatem Spiritus Tui; sic judicant alios, ut recordentur, se venturos ad judicium Tuum. Venient ergo ad Te vestiti clementia, et detestantes crudelitatem judicum, qui non timuerunt judicia Tua; dabisque eis, ut sedeant ad faciendum judicium conscriptum cum omnibus Sanctis Tuis, et gaudeant sine fine dulcissimo fructu clementiae et charitatis Tuae.

Caput XXIX.

De exercitio diligentiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Amici Tui, Domine, qui cognoverunt divitias regni Tui, pro quo laborant, in via inquirentes futuram civitatem et vitam, non permittunt cordi suo requiem, oculisque suis tranquillum somnum, donec perveniant ad Te, beatum finem peregrinationis suae.

Operantur consilio bono manuum suarum, quasi plantantes et colentes vineam, cujus vinum novum bibant in regno Tuo.

Accingunt fortitudine lumbos suos ad vigiliam, et roborant assuetum labori brachium suum ad opus; ne forte vita prasens, quae fugit velut umbra, transeat sine fructu justitiae, quem requirunt.

O Domine, quam sollicite negotiantur confidentes

in verbis Tuis, et habentes praesentissimum Te, Qui peregre profectus es.

Quando audiunt verba flammantia Evangelii, quibus admittis ad inaestimabile gaudium coeli servum bonum et fidelem, qui duo vel quinque talenta superlucratus est, inflammantur mirabiliter intimo desiderio aeternae remunerationis, quam exspectant de liberalissima manu Tua.

Et hoc desiderio incensi accelerant bona opera multiplicia, dolentes maxime, si modica pars unius horae transeat sine fructu justitiae, et sine oleo misericordiae Tuae.

Laborant, Domine, sicut avari mercatores avaritia bona, quae decet filios Dei, et currunt velocissime ad labores et vigilias, et jejunia, quae didicerunt in Schola Tua.

Surgunt ante ortum solis, ut negotientur ad portas sapientiae tradentes cor suum diluculo, ut suspiret Tibi; et dum medium silentium tenet mundum, praeveniunt faciem Tuam in confessione, in muneribus dilectionis, et cum profundissimis gemitibus supplicantes Tibi.

Non invenit illos otiosos et dormitantes inimicus, qui circuit tanquam leo, si forte inveniat, quem devoret; juraverunt enim se, et voverunt votum Tibi, ut nunquam requiescerent, donec possiderent Te.

Et hoc firmissimo decreto summopere proficiunt in Schola Tua, Domine, et movent ad aemulationem charissimos fratres et cooperantes suos.

Etsi enim habitent unanimes cum aliis in domo una habentes tamen intenta corda in atria Jerusalem, civi-

tatis Tuae, festinant, quasi advenae per alienam terram; et taciti atque solliciti faciunt cursum suum.

Ex quo fit, ut alii minus solliciti commoveantur valde praesenti exemplo viatorum illorum, qui magis appropinquant Tibi.

Utinam mundus rectis oculis aspiceret exempla ista, quae videntur posse movere lapides ad compunctionem. Magis enim valerent exempla, quam verba praedicatorum aliquorum, quorum memoria peribit cum sonitu.

Beati, qui habitant in Schola Tua, Magister dulcissime! qui occasione viatorum istorum aemulantur charismata meliora, et accenduntur ad desiderandas totis viribus et visceribus justificationes Tuas.

Sortes ceciderunt eis in praeclaris, quia invenerunt libros vivos, ubi legerent salutare suum.

Bene est, ut currant ad Te amici Tui, Domine, quasi nunquam cucurrissent; ut cito pertranseant hanc vallem lacrymarum, et haec deserta plena serpentibus, et sterilia prae siccitate multa.

Ipsa calamitas exstimulat servos Tuos ad currendum, et quaerendam magna celeritate foelicitatem Tuam.

Ex quo sequitur, ut multi famosi discipuli Tui consummati in brevi impleant bonis operibus tempora multa; quos Tu, Domine, properas educere de medio peccatorum, et transfers ad candidissimam lucem Tuam.

Caput XXX.

De exercitio liberalitatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Clementissimus Pater Tuus, Fili Dei vivi, proposuit atque decrevit, electos Suos fieri similes Tibi, Uni-

genito Filio Suo, Qui liberalissime dedisti omnem substantiam domus Tuae pro nobis.

Et ideo discipuli Tui, quibus manifestasti cor Tuum mirabili modo exercent liberalitatem in proximos, quos diligunt propter Te.

Non tenentur ligati catenis avaritiae, quam odisti, neque thesaurizare volunt in terra aliena, per quam transeunt peregrinantes et properantes ad charissimam patriam suam.

Unde paucis contenti tam libenter donant, quae cum labore et sudore comparaverunt, ut magis eos delectet dare, quam accipere.

Et quidem cum habeant occasiones plurimas in hac vita plena calamitatis et miseriae, augent sine termino merita sua usque ad terminum mortis, qua transibunt ad vitam.

Non exercent profanam liberalitatem, Domine, quasi quaerant, magnis donis ab hominibus emere gloriam vanam, et fugere infamiam avaritiae, quae contemptibiles facit amatores suos, neque liberales sunt ad ditandos consanguineos et amicos, vel ad captandam benevolentiam principum terrenorum; sed exercent liberalitatem in operibus magnae pietatis, quibus honoratur majestas Tua, et proximi adjuvantur sine spe retributionis temporalis, et cum solidissima spe remunerationis Tuae.

Non implent horrea in multos annos, ut faciant sibi occasiones, et laqueos crudelitatis et injustitiae, sicut ille, cui dictum est: Stulte, hac nocte repetunt a te animam tuam. Sed vix congregaverunt terrae fructus in horrea, et quando paratis jam occasionibus bene-

faciendi miserentur, commodant, dispergunt, donantque pauperibus, ut justitia eorum maneat in saeculum saeculi coram Te, justissimo judice suo.

Quod si debitores habeant, a quibus possint exigere debita, vel non reddentes mittere in carcerem cum desolatione familiae, memores Tui remittunt debita dulcissimis verbis, quibus solvunt compeditos servos suos.

Non operitur aerugine aurum et argentum eorum neque vestimenta comeduntur a tinea; ipsi non rogati scrutantur domos eorum, qui necesse habent, et delectantur exercitio largiendi bona sua multo magis, quam si invenirent spolia multa.

Atque ita miscentes cum misericordia liberalitatem Christianam dignam Te, Magistro suo, implent odore bono Ecclesiam, sponsam Tuam, quae hujusmodi largitionibus decoratur, et movetur ad cantandas misericordias Tuas.

Sic exonerant se amici Tui, Domine, ponderibus divitiarum, timentes illas apud se repositas habere, et satagentes per bona opera certam facere electionem suam.

Ex quo apparet, bona temporalia, quibus divites peccatores abundant ad poenam, concedi a Te aliquando electis Tuis, ut abundant ad gloriam.

Utinam divites saeculi quaererent studio pio liberalitatis ingredi in Scholam Tuam, Domine, et nollent jam gravari divitiis, quibus serviunt, sed calcare illas, et amplis donis mercari sibi regnum, quod durabit sine fine.

Beati sunt pauci illi liberales valde servi Tui, Rex magne, qui non sunt viri divitiarum, quamvis possi-

deant divitias multas; sed nolentes cor suum, adhaerere illis, promptissimis animis favent proximis suis.

Non perdent certe mercedem suam, quamvis oculis insipientium videantur perdere nimiis largitionibus opes terrenas.

Tu enim, Domine, Qui probas opus eorum, reddes eis mensuram bonam, confertam et coagitatam de inaestimabilibus divitiis, quae non marcescunt, et de castissimis delectationibus domus Tuae.

Caput XXXI.

De exercitio magnanimitatis, quod fit in Schola Jesu Christi.

Habet hoc bonum, inter alia multa, Schola Tua, Domine, ut non contenta parvis aut mediocribus operibus, quaerat operari magna propter Te, Qui pro salute nostra mirabilia operatus es.

Cujus veritatis, Rex pacifice, tot testes habes, quot Sanctos colit Ecclesia, Sponsa Tua.

Alii enim in studio humilitatis venerunt ad tantam profunditatem propriae cógitationis et contemptus sui, ut viderentur descendisse usque ad abyssos.

Alii in studio patientiae tantum profecerunt, ut quasi columnae ferreae starent adversus omnes tristitias universi mundi.

Alii tam ardenter se tradiderunt studio orationis, ut vix uterentur sensibus ad res necessarias hujus vitae.

Alii tanto affectu exercuerunt se in charitate proximorum, ut pene non recordarentur sanitatis, au commoditatis, aut vitae suae.

Alii in tantum studuerunt custodiae linguae, ut nunquam loquerentur, nisi modice cum solo superiore et confessario suo.

Alii tam accurate dederunt operam modestiae oculorum, ut longo tempore nihil intuerentur, nisi quantum satis erat, ne ambulando in terram caderent.

Alii tam studiose vacaverunt soli amori Tuo, ut nulli creaturae etiam in rebus licitis affectum adhaerere permitterent.

Haec sunt castra Tua, Domine, in quibus glorificatur potentissima dextera Tua.

Hi sunt sexaginta fortes de fortissimis Israel, qui tenentes gladios vigilant super custodia thalami Tui.

Haec est gens sancta, electa et parata ad immortales coronas Tuas.

Nunc vero, Fili Dei vivi, non habes multos ex his fortissimis, si comparetur aetas ista, cum praeteritis saeculis, quando adhaerebant Tibi plurimi contemptores mundi grandi fiducia et grandi ausu operandi mirabilia magna cum firmissimo adjutorio brachii Tui.

Verumtamen non desunt hodie pauci aliqui fortiores leonibus, qui in exercitio virtutum Tuarum semper aspirant ad perfectionem maximam, neque sibi satisfaciunt, si mediocriter proficiant.

Dies isti mali sunt, Domine, et terra filiorum Adae nimium sterilis non producit tam validos milites, qui pugnent pro decore Jerusalem, civitatis Tuae.

Sed per gratiam Tuam fit, ut sint pauci aliquot, quorum historias novissimas legimus cum admiratione, stupentes, quomodo proeliati sint proelia Domini.

Magnanimitas quippe Scholae Tuae rara et pretiosa valde est, et habens conjunctam pietatem clarificat mirabiliter domum Tuam.

Beatissimi sunt, Domine, magnanimi servi Tui, qui per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces, ut morientes et viventes transeunt per viam vitae, quasi domini omnium rerum, calcantes omnia mundi bona propter Te.

Utinam crescat electissimus numerus justorum, quibus cedit mundus et infernus, et quibus aperitur janua regni Tui.

Glorificetur, Domine, in eis dextera Tua, quando transeunt et timentur a robustis Moab et principibus Edom inimici Tui.

Certe non cadent a latere Tuo, sed assistent Tibi ad pugnandum contra reges Amorrhaeos; et postquam paraverint magnas victorias de seipsis et de saevissimis hostibus suis, coronabuntur a Te in porta Sion inter fortissimos victores Tuos.

Caput XXXII.

De exercitio constantiae et perseverantiae, quod fit in Schola Jesu Christi.

Multa sunt, Domine, monstra horribilia, quae occurrunt servis Tuis ambulantibus per viam, et festinantibus ad civitatem, quae sursum est.

Et propterea in Schola Tua instruuntur et animantur fortes auditores Tui ad pugnandum contra principes tenebrarum, contra leges mundi et contra seipsos, quod proelium fortissimum est.

Sic enim decet Te, Magister vitae, ut doceas manus eorum ad proelium, et singulos digitos ad bellum; ne forte, postquam spiritu coeperunt, carne consummentur, aut alio modo deficiant in via.

Quocirca illi armati virtute Tua procedunt firmiter sperantes in Te, et pro varietate proeliorum utentes varia disciplina Scholae Tuae.

Nunc incipit taedere eos spiritualis vitae, sicut quando coepit taedere populum Israel itineris et laboris, quem patiebatur per desertum; et occurrentes languori magno erigunt animos dejectos, sicut fecerunt Josue et Caleb, fortissimi amici Tui.

Nunc mittis eis, Domine, difficilia exercitia tentationum gravium, quibus turbantur et commoventur valde et insurgunt, quasi leones, contra hostes suos constantissime repellentes eos.

Nunc franguntur dejectione animi putantes, se nunquam paraturos victoriam passionum et sensuum propriorum, quibus praeterito tempore male usi sunt; et exercitantur, tanquam dormientes crapulati a vino; atque in se reversi viriliter castigant et in servitutem rediguant corpora sua. O Fili Dei vivi, quot difficultates occurrunt ascendentibus de Aegypto ad supernam Jerusalem, quae est mater nostra!

Multiplicantur sicut capilli capitis, ut exerceatur constantia violentorum, qui per vim rapturi sunt foelicissimum regnum Tuum.

Sic enim decet, ut appareat virtus gratiae Tuae, qua debellantur aereae potestates, et acquiritur pax multo suavior, quam si nulla proelia praecessissent.

Verumtamen praeter ista proelia, quibus exercetur constantia militum Tuorum, Rex magne, succedit fastidium longitudinis dierum, quando satan, inimicus nostrae salutis, proponit servis Tuis prolixam vitam plenam austeritate disciplinae Tuae.

Hoc enim quaerit persuadere, ut intolerabilis fiat eis ista diuturnitas, et postquam miserunt manum ad aratrum, respiciant retro.

Periculosum est proelium hoc, Domine, quo prostrati sunt multi, qui videbantur muri aerei.

Sed potentissima manus Tua sustinet vasa fragilia, et roborat pusillanimem naturam, ut omnia possit in Te, et perficis opus, quod coepisti ad fabricam Jerusalem, quae aedificatur, ut civitas.

Unde servi Tui, quando sic tentantur difficultate perseverandi, adjuti auxilio brachii Tui, renovant primum propositum suae vocationis firmissimo decreto moriendi potius, quam recedendi a salutari Schola Tua.

Et ne unquam dominetur eorum inimicus nocendi cupidissimus, solent fideles servi Tui atque constantes ante tempus debitum obligare se voto, aut juramento perseverandi in domo Tua, in qua salutem habitare crediderunt.

Haec est lucta, Domine, fortium amicorum Tuorum, a qua recedit satan tristis et vulneratus, quia ipso proelio praebuit occasionem firmius adhaerendi Tibi.

Huic autem victoriae succedit laetitia magna, et desiderium perpetuo habitandi in atriis Tuis, timorque filialis, ne forte projiciantur tanquam indigni a pacifica domo Tua.

Atque ad hunc modum exercentur servi Tui, Domine, nunc tristes, nunc hilares, nunc dejecti, nunc animosi, ut sciant, quid sint ex se, et quid valeant gratia Tua, qua corroboras eos.

Post haec autem exercitia ordinatissima lapides vivi Tui foelicius aedificantur dolati et complanati ad consentiendum fabricae per omnia, ut habites in eis, sicut desiderat anima Tua. Illi permanebunt sicut sol in conspectu Tuo, sine diminutione lucis, qua illustrasti eos; et finito agone vocabis eos ad Te, Quem desideraverunt, et pro Quo perseveranter laboraverunt, et septuplum illuminatos aeterna luce facies habitare in civitate primogenitorum, et frui beatissima praesentia Tua.

PARS VI.

De usu donorum, et gustu fructuum Spiritus sancti, et de beatitudinibus et gratiis gratis datis, quae sunt in Schola Jesu Christi.

Caput I.

De communi usu donorum Spiritus sancti in Schola Jesu Christi.

Certissimum est, Jesu Christe, Redemptor mundi, quod ibi abundavit delictum, superabundavit copiosa redemptio et gratia Tua.

Nam praeter virtutes multas, quibus ornasti animas Tibi gratas, quasi charissimas sponsas Tuas, unxisti eas unctione donorum Spiritus sancti; qua factum est, ut currant velocius post Te, quam sine unctione cucurrissent.

Et haec est origo velocitatis, qua Schola Tua progreditur per viam vitae non adeo gravata pondere carnis et impedimenti vitae mortalis, qua tenentur captivi servi Tui.

Mirabile est, Domine, quam celeriter ambulent per vias rectas justificationum Tuarum discipuli Tui uncti oleo laetitiae, exultantes ad opera justitiae, sicut invitati ad regales nuptias.

Videntur certe servi Tui similes valde Angelis, quos facis velocissimos ad mandata Tua, et efficacissimos sicut ignem urentem.

Movet quippe eos Spiritus Tuus impulsibus suis, ut currant ad palmam per semitas justitiae, quas ostendisti eis.

O Rex pacifice, quale spectaculum est in religionibus, ubi observantia viget, videre communitatem multorum diversae aetatis et diversae nationis concorditer et expedite servientium Tibi sine mora, sine taedio et sine sensu ponderis, quod portant filii Adam a die praevaricationis patris sui.

Quis haec operatus est, Domine, nisi fortissimus Spiritus Tuus, Qui effusus est super familiam vacantem Tibi, ut rumpat vincula in libertate filiorum Dei per adoptionem dulcissimam Spiritus Tui.

Sic ergo, Schola Tua, Domine, promptissime sequitur instinctum Spiritus divini dissolvens has colligationes vitiorum et passionum, et surgens atque ascendens super difficultates hujus vitae quasi columba volans e diluvio ad arcam, ubi possit requiescere non solum pes, sed corpus et anima ejus.

Non fit modo somnus exterior tanquam advenientis spiritus vehementis, Domine, sed fit impulsus interior et augetur robur et promptitudo discipulorum Tuorum, ut retineri non possint a mundi compedibus, vel ab ipsa carne sua, quae molestissimo pondere gravat animam suspirantem in atria Tua.

Utinam omnes filii hujus saeculi deponerent onera importabilia, sub quibus gemunt servientes carni, et sanguini, et legibus mundi; et fierent facile mobiles a Spiritu Tuo in similitudinem aquilarum euntes, et redeuntes ad fidelia mandata legis Tuae!

Sed pauci valde sunt, qui non pigritentur et ferantur deorsum, et pene mergantur, quasi plumbum in aquis vehementibus.

Pauci tamen illi glorificant Te, Regem suum, multis modis, qui exercentur in congregatione justorum cum aemulatione mirabili super omnia mirabilia mundi.

Currunt ad Te, Domine, sine defectione, et cupidissimi sunt praesentiae Tuae.

Hanc per suspiria et multiplicia bona opera requirunt, et pro ea sacrificant se totos Tibi.

Tu vero, Clementissime, odoraris odorem suavitatis videns sedulos et indefessos operarios Tuos.

Nunc mittis eis flantem Spiritum, Quo adjuventur et animentur ad cursum; et postea amantissime recipies eos de longa via venientes ad amoenissimam regionem paradisi Tui.

Caput II.

De usu doni intellectus in Schola Jesu Christi.

Homo, cum in honore esset, non intellexit, Domine, et sic privatus dono intellectus Tui factus est similis jumentis insipientibus solvens poenas praevaricationis et temeritatis suae.

Sed ne periret, quem tam misericorditer condidisti, omni homini venienti ad gratiam Tuam largiris altissimum donum intellectus, quo habeat rectam aestimationem de Te, ultimo fine, foelicitate sua.

Verumtamen multa sunt, quae operaris per hoc donum in familiarissimis amicis Tuis, quae non capiuntur a sapientibus hujus mundi, qui ad res divinas videntur carere intellectu, cum sint acuti et perspicaces ad negotiandum inter sollicitos mercatores corruptibilis vitae.

Profecto, Domine, donum hoc Tuum, quod est acuta quaedam perspectio, seu penetratio divinorum, quantum fert status praesentis vitae, quae versatur in aenigmate, mirabiliter illustrat aliquot paucos amicos Tuos, qui purgatis cordibus adhaerent Tibi.

Non est comparabilis intelligentia studentium in Academiis, et speculantium, et scribentium libros absque numero, cum intellectu electorum illorum, qui peculiari adjutorio Spiritus Tui penetrant mysteria fidei.

Profecto, Magister vitae, facile cognoscunt isti familiares Tui, se plura percepisse brevi usu doni intellectus, quam perceperint annis multis sollicite inquirendo et considerando mirabilia Tua.

Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget haec; neque penetratio ista est volentis, neque currentis, sed Spiritus Tui miserentis et effundentis, quando vult, formosissimam lucem et dulcissimam bonitatem Suam.

Bene autem est, Domine, ut privilegium hoc concedere soleas puris cordibus, quorum sordes ablutae sunt in sanguine Tuo; hoc enim scientes servi Tui praeparabunt se, ut digneris favere eis, et docere eos in secreto thalamo cordis sui.

Ibi quippe aperire soles oculos coecorum, et instruere amicos Tuos castissima eruditione oris Tui, sicut quando aperuisti sensum Apostolorum Tuorum, ut intelligerent scripturas Tuas.

Beati sunt electissimi amici Regis pacifici, quibus aperit sensum, ut super senes intelligant et alte percipiant secreta Sua!

Omnia mundi mirabilia contemnant, Domine, et vacabunt intelligentiae rerum divinarum, capti voluptate vultus Tui.

O Fili Dei altissimi, quam facile in conspectu Tuo animam subito erudire, et implere spiritu sublimissimi intellectus, quo capiat recondita mysteria Tua!

Certe, qui sic intelligit Te, trahetur catena dilectionis post decorem Tuum; et abstinens ab omni opere malo ascendet de loco tenebrarum ad beatissimam lucem et foelicissimam visionem Tuam.

Caput III.

De usu doni sapientiae in Schola Jesu Christi.

Tu, Domine, Qui es sapientia infinita attingens a fine usque in finem, cuncta componens atque disponens, facis discipulos Tuos veros sapientes, disponens intellectum eorum excellentissimo dono sapientiae, ut habeant rectitudinem judicii circa res divinas; de illis enim bene judicant, eas contemplando aut consulendo; et de aliis quoque rebus per regulas divinas mirabile judicium ferunt, utpote viri vere spirituales, qui secundum sententiam Apostoli Tui Pauli judicant omnia.

Sublimis autem gratia est haec, quae confert menti humanae tam admirabile judicium per quandam connaturalitatem, sive unionem ad divina, quae est per suavissimam charitatem Tuam.

Et quidem, Fili Dei altissimi, tam misericorditer fecisti cum filiis hominum, ut nulli gratiam gratum facientem habenti desit altissimum donum sapientiae; quo adjutus, tam in contemplatione divinorum, quam

in ordinatione rerum humanarum secundum divinas regulas, habet tantum de recto judicio, quantum est ei necessarium ad salutem.

Sic enim placuit dulcissimae bonitati Tuae, Domine, ut sapientiam, quam perdidit Adam, inveniret copiosissima redemptio, quae est in sanguine Tuo.

Sed praeter communem istam et magnam bonitatem Tuam soles, Rex pacifice, elevare amicos Tuos mundos corde ad excellentissimam notitiam divinitatis cum sapore abscondito, qui superat omnem mundi suavitatem, et loqui eis ad cor in thalamo Tuo arcana verba, quae non licet homini loqui.

Ibi suspenduntur prae magnitudine bonitatis, pulchritudinis, majestatis et aeternitatis Tuae, liquefiunt ardentissimis flammis amoris Tui, quo montes sicut cera fluunt.

O sapientia, quae ex ore Altissimi prodiisti, quam fortiter adhaerent Tibi cupientes non separari a Te in saeculum et in saeculum saeculi!

Melior videtur eis hora una, vel dimidia in thalamo Tuo super millia dierum nuptialium cum filiis hominum.

Et quando, post gustum sapientiae Tuae, descendunt ad visum rerum temporalium, quae necessaria sunt ad sustentandam vitam, videntur sibi descendisse de altitudine coelorum ad profunditatem maris; et ingemiscunt gravati pondere mortalitatis, cupientes respirare ad auram immortalis vitae, quam praegustaverunt in complexu Tuo.

Profecto, Rex magne, sapientiae istius usus, de quo loquor Tecum, rarus et mirabilis est; et conceditur

quasi privilegium amicorum, qui inebriantur ab ubertate domus Tuae; ut magis sobrii fiant ad dirigendos alios in viam rectam fertilissimae regionis vivorum, qui revelata jam facie contemplantur formosissimam faciem Tuam.

Utinam omnes mercatores mundi currerent ad sapientiam Tuam, et implerentur spiritu ejus semel!

Credo enim, quod illi omnia bona sua libenter venderent, ut negotiarentur ad portas Tuas.

Neque requirerent amplius veteres amicos suos, Tyrios et Sidonios, cum quibus exercent mercaturam.

At vero non gustabunt mel labiorum Tuorum, qui non lavant diligenter stolas, et circumcidunt corda sua.

Amici vero Tui, Domine, privilegio grandium sicut aquilae ad Te elevati sunt, purissimis cordibus suspirabunt ad Te usque in finem, et transibunt de bello ad pacem et de tenebris ad candidissimam lucem Tuam.

Caput IV.

De usu doni sapientiae in Schola Jesu Christi.

Scientia, quam inspirat divinus Spiritus Tuus, Domine, non inflat Scholam Tuam, sicut scientia saecularis, quae discitur ad honores, vel lucra temporalia, per quae aedificat singulos amicos Tuos, ut discernant divinas veritates ab erroribus, et ferant certum judicium de rebus creatis per causas secundas ex directione Spiritus Tui, Quo reguntur et a Quo inhabitantur, quasi viva templa Ejus.

Sunt discipuli Tui, Domine, arcae bene clausae, ubi repositos habes multos thesauros scientiae; qua

utuntur in variis eventibus, stupente Lucifero, quomodo apud homines pauperculos mundo crucifixos habitet tam sublimis scientia, qua dirigunt seipsos ad vitam.

Jam vero quid loquar de majori scientia, qua solet Spiritus Tuus implere humiles, ut ferant judicium admirabile, quale fecit Salomon adolescens de duabus meretricibus, et Daniel puer de duobus iniquis senibus ad liberandam Susannam, fidelissimam ancillam Tuam?

Tu, Domine, omnia nosti; et quando Tibi placet, infundis copiosam lucem vultus Tui castis cordibus amicorum Tuorum, ut sciat omnis terra, quia non est similis Tui in sapientibus mundi.

Quocirca non glorietur vir literatus in scientia sua aut fortis in fortitudine sua; sed in hoc gloriatur, scire et nosse Te.

Utinam omnis homo, qui juxta naturam suam scire desiderat, ingrederetur humiliter sentiens de se in Scholam Tuam, et disponeret cor suum ad studium scientiae, quae sine vocibus, et altercationibus discitur!

Tu certe Magister es, Domine, et libenter instruis filios Adam sollicitos cupiditate sciendi, ut sciant Te, in Quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei.

Illi vero difficulter tradunt Tibi seipsos erudiendos, quasi possent meliorem praeceptorem invenire in terra, ubi nihil nisi cum anxietate et periculo errandi discitur.

Beati, qui sciunt seipsos subdere Tibi, suavissime Fili Dei!

Brevi enim discent plurima bona pretiosissima, quorum expertes sunt magistri saeculi quaerentes usque ad senectam fructum veritatis, et nunquam pacifice fruentes illo.

Tempus breve est; et amabilior est Schola Tua, Domine, ubi casta eruditione Tua fiunt homines sapientes sine invidia, immo cum laude magna Ecclesiae Tuae et cum inaestimabili pace cordis sui.

Sciunt Te; et alia per Te et propter Te, dulcissimum Deum et Instructorem suum; et sine laqueis errorum mundi perducantur a Te in haereditatem repromissam foelicissimi regni Tui.

Caput V.

De usu doni consilii in Schola Jesu Christi.

Mirabilis facta est scientia Tua, Domine, in fabrica spirituali, quae fit de lapidibus vivis ad aedificandam Jerusalem et reparandas ruinas Angelorum, fecisti enim, ut sapiens architectus coaptans corda filiorum Adae ad aedificium sine fine permansurum, tribuens eis dona Spiritus sancti Tui, quibus perducantur ad vitam.

Atque ita inter caetera dona dedisti electae plebi Tuae donum consilii, quod non est de sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed de Teipso, Qui facis omnia secundum altissimum consilium voluntatis Tuae.

Hoc ergo dono Tuo utuntur mirabiliter amici Tui, et diriguntur in omnibus necessariis ad finem vitae aeternae, et in aliis, quae conducunt ad beatissimam vitam foelicius assequendam.

Et quidem licet multa, quae faciunt servi Tui ex directione Spiritus, abscondita sint ab oculis carneis, alia tamen sunt, quae ipsi etiam carnales homines admirantur et tribuunt consilio Tuo.

Saepe enim, Domine, ii, quos praeordinasti ad

coronam, versantur inter varietates hujus saeculi ancipites et perplexi nescientes, quid eligant, habentes coram se diversas vias, per quas sine crimine possent ambulare, quantum cognoscit et providet humana fragilitas; et tamen impulsu Spiritus Tui non fidentes sibi, eligunt tutissimum statum religionis alicujus, ubi observantia viget, mundo pene universo murmurante, et Te fere Solo probante consilium illud.

Sic etiam cum laude magna infinitae sapientiae et bonitatis Tuae, Domine, faciunt discipuli Tui multa alia contraria mundi consiliis tam prudenter et caute, ut facile fit judicare, non regi illos a mundi sapientibus et prudentibus, sed a Te, Qui es Dei virtus et sapientia.

Ex hoc numero videntur esse illi fidelissimi servi Tui, qui sponsas intactas relinquentes dilexerunt decorem castitatis, ut sine corporalibus deliciis fierent aptiores ad spirituales et aeternas delicias Tuas; quales fuerunt duo illi milites, quorum conversionem mirabilem refert Augustinus, servus Tuus.

Sunt et alii contemptores mundi, Domine, qui mirabili consilio Spiritus Tui adinveniunt modos insolitos declinandi honores et pericula orbis terrarum, vel simulantes, se nihil scire, vel ostendentes se contemptibiles, aut fatuos, ne forte vincantur occasionibus peccandi, et pereant de via Tua.

Diligunt enim decorem Jerusalem, sponsae Tuae, pro qua contemni et irrideri potius, quam inquinari, ducunt esse coeleste consilium, cui totis viribus inhaerent.

Atque ita transeunt per viam vitae, quasi sapientes

mercatores; qui non curantes aut aestimantes ea bona apparentia, quae sunt in aliena regione, festinant incogniti ad patriam portantes secum pretiosissimas opes, quibus adornent domos suas.

Bene esset, Domine, si consiliarii principum terrae scirent sequi consilium Tuum, ut bene esset eis in novissimo die.

Discipuli certe Tui audiunt Te intus loquentem, non ambulabunt in tenebris mala consilia capientes aut dantes; sed habentes lumen vitae dirigentur in terra, et per vias rectas deducentur in optatissimam requiem permansuram sine fine.

Caput VI.

De usu doni pietatis in Schola Jesu Christi.

Fecisti nos, Domine, ad Te, ut Te diligeremus et coleremus totis visceribus et viribus, quae debentur Tibi Deo, Domino, Patri et Custodi filiorum Adam.

Et ideo disponis animas discipulorum Tuorum dulcissimo dono pietatis, quo fit, ut habeant filialem affectum erga Te, sicut Patrem, et colant, quae Tua sunt, scilicet Sanctos et sacram scripturam Tuam.

Qua in re manifestas, Domine, viscera paterna plena lacte misericordiae, siquidem facis dono Spiritus Tui animas amicorum Tuorum laetari sub umbra alarum Tuarum, et gerere affectum tenerrimum erga Te, ut fidelissime adhaereant Tibi, clementissimo Deo et Patri suo.

Et merito quidem, quia omnis affectus parentum carnalium in filios, si comparetur cum tenerrimo affectu Tuo in nos, nimium frigidus est.

Et quod magis ponderandum est, si opera omnium parentum in filios suos comparentur cum operibus, quae fecisti propter nos homines, non sunt digna aestimatione ulla.

Tu enim, Piissime, sic dilexisti nos, ut traderes dilectam animam Tuam in manus inimicorum ejus quodam genere charitatis, quod non est usitatum in terra, quam dedisti filiis hominum.

Tu sicut verus Pater thesaurizasti nobis thesauros inaestimabiles et in aeternum duraturos.

Tu praeparasti nobis mansiones in civitate vivorum, quibus fruantur electi Tui.

Atque ita nihil fecit unquam pater aliquis, quantumvis amaret filios suos, quod Tu, Misericordissime, non feceris multo copiosius cum filiis Adae.

Ex quo fit, ut optimo jure debeant Tibi totum cor, totam animam et totam fortitudinem suam.

Quia vero non possent sine Te sic affici erga Te; dispositione novi testamenti, quod disposuisti electis Tuis, factum est, ut diffundatur filialis pietas in eos, qua incalescunt et moventur ad Te, quasi charissimum Patrem; a Quo gloriantur, se accepisse vitam, inspirationem et omnia, ut se totos debeant Tibi.

Sic dulcissimis et frequentissimis affectibus vocant Te non solum Patrem, sed Matrem, et vitam suam crescentes pietate et multiplicantes merita illius haereditatis, quam praeparasti eis.

Et quidem nunc Te non videntes amant et honorant Te piissimis erga Te cordibus; quando autem videbunt Te in formosissima luce formae Dei, dici non potest, quali affectu Te amplexuri sint.

Hac spe patiuntur calamitates hujus vitae, donec ascendant ad Te per terram Edom, et requiescant in fertilissima terra possessionis Tuae.

Caput VII.

De usu doni timoris in Schola Jesu Christi.

Timor Tuus, Fili Dei altissimi, castus et filialis, est sanctus et dignissimus Schola Tua, in qua incipit et permanet in saeculum saeculi; Spiritus quippe Tuus suavitate mirabili afficit amicos Tuos, ut revereantur Te, et timeant separari a Te, plusquam mors timeri solet. Cum enim Tu sis vita amabilissima eorum, consequens est, ut videatur eis acerbissima mors dividi a Te, Cui in aeternum adhaerere desiderant.

Sic timent Te Sancti Tui, Rex pacifice; et quanto magis crescit charitas, tanto magis augetur hic timor nobilissimus, et propria nota filiorum Dei. Timoris autem servilitas longe est a Schola Tua, cum servilitas non cohaereat cum charitate Tua; quamvis substantia timoris servilis reperiatur in novellis et imperfectis servis Tuis; quos purgat charitas, quando crescit et foras mittit timorem poenae, retinens secum timorem purum offendendi Te et carendi beatissimo consortio Tuo.

O Domine, quomodo multiplicantur actus timoris hujus a discipulis Tuis fidelissimis, quorum principalis cura et sollicitudo est, ne separentur a Te!

O quoties prosternunt se Tibi cum profundissima reverentia, subdentes majestati Tuae se totos, et innumerabiles mundos, si possiderent illos!

Timor castus Tuus, Domine, continet intra se amicos Tuos, et sanat a veneno superbiae unctione Spiritus Tui. Submittunt illi alas suas Tibi, cupientes protegi a Te, in Quo habent firmissimam spem et tutissimum refugium de omni angustia, quae nascitur ex praesenti vita.

Beatus vir, qui timet Te, Domine, quia in mandatis Tuis volet nimis habens scilicet cor totum in observandis praeceptis Tuis, per quae pervenitur ad vitam.

Certe, qui timet Te, facit bona, et diligentissime vitat mala, quibus posset separari a summo bono, quod diligit ex tota fortitudine sua.

Hoc certe timore mirabiliter decoratur domus Tua, Domine, nihil curans, si patiatur gravia mala poenarum, dummodo non subsit culpa, quae dividat plebem Tuam a Te.

Utinam omnes filii Adam timerent Te filiali timore, et discerent non timere eos, qui occidunt corpus, vel auferunt bona temporalia, quae nocere solent spirituali vitae.

Sed longe est a peccatoribus timor castus, quia sunt pleni timore mundano, quo affliguntur immunda corda et corpora eorum.

Discipuli vero Tui, Domine, timent Te sicut charissimum Patrem, et adhaerent fortissime legi Tuae.

Quocirca dabis eis in consummatione saeculi foelicissimam sortem, quasi dulcissimis filiis et haeredibus Tuis.

Caput VIII.

De usu doni fortitudinis in Schola Jesu Christi.

Bene provisum est a Te, Custos hominum, fragilitati naturae humanae, quae multis timoribus vanis et carnalibus tentatur.

Dedisti enim ei fortitudinem Spiritus Tui, quae roborat hominem confertque fiduciam evadendi quaelibet pericula et perveniendi victis difficultatibus ad beatam vitam aeterni regni Tui.

Haec est fortitudo magna et digna brachio Tuo, Domine, per quam servi Tui occurrunt adversis potestatibus mundi, et inferni et habentes firmissimam spem vincendi rumpunt omnia vincula et obstacula, quibus retardantur a cursu viae vitae.

Hac vi fundata Schola Tua, fortissime Fili Dei, quasi castrorum acies tendit per medios hostes suos ad terram aeternae promissionis, pugnans contra omnes reges Chananaeos, et destruens atque succendens igne civitates eorum.

Mirum est, Domine, quomodo eriguntur pugnatores Tui adversus portas mortis et inferni, et expellunt a se timores et languores freti adjutorio dexterae Tuae! Unus videtur posse fugare mille, et duo decem millia, quia certissime confidunt, Te regere dexteras eorum, ut proelientur proelia Domini, et prosternant omnes inimicos suos.

Et ex hac animi fiducia fiunt hilares et constantes ad repellandas tentationes et cogitationes varias, quibus satan quaerit infirmare animas eorum, ne perveniant ad requiem, quam praeparasti eis; longe falluntur filii hujus saeculi in aestimatione fortitudinis, Domine; quia temerarios et nimis audaces laudant, quasi fortes, et ponunt eis statuas, quasi digni essent; honorant etiam eos, qui valent viribus corporis, et eos sine consideratione verae virtutis fortes appellant.

Sapientia vero Tua in corporibus infirmis collocat fortitudinem Spiritus sui, quae longe ab omni audacia et temeritate aggreditur pericula, et vincit ordinatissima victoria, quam per Te, Jesu Christe, Fili Dei vivi, dedit nobis clementissimus Pater Tuus.

O quam fortiter proeliantur milites Tui, Domine, quando habentes Te praesentissimum adjutorem pugnant pro gloria Tua, et pro decore Jerusalem, civitatis Tuae!

Certe donum hoc fortitudinis Tuae armavit exercitum candidatum Martyrum, ut pericula mortis aggrederetur, et evaderet, et ad palmam foelicissime super occasum ascenderet.

Et quidem multi fuerunt, qui arrepti Spiritu fortitudinis Tuae seipsos injecerunt in flammas, vel in fornaces calcis, ut appareret invicta gratia redemptionis Tuae.

Servi vero Tui fortissimi, quibus nunc non offertur occasio tyrannorum, multa similia operantur in proeliis spiritualibus, et comparant clarissimas victorias in castris Tuis.

Hos Tu, Rex magne, recipies ascendentes de bello ad suavissimam pacem filiorum Dei; et jubebis assistere vultui Tuo celebrantes in aeternum clarissimas victorias suas.

Caput IX.

De fructibus Spiritus sancti, qui gustantur in Schola Jesu Christi.

O quam suavis est, Domine, Spiritus Tuus, Qui dulcedinem Suam in filiis adoptionis demonstrat, ingerens eis laetitias quasdam inaestimabiles, quibus delectantur, cum bene operantur et exercent castis cordibus virtutes Tuas.

Non solum enim voluisti, liberalissime Remunerator, ut operarii Tui post consummatos labores reciperent denarium diurnum, et intrarent in gaudium Domini sui; sed ut in via etiam reficerentur mirabili suavitate Spiritus, a Quo moventur ad exercenda opera justitiae Tuae.

Hinc est, Domine, ut in multis actibus virtutum Schola Tua laetetur, et delectetur magis, quam si possideret universi mundi principatum; et gaudeat in Solo Te, salutari suo.

Solet enim, quando Tibi placet, o Clementissime, in operibus charitatis gaudere gaudio ineffabili, et sentire intimam laetitiam procedentem a fonte vivo Spiritus vivificantis, Qui penetrat cor ejus.

Ibi nascitur gaudium secretum et absconditum a sapientia mundi, quo discunt amici Tui spernere omnes delectationes filiorum Adam, quamvis duraturae essent in aeternum.

Ibi solet sentiri pax multa, quae est propria diligentium legem Tuam, tanta cum suavitate, ut incomparabilis videatur delectatio et pretium ejus.

Ibi percipitur fructus patientiae tam delectabilis et purus, ut mundus assequi non possit aestimationem illius.

Ibi nascitur affectus dulcissimae bonitatis, qua Schola Tua fit propensa ad benefaciendum proximis cum intimo gaudio cordis sui.

Ibi crescit longanimitas, ne dilatione futurorum bonorum fatigetur plebs Tua, et mira dilatatione cordis exultat in Te.

Ibi fervet benignitas ad executionem bonae volun-

tatis cum ostensione dulcedinis Tuae in proximis adjuvandis et solandis.

Ibi regnat amabilissima et jucundissima proximis mansuetudo, quae in tolerantia injuriarum reficit et delectat amicos Tuos.

Ibi est fides seu fidelitas multa, qua servi Tui absque fraude et dolo cum sincerissima delectatione agunt cum proximis suis.

Ibi apparet formosa valde modestia familiae Tuae, quae generat castam voluptatem, quam mundus non cognovit.

Ibi continentia a licitis etiam delectationibus mirifice decorat discipulos Tuos, et reficit interno pastu laetitiae Tuae.

Ibi castitatis custodia producit purissima delectamenta flante Spiritu Tuo, Qui in castis cordibus habitat, quasi in thalamis nuptialibus, ubi celebrantur nuptiae Tuae.

Hi sunt fructus suavissimi, quibus reficis, quando vis, lassos operarios Tuos, ut discant, quanta sit honestas, amabilitas, decor et suavitas Scholae Tuae, ubi praegustantur gaudia paradisi, ad quem festinant.

O Domine, quam avide comeduntur isti fructus Spiritus Tui dulciores super mel et pretiosiores super omnes opes et consolationes mundi!

Beata gens, cujus Dominus est Deus ejus; populus, quem elegit in haereditatem Sibi!

Replentur sicut adipe servi Tui, Rex pacifice, et crescunt, et roborantur gustu Tuo ad proeliandum et vincendum saevissimos hostes, qui occurrunt ascendentibus in summitatem Sion, montis sancti Tui.

O Nutrimentum filiorum Dei, quomodo trahitur sapore Tuo, qui semel gustavit Te.

Non comparabitur Tibi laetitia mensarum, in quibus saturantur et inebriantur reges terrae.

Commendant, Domine, et bibant ad mensam Tuam, charissimi amici Tui; et refecti cibo et potu filiorum in via, currant ad permansuram coenam Tuam.

Ibi satiabuntur sine taedio, et delectabuntur multitudine pacis Tuae.

Caput X.

De beatitudinibus, quae sunt in Schola Jesu Christi.

Beati certe sunt discipuli Tui, Magister dulcissime, quia nacti sunt praeceptorem vitae, quem nulla filiorum hujus saeculi academia consecuta est.

Auctores quippe sectarum variarum sine fine disputantes de beatitudine hominis, neque in hoc saeculo, neque in futuro caruerunt infinita miseria, una cum auditoribus et sequacibus suis.

Tu vero, Domine, Qui es ipsa beatitudo, non solum in futuro saeculo facis beatos suprema foelicitate servos Tuos; sed etiam in hac vita donas eis quandam inchoationem beatitudinis per actus perfectissimos virtutum, qui exercentur in Schola Tua.

Tu veritas divina dixisti, beatos esse pauperes spiritu, scilicet discipulos Tuos, non inflatos, non superbos, qui profundissima humilitate pervenerunt ad quemdam contemptum bonorum mundi, in quo similes valde fiunt eis, qui jam fruuntur Te, despicientes omnia visibilia propter eminentem scientiam divinae visionis Tuae.

In his regnum coelorum est perfectae sapientiae initium, secundum quod incipit in eis regnare Spiritus Tuus.

Tu dixisti, beatos esse mites servos Tuos, quia per excellentissimam mansuetudinem perveniunt ad quandam tranquillitatem cordis assimilantur pacificis filiis Tuis, qui vivunt jam in aeterna pace Tua.

In his possessio terrae est affectus quiescens in stabilitate perpetuae haereditatis Tuae.

Tu dixisti, Domine, beatos esse, qui lugent, quia hoc genere luctus Spiritus Tuus producit castissimos discipulos Tuos ad quandam victoriam concupiscentiae, mortificatis passionibus Ejus tam excellenter, ut libertati corporum glorificatorum appropinquent, quantum fert status imperfectus viatorum.

Hos lugentes consolatur ineffabiliter dulcissimus Spiritus Tuus.

Tu dixisti, beatos esse, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia impulsu Spiritus Tui facis avidissimos implendi justitiam servos Tuos, ita ut mirabiliter videantur repraesentare justitiam consummatam eorum, quia habitant montem coagulatam justitiae, qua plena est civitas superna Tua.

Hi esurientes et sitientes saturantur cibo Tuo, qui est facere voluntatem Patris Tui.

Tu dixisti, Domine, beatos esse misericordes, quia pertingunt servi Tui ad quemdam gradum misericordiae, in quo similes valde sunt visceribus Tuis.

Hi misericordes consequuntur in hac etiam vita inaestimabiles misericordias Tuas.

Tu dixisti, beatos esse mundos corde, quia in hac vita elevantur a Te ad puritatem quamdam cordis passionibus non inquinati adeo mirabilem, ut videantur finitimi esse candori coelestis Jerusalem, sponsae Tuae.

Hi purgato oculo per donum intellectus Te quodam modo videre dicuntur.

Tu dixisti, beatos esse pacificos, quia gerunt altissimam similitudinem divinitatis Tuae, in qua nulla est mutatio vel vicissitudinis obumbratio.

Habent enim isti, quos filios Dei vocandos praedicasti, quantum patitur vita praesens, omnia pacata et sunt vasa sancta aptissima ad vacandum Tibi, quorum inchoata foelicitas in hac vita est, ut filii Patris Tui nominentur et sint.

Tu dixisti, Domine, beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia in tantum roborantur Spiritu Tuo, ut facientes inaestimabilia bona possint pati gravissima mala sine laesione cordis, in quo mirifice assimilantur beatissimis possessoribus haereditatis Tuae.

Et quidem foelicitas haec inchoata, quam praedicasti filiis hominum, Fili Dei altissimi, multo major est quam omnis beatitudo, quam sibi fingunt homines, qui vagantur extra Scholam Tuam.

Et tamen inchoatio quaedam perficienda a Te, Remuneratore liberalissimo, cum tanta et tam ineffabili affluentia bonitatis et dulcedinis Tuae, ut stupeant sine fine boni aestimatores, quos illuminasti ad contemplandas divitias amplissimae domus Tuae.

Caput XI.

De gratiis gratis datis, quae sunt in Schola Jesu Christi.

Vasa electionis Tuae, Domine, quae portant Nomen Tuum, et facta sunt idonea ad manifestandam infinitam bonitatem, et sapientiam, et misericordiam Tuam ornantur a Te diversis gratiis gratis datis; quibus sancte utuntur cum augmento mirabili gratiae gratum facientis suae, et conversione proximorum, et magna laude Ecclesiae, dulcissimae sponsae Tuae.

Et quidem usque in hodiernum diem alii datur a Te fides, hoc est, fidei certitudo extraordinaria, quae credit invisibilia tanta firmitate, et adhaesione, ut aptus sit ad confirmandos in fide fratres suos.

Alii datur sermo sapientiae, hoc est altissima cognitio divinorum, ex qua fit potens ad erudiendos alios mirabiliter.

Alii datur sermo scientiae, id est mira notitia affectuum et rerum humanarum, per quas invisibilia manifestet.

Alii datur gratia sanitatum, ut patet ex miraculosis curationibus, quae his etiam diebus fiunt per orationes aut reliquias amicorum Tuorum.

Alii datur operatio virtutum mirabilium, quae ordinatur ad Tuae divinae potestatis manifestationem, ut ex vita Sanctorum Tuorum, quos hac etiam aetate habuisti, patere potest in resurrectione mortuorum et in transitu fluminum et in aliis occasionibus, ubi clarificata est majestas Tua.

Alii datur prophetia, ut sciat, quae Tu Solus nosti, qualia sunt futura contingentia, et in hoc habuisti hisce diebus multos famosos servos Tuos, qui praedixerunt multa, quae rei exitus comprobavit.

Alii datur discretio spirituum, ut cognoscat occulta cordium, et bene discernat lumine Tuo, in quo multa sunt exempla mirabilia diebus etiam istis facta per amicos Tuos.

Alii dantur genera linguarum, quibus loquatur cum diversis gentibus; quae gratia antiquitatis communicata est Scholae Tuae, nunc vero nescio, Domine, an communicetur; fortasse tamen in aliquo eventu communicas illam electissimis aliquot amicis Tuis, quos mittis ad nationes, quae ignorant Te, ad evangelizandum gaudium regni Tui.

Alii datur interpretatio sermonum, ut cum vi et efficacia mirabili instruat, seu doceat, delectet atque moveat; quod quotidie probas, Domine, in Ecclesia per idoneos ministros novi testamenti, quod fecit infinita charitas Tua.

Hae sunt gratiae, quas gratis dat Spiritus Tuus dividens singulis, prout vult in bonum proximorum.

Discipuli tamen Tui sic eis utuntur, quando moventur a Te, ut proficiant ipsi primum in Schola Tua.

Et quamvis prophetent, et multa miracula operentur, non evanescunt in cogitationibus suis, sed humiliantur scientes, quia et peccatores in Nomine Tuo miracula operati possunt, ut non glorietur omnis caro coram Te.

Sic ergo castis et humilibus cordibus operatur Schola Tua virtutes multas, ut glorificeris in ea.

Quaerit enim in omnibus cantare infinitam magnitudinem bonitatis et misericordiae Tuae in hac valle lacrymarum, ascensura post lacrymas ad choros canentium Te in statu beatissimae fruitionis et vitalissimae vitae Tuae.

PARS VII.

De reformatione sensuum et potentiarum animae, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Caput I.

De reformatione visus, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Oculi filiorum Adae, Domine, depraedantur animas eorum, et tenent alligatas durissima servitute, quemadmodum experti sunt ab ipsa pueritia sua.

Tu vero, Rex pacifice, et honestissimum exemplar virginalis modestiae, mutas corda discipulorum Tuorum adeo mirabiliter, ut rectissimo temperamento moderentur oculos suos.

Postquam enim tradiderunt se Tibi instruendos per multas et varias luctas, exstinxerunt vitium curiositatis, ut jam non libeat eis videre delectabilia mundì, sed ea tantum, quae possunt excitare memoriam amabilissimae praesentiae Tuae.

Jam transiit illa velocitas ad aspicienda vana aut inutilia, quibus turbari solebat pax et serenitas pretiosissima cordis eorum, jam cessavit appetitus intuendi visibilia prae magnitudine desiderii bonorum invisibilium.

Jam quievit illa sollicitudo timoris casti, ne forte oculi ante considerationem rationis celeriter aspicerent, quae postea quamvis involuntaria nocerent.

Jam cessavit exercitium velandi oculos, quod initio renuntiationis fieri solet a timoratis servis Tuis.

Jam ista cessaverunt, et subsecuta est honestissima

modestia firma et stabilis, quae est magna pars decoris domus Tuae.

Transactis ergo exercitiis multis acquirunt discipuli Tui, Domine, donum quoddam super oculos suos tanta honestate et gratia plenum, ut ipsos etiam immodestissimos peccatores moveant ad praedicandas misericordias Tuas.

Et quidem, clementissime Domine, servi Tui, qui sic vicerunt seipsos, quamvis in hac vita semper caute vivant, jam tamen concedunt aliquantum libertatis oculis suis, ut proficiant sibi et aliis, ut monet charitas filiorum Dei.

Quod enim attinet ad scipsos, dum ex praemeditatione aspiciunt diversas creaturas Tuas, ex omnibus accipiunt occasionem ascendendi ad Te, auctorem illarum, legentes mirabilia Tua in campis et fluminibus, et in coelis Tuis, tanquam in operibus digitorum Tuorum, et in luna et stellis, quas Tu fundasti.

Quod vero pertinet ad proximos suos, charitas, quae urget eos, instruit non solum corda, sed oculos illorum, ut simplicibus oculis columbarum intueantur conservos suos ad captandam occasionem consolandi, docendi aut corrigendi eos; ipseque modus intuendi aedificat et compungit illos.

Utinam modestia Scholae Tuae, Domine, repraesentaretur, qualis est, filiis hujus saeculi, ut capti decore illius converterentur ad Te!

Tu, Rex Sion, Cui placet decor sponsae Tuae, amabis gratiam oculorum ejus, in quibus lucet suavissima pulchritudo Tua.

Et pro victoria et mira reformatione ista recipies charissimam Scholam modestorum et humilium ad strictissimos et sine fine duraturos amplexus Tuos.

Caput II.

De reformatione auditus, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Non sunt discipuli Tui, Domine, ex illo genere hominum seipsos amantium, qui a veritate auditum avertunt et ad vanissimas fabulas convertuntur.

Sciunt enim, se habere Magistrum, Qui est Verbum Dei et Qui verba vitae aeternae habet; et ideo nolunt permittere castas aures suas profanis, vanis aut inutilibus verbis, quibus inquinentur pura corda eorum.

Et quidem quamvis aliqui eorum, antequam accederent ad scholam, quaesissent sibi magistros, venditores verborum, prurientes auribus, postea tamen quam coeperunt placere illis castissima eloquia Tua, in tantum profecerunt, ut ita non delectet illos sermonis elegantia aut ornatus, quo multi Christiani seducuntur, sed puritas et simplicitas verbi Dei, quod praedicatur non in sublimitate sermonis, sed in fortissima virtute Tua.

Si tamen propter necessitatem praesentis vitae cogantur loqui cum proximis suis, molestissime ferunt sermocinationes mundanas, et sine vulnere cordis vulneratur graviter verbis incompositis, quae repugnant disciplinae Tuae.

Si vero loquantur cum fidelibus amicis Tuis, quorum conversatio in coelis et de coelis est, attentissime audiunt eos; et sermo Tuus melle dulcior in-

trans per auditum, Tibi assuetum delectat valde suspirantia Tibi corda illorum.

O Domine, quam longe sunt isti a protervia eorum, qui dixerunt Tibi: Recede a nobis, scientiam enim viarum Tuarum nolumus!

Obturaverunt certe discipuli Tui purgatas igne Tuo aures suas, ne audiant multiplices quaestiones filiorum Adam, in quibus non est salus; et recedunt a colloquiis peccatorum, qui acuerunt linguas suas, sicut serpentes habentes venenum aspidum sub labiis suis.

Sed quanto magis recedunt a tabernaculis iniquorum, tanto magis appropinquant congregationi justorum, quorum sermonibus inflammantur ad desiderandas justificationes Tuas.

Aures cordis aperiunt ignitis eloquiis Tuis, quando dignaris loqui eis ad cor; et ibi discunt, quomodo debeant uti auribus corporeis cum iis, qui diligunt Te, et per quos loquitur Spiritus Tuus.

Isti fortissimi victores, Domine, non laeduntur jam verbis inordinatis hominum, quamvis illa displiceant vehementer.

Cor castum eorum firmiter fundatum supra petram non est facile mobile aut violabile sagittis verborum incompositorum, atque ideo aures eorum non foedantur aliquo pruritu, qui fit extra disciplinam Tuam.

Verumtamen non propter hoc, aut in hoc se justificatos existimant; sed in timore filiali viventes et libertatem spiritus cum eo timore conjungentes transeunt per viam mortalitatis currentes ad permansuram civitatem et patriam suam.

Ibi pro victoria et reformatione auditus audiunt Te, Rex pacifice, dulcissime loquentem, et fidelissima promissa reddentem eis; et gaudebunt amplissima remuneratione laborum suorum in conspectu serenissimi vultus Tui.

Caput III.

De reformatione gustus, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Multa mirabilia operatur Spiritus Tuus, Domine, in iis, qui accedunt ad Te, ut illuminentur.

Nam et homines gulosos et curiosos inquisitores saporis ciborum, quos ex misericordia magna vocas ad Scholam Tuam, ita mutare soles, ut fere amittant gustum ciborum prae mortificationis studio et prae sapore gratiae Tuae.

Haec est victoria magna et vere digna Schola Tua, quae pascitur a Te pinguedine terrae viventium, et potatur rore matutino, quem distillant coeli Tui.

Quis, Domine, e filiis hujus saeculi credit talia, quod scilicet homines voraces fiant adeo temperantes per disciplinam Tuam, ut fere amittant saporem ciborum, sumentes eos cum dolore, ut satisfaciant debito sustentandae naturae.

Profecto, Domine, doctrina haec ut plurimum longe est a palatiis divitum, et a judicio regum terrae; sed habitat secreto in domo Tua, et in paucissimis amicis Tuis, quorum potus et esca est dilectio Tua.

Toleraverunt isti fidelissimi et fortissimi pugnatores longam famem et sitim, et contristaverunt linguas suas artificiosa amaritudine, qua fecerunt insipidos cibos

propter Te, et quod est mirabilius, biberunt aliquando putredinem manantem ex corporibus leprosorum. Sed jam datum est eis, ut nutriantur sine condimentis adoratorum ventris, ut gratia Tua corroborati videantur vivere de solo dulcissimo Spiritu Tuo.

O Domine, quam sanum consilium est, nolle comedere de mensa et bibere de calicibus principum terrae ad acquirendam libertatem a servitute nimis dura, qua concupiscentia ciborum torquet novellos servos Tuos!

Omnia tempus habent.

Nunc tempus est esuriendi et sitiendi in deserto hujus exilii, in quo fatigamur procul a desiderata valde praesentia Tua.

Neque acquiritur pax sine bello, neque serenitas sine nubilo; et proinde neque saturitas sine fame, neque potus aquae purissimae, quae est in cisterna Bethlehem sine siti.

Verumtamen illi, qui pugnaverunt valide, et non pepercerunt sibi propter Te post agones suos, fiunt similes Angelis Tuis, qui cibo spirituali utuntur et pascuntur consortio Tuo.

Beati illi pauci victores, Domine, qui cibum animalem parcissime et sine saporis gustu requirunt.

Habent enim jam corpora assueta cibo grandium, et praegustant aeterna convivia Tua.

Jam defecit tempestas famis, qua torquebantur in ingressu Scholae Tuae.

Jam cessavit cupiditas meliorum ciborum et importuna cogitatio deliciarum mensae saecularis.

Jam cessavit illa properatio in hora refectionis, qua venter satagebat impleri.

Jam successit pax, et quies, et satietas Tua, Domine, sine qua necesse est semper esurire atque sitire.

Tu vera refectio cordis humani, melius quam convivia peccatorum, sustentas etiam corpora consecrata Tibi.

Nunc reficis secretis modis, quos nemo amatorum hujus mundi cognovit; sed revelata facie gloriae reficies amicos Tuos lautissimis epulis, quas praeparavit ad coenam sine fine duraturam suavissima dilectio Tua.

Caput IV.

De reformatione odoratus, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Mollities amatorum mundi, Domine, et studium delectandi sensus proprios non discitur in Schola Tua, quae reliquit omnia mundi delectabilia, ut sequeretur Te.

Cupiunt peccatores fallere seipsos, quaerentes odores aromaticos exquisitos, ut non sentiant foetorem corporum, in quibus habent animas mortuas et male olentes Tibi.

Et adeo student istis odoribus artificiosis, et vestes, et cibos, et omnia, quae tractant, impleant ista fallacia, ut trenseant sine taedio per mortalitatem suam.

Filii vero Tui, quorum bonus et castus odor implet Ecclesiam, diversa procedunt via abominantes simulationes istas filiorum hujus saeculi, et gaudentes simplicitate rerum, quas creasti, ut laudareris in eis.

Quaerunt ipsi certe spirare bonum odorem Magistri sui per virtutes solidas et perfectas, quarum fragrantia

delectaris Tu, Domine, et delectantur, qui habent purgatos nares ad discernendum odorem Spiritus Tui.

Sed odores materiales, quibus adulteratur simplicitas casta creaturarum Tuarum, oderunt tanquam signum animae abeuntis post vestigia gregum suorum longeque recedentis a thalamo Tuo.

Non tamen per hoc fugiunt odores florum et herbarum, qui facti sunt a Te, et ubi non habet partem fallacia artificum sensualium, qui operantur in terra; sed purificatus jam odoratus eorum castissime movetur his odoribus Tuis, et generat spiritualia desideria videndi Te et fruendi decora valde praesentia Tua.

Toleraverunt foetores multos et graves ad castigandum olfactum, si forte delectatus fuit odoramentis pretiosis et profanis, et hac ipsa tolerantia acquisierunt sensum mirabilem odorandi flores amoenissimi paradisi Tui.

Unde inter alia pura delectamenta, quibus visitare soles amicos Tuos, est quaedam suavissima fragrantia dissimilis odoribus mundi et similis valde odoribus supernae Jerusalem, sponsae Tuae.

Hanc ipsi percipiunt externo etiam sensu olfactus et admirantur, et exhilarantur ad currendam viam vitae.

Atque ita fit, ut in praesenti etiam valle miseriae praesentiant Te, et trahantur voluptate odoris Tui, qui est pretiosior omnibus odoribus Indiarum et omnibus delectationibus et solatiis filiorum Adam.

Prudenter agit, Domine, Schola Tua, quae serviens leprosis et ulcerosis, et patiens horrores atque foetores varios propter Te acquirit odorem Tuum,

quem exhalat in plateis cum laude maxima divinae gratiae Tuae.

Et nunc quidem per intervalla inspirat odorem Tuum, sed post cursum vitae mortalis, qua fidelissime servit Tibi, abundantius reficietur a Te, et fruetur suavissimis supra omnem mundi suavitatem odoribus aeternae vitae Tuae.

Caput V.

De reformatione tactus, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Difficile est, clęmentissime Fili Dei, numerare modos exquisitos, quibus homines seipsos amantes bestialem sensum tactus, contra leges Spiritus Tui delectant.

Diligentissime student mollibus vestimentis indui et commodissimis lectis requiescere, impatienter ferentes minimas incommoditates, et irascentes graviter, si aliqua asperitate offendatur tactus eorum.

Quomodo tolerabunt isti delicati poenas inferni, quo festinant?

Non est inter eos, qui consideret novissima sua.

Verumtamen discipuli Tui, Domine, meliore consilio exercent seipsos amplectentes omnem duritiam et asperitatem propter regnum coelorum.

Viriliter pugnant contra seipsos quotidianis proeliis per catenas, et cilicia, et vestes rudes, et duros lectos, et alia multa exercitia digna fortissimis militibus Tuis.

Et auxilio gratiae divinae Tuae adeo proficiunt carnem suam odio habentes, ut post conflictus acquirant mirabilem victoriam sui, non magis sentientes cilicia et lectos duros, quam si mollibus vestimentis et lectis uterentur.

Haec est victoria Filii Dei, Qui jacuit super durum et angustum lignum crucis, et pro mundi molitie curanda dure nimium castigatus est.

Profecto, Domine, omnis, qui bene consideraverit victoriam istam, laudabit Scholam Tuam, quae adeo mirabiliter mutat corda et corpora hominum, qui ante servierant cupiditatibus suis.

Et in hac ipsa mutatione cognoscit virtutem dexterae Tuae, et fidei Catholicae, quam profitetur in Ecclesia.

Nulla enim secta est, quae sic mutet sectatores suos, quamvis studeat externo aliquo mortificationis genere sanctior aliis apparere.

Certissimum est enim, interiorem hominem extra Scholam Tuam non posse reformari, neque vero exteriorem eo modo, quo servi Tui fideles animadvertunt, se reformari castissima disciplina Tua.

Quocirca Te decet hymnus, Deus, in Sion, et Tibi reddetur laus nova in Jerusalem; quia nova facis omnia, auferens vetustatem Adae terreni, et spiritum rectum creans in visceribus felicissimae familiae Tuae.

Utinam sapientes consiliarii Pharaonis, qui dare solent consilium insipiens, relictis disciplinis inanibus, quaererent toto corde professionem scholae mansuetorum et humilium discipulorum Tuorum, ut viderent mirabiles mutationes gratiae Tuae!

Vani sunt sensus hominum, in quibus non subest solidissima, et supereminens scientia charitatis, quae animas Tibi gratas transformat in Te.

Beati amici Tui, Domine, quibus dedisti cor sapiens et intelligens ad opera justitiae Tuae.

Brevi tempore pugnabunt et laborabunt inter exules filios Evae; sed in generationes saeculi saeculorum fruentur abundantia divitiarum Tuarum; et nomina eorum vivent scripta in libro Tuo.

E duro lecto surgent ad thalamum Tuum; e vestimentis rudibus vocabuntur, ut induantur stola candidissima gloriae Tuae.

Et ex multiplici asperitate vitae elevabuntur ad ineffabilem suavitatem vitae, qua remunerantur fortissimi victores Tui.

Caput VI.

De reformatione imaginativae, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Incredibile videtur inexpertis, Domine, bellum cogitationum et imaginationum, quas patiuntur servi Tui, qui quaerunt Te Solum diligere et cogitare die ac nocte, et imprimere cordi suo suavissimam praesentiam Tuam.

Videtur quaedam conturbatio et sonitus aquarum multarum sicut quando movetur tempestas maris, et vocem emittunt nubes.

Non potest numerari multitudo imaginum sine ordine et sine tempore succedentium sibi, nisi a Te, Qui numeras guttas pluviae et multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas.

Profecto, Domine, molestissimum proelium est hoc, quo exercere soles discipulos suos, etiam quando diligentissime fugiunt occasiones distractionum, et curant colligere sensus suos.

Et quidem laus Tua magna et mirabilis est, quod in ista pugna molestissima perseverent per annos videntes et attente considerantes, se nullum remedium

invenire, immo tanto pejores distractiones tolerare, quanto magis student vacare Soli Tibi.

Magna desolatio est ista, Fili Dei vivi, Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Verumtamen non irasceris in aeternum, et post tempestatem tranquillum facis.

Atque ideo famuli Tui diu afflicti atque probati ex magnitudine bonitatis et misericordiae Tuae videntur sibi elevati super altitudinem nubium ad quandam regionem serenissimam, ubi coeli facies sine nubilis aut perturbationibus cernitur, intime laetantes sola praesentia Tua.

Jam transiit importuna varietas et confusio Babylonica, in qua laboraverunt et quasi vulnerati gemuerunt Filii Tui.

Jam cessavit ventus validus, qui perturbabat undas maris, qui vehementer afflixit amicos Tuos.

Jam defecerunt multiformia spectacula et monstra horribilia, quae auferebant pacem et consolationem servis Tuis.

Jam successit pax et tranquillitas diu exspectata et innumerabilibus suspiriis postulata, et attulit laetitiam discipulis Tuis.

Omnia sub sole transeunt, Domine, et foelices sunt fideles servi, qui nullis perturbationibus ita concutiuntur, ut amittant soliditatem petrae, in qua fundati sunt.

Bene est, ita turbari et distractionibus molestari, ut per ipsas turbationes et distractiones acquiratur firma et stabilis praesentia Tua; a cujus facie fugiant omnes imagines, quae non decent pacificam et castam Scholam Filii Dei.

Tu, Domine, vulneras, et sanas, et deducis ad abyssos et reducis; Tu pauperem facis et ditas, humilias et sublevas; Tu suscitas de pulvere egenum et de stercore elevas pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat.

Vere, Domine, isti, qui a Te sic elevati sunt, ut jam non perturbentur varietate imaginationum, sed vivat sola in eis imago Tua, sedent cum principibus, et solium mirabilis gloriae tenent adhuc in hac regione captivorum, ubi fatigamur longe facti a dulcissima patria et aeterna requie filiorum Dei.

Utinam contingat mihi sors haec, ut sine turba importunarum imaginationem in pace Sionis considerem mirabilia Tua!

Status hic optabilis valde et pretiosissimus est, a quo amici Tui surgunt ad perpetuam requiem et vitam foelicissimam gloriae Tuae.

Caput VII.

De reformatione aestimativae, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Non est finis aut numerus cogitationum humanarum, Domine, et fictionum, quibus filii hujus saeculi repraesentant sibi utilia aut nociva, quae sequantur aut fugiant; tota die et nocte cogitant amatores terrenae vitae, quae sibi prodesse posse credunt, **ut** longius vel commodius vivant, et diligentissime vitant, quae sibi nocere putant, facti perpetui et inquieti aestimatores rerum secundum affectum, quo adhaerent bonis apparatibus terrae.

Et ideo crescit hoc malum inimicum Spiritus Tui,

ut falsa aestimatione cogitantes aliquid sibi nocere posse, viri etiam, qui putantur sapientes et pii, incidant in opera superstitiosa, et observent dies, et lunas, et pluvias, et ventos, quasi non cognovissent Te.

Vae infoelicibus, quam male utuntur fide Tua!

Longissime distant ab hujusmodi vanitatibus servi Tui, Domine, qui omne pondus suum projecerunt in Te.

Apprehendunt quidem illi per aestimativam, quae decet pietatem, et corrigentes errores ejus reducunt illam froeno timoris et amoris Tui in Scholam justitiae, ne amplius torqueat illos et divertat a tranquillitate sua.

Et quidem per correctiones, eruditionem Spiritus Tui eo perveniunt, ut aestiment res omnes, quas Tu, Domine, disponis expedire sibi; qua cogitatione mirabiliter quiescunt atque proficiunt.

Non sollicitantur jam timoribus et horroribus, quos generat vana aestimatio mortis, aut vitae, commodi, aut damni, famae, vel infamiae; quia, cum haec omnia contemnant propter spem beatissimae fruitionis Tuae, non affligit eos aestimatio expers disciplinae Tuae, quae implet incertis providentiis palatia principum terrenorum.

Pax multa successit amicis Tuis, ex quo toto corde et tota fortitudine sua dilexerunt Te, et protecti sub umbra alarum Tuarum adepti sunt securitates custodiae Tuae.

Tu, fidelissime Domine, regis eos, et nihil eis deerit.

Tu defendis eos, et proinde nemo potest eripere illos de manu Tua.

Si videantur descendere in lacum profundissimum, cogitant se nihil mali passuros, cum sint in tutela Tua; sicut nihil triste passus est a leonibus Daniel, fortissimus servus Tuus.

Quapropter cessantibus jam sollicitudinibus et timoribus vanis, gaudent privilegio nobilium, quibus Tu propinquus et propitius es firmans et pacificans sensus et corda eorum.

Ex quo fit, ut tranquillissime vacent, et confiteantur Tibi, unico et summo bono suo; et per omnes occasiones enarrent cum intima laetitia immensas misericordias Tuas.

Haec est pax et praerogativa quaerentium Te et fruentium dulcissima libertate filiorum Dei.

Caput VIII.

De reformatione appetitus sensitivi, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Quis loquetur potentias Tuas, Domine, et auditas faciet omnes laudes Tuas.

Tua est victoria, Tuum regnum hoc, Rex pacifice, quo gaudent veterani discipuli Tui, qui vicerunt per Te appetitum rebellem, quo tenebantur captivi longe a pace Tua.

Beati certe sunt isti famosi, qui fortiter bellando mortificaverunt cupiditates suas disciplina crucis, e qua salus mundi pependit, ostendens mundo viam aeternae vitae.

Omnia genua flectuntur Tibi, Domine, propter illustrissimam victoriam servorum Tuorum, qui sic reformaverunt appetitum suum, ut pro captu suo jam quaerat, et sequatur Te.

Omnes bestiae sylvae Te praesente congregatae sunt, et collocantur in cubilibus suis; ut exeat jam

homo liber ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam.

Pauci valde sunt victores isti, Domine, sed gloriosissimi sunt et digni, qui sedeant in porta cum senatoribus terrae viventium, quia calcaverunt mortem et infernum.

Jam cessavit amor inordinatus rerum delectabilium mortalis vitae.

Jam cessaverunt vana et nociva desideria bonorum visibilium.

Jam cessavit omnis delectatio, quae placuerat extra Scholam Tuam.

Jam cessaverunt odia, fuga et tristitia mala, quae mortem operari solebant.

Jam cessavit spes posita in hominibus, in quibus non est salus.

Jam cessaverunt audaciae et irae inordinatae, quibus pax fraterna laedebatur.

Jam cessaverunt desperationes et timores, qui erant de patrimonio Adam, qui praevaricatus est legem Tuam.

Haec omnia cessaverunt, et orta est abundantia pacis, et regnum Dei intra viscera servorum Tuorum foeliciter jam regentium passiones suas, ut, quae servierunt iniquitati ad iniquitatem, serviant nunc justitiae in sanctificationem et in consolationem inenarrabilem cordis sui.

Mirabile opus Tuum est, Domine, ut ferae istae passionum jam mansuefactae ducantur sub jugum Tuum, et moveantur ad nutum dominorum suorum, non certe tam fideliter, sicut in statu innocentiae, de quo cecidit natura nostra.

Sed tam mirabiliter, ut discipulis Tuis serviant ad opera multa justitiae, quibus acquiritur regnum Tuum.

Sic enim passione amoris et desiderii utuntur tanquam Domini ad amandas et desiderandas divitias domus Tuae.

Sic passione laetitiae utuntur, ut jam non delectentur nisi in Te, dilectissimo Deo suo.

Sic passionibus odii, et abominationis, et tristitiae utuntur, ut odio habeant et abominentur iniquitatem et salubriter contristentur de sola offensione majestatis Tuae.

Sic passionibus spei et audaciae, et irae utuntur, ut in Te Solo sperent, et propter Te audeant pugnare contra hostes Tuos, et nolentes peccare irascantur adversus vitia et praevaricationes testamenti Tui.

Sic passionibus desperationis et timoris utuntur, ut sperare nolint in hominibus, et timeant sublimissimam altitudinem Tuam.

Atque ita fit, ut exercitio passionum multiplicent merita gratiae et gloriae Tuae, et crescant ad mensuram grandium omnibus diebus vitae suae.

Haec est mutatio dexterae Tuae, Fili Dei altissimi, in qua ostendis, quantum valeat et possit divina gratia Tua.

Pro hac reformatione et victoria paucissimi illi amici Tui, qui ascenderunt super excelsam terram cantabunt Tibi canticum novum in generationem et generationem anni Tui.

Non fatigabuntur taedio, qui exonorati sunt ponderibus cupiditatum, quibus inclinabantur ad terram; sed indefessis cordibus persequentur laudes infinitae bonitatis et suavissimi amoris Tui.

Jam propinquaverunt ad palmam, ad quam ascen-

dent de deserto hujus mortalitatis, ut vivant sine fine in charissima libertate patriae suae.

Caput IX.

De reformatione memoriae, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Post varias perturbationes et multiplices imagines creaturarum facti sunt discipuli Tui, Domine, templa viva dicata soli majestati Tuae; neque habitat in eis Deus alienus.

Multa passi sunt servantes in vase memoriae innumerabiles species rerum, a quibus molestarentur, si vellent vacare Soli Tibi.

Nati sunt quippe de stirpe Adam, et antequam se consecrarent Tibi, fecerunt sicut caeteri homines curiose implentes memoriam rebus innumerabilibus, quarum recordarentur, quando vellent.

Verumtamen puniti sunt per hoc ipsum, quia longo tempore quaerentes in Schola Tua recordari justitiae Tuae solius passi sunt nolentes multos incursus importunissimos rerum, quas in memoria servaverunt, quando seminaverunt dolores sibi.

Multa certe passi sunt, quae Tu nosti, Domine, Qui vides profunda maris pleni reptilibus, quorum non est numerus.

Sed post illos fluctus maris perturbati jussisti accedere tranquillitatem magnam, et jam regnas solus in memoria amicorum Tuorum, sicut desideravit anima Tua.

Jam transiit hiems inquieta et agitata ventis et nubibus et fulgoribus, et venit ver novum vestitum solo splendore lucis Tuae.

Jam transiit regnum Davidis bellicosi, et venit regnum Salomonis, cujus vultum desiderat universa terra.

Gratia ergo Tua factum est, Domine, ut memoria paucorum aliquot discipulorum Tuorum, qui in domo Tua fidelissimi sunt, remanserit quasi coelum serenum, ubi sola videtur imago Regis pacifici, Cui serviunt corda casta et fidelia coeli et terrae.

Hi sunt amici charissimi, quos reservas Tibi Soli, ut conversentur Tecum, et fortissime adhaereant Tibi, repellentes omnes amores peregrinos, qui vagantur extra Scholam Tuam.

Beati sunt, Fili Dei altissimi, qui obliviscuntur omnium rerum aliarum, ut memorentur Tui Solius.

Satis divites facti sunt conservantes in se thesaurum incomparabilem sine mixtione terrae, ut vivant in aeternum de Te, Qui es vita et virtus eorum.

Sed et alii pauci sunt inter amicos dilectissimos, quibus a Te datum est, ut, quamvis gerant gravia et multa negotia pro gloria Tua, ita recordentur rerum variarum, ut non obliviscantur Tui.

Et quod videtur mirabilius, aliqui fuerunt etiam his diebus nostris, qui inter multiplicia negotia tam fidelem et vivam memoriam praesentiae Tuae servaverunt, quam si Tecum soli mansissent in silentio et solitudine.

Hoc est signum copiosissimae misericordiae Tuae et divinae potentiae, quae inclusit in carcere tantam rerum multitudinem, ne turbaret memoriam consecratam Tibi, sicut solet congregare aquas maris et ponere in thesauris abyssos.

Pro qua ineffabili misericordia et quasi de manu nimicorum fortium liberati, in sanctitate et justitia

magna servient Tibi amici Tui, et narrabunt aliis infinitam bonitatem et sapientiam Tuam, quae non habet finem.

Tu vero, Domine, de statu isto, ad quem elevasti eos, transferes illos ad beatissimam lucem et fruitionem claritatis Tuae; ut aspiciant sine timore inimicorum suorum Te, Quem cupierunt, et laetentur purissimo fonte voluptatis Tuae.

Caput X.

De reformatione intellectus, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Nimis fatigantur filii Adam cupiditate sciendi atque labore docendi varias doctrinas, neque tamen requiescunt, postquam videntur sibi aliquid didicisse.

Sitis enim est infinita, quae non exstinguitur cognitione modica rerum diversarum; sed magis accenditur ad variam et inconstantem inquisitionem, quae non videtur habere finem.

Hic est labor sapientum et prudentum, quibus non est revelata gloria Scholae Tuae, Domine.

Servi vero Tui humiles corde, postquam multa exercitatione mortificaverunt proprium intellectum, qui in ipsis rebus spiritualibus solet quaerere vana et inutilia, dono gratiae Tuae perveniunt ad gustum sapientiae coelestis, qui exstinguit inquietum ardorem sciendi alia praeter Te.

Atque ita nihil volunt scire, nisi quae sunt necessaria ad satisfaciendum statui suo, et Te inprimis Crucifixum, scientes, se intra puram terram humanitatis Tuae posse invenire omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei.

Quapropter in hoc studio tranquillissimo quiescentes jam sine multitudine librorum, sine sollicitudine animae, sine strepitu verborum, legunt Te, librum aeternae vitae et illuminantur mirabiliter ad facienda et docenda opera immaculatae legis Tuae.

Ex quo fit, ut sine scientia inflante et sine ambitione laudis humanae pascantur sapientia Tua, et nolint unquam diverti a studio illius.

Jam quievit intellectus, quantum patitur conditio hujus vitae, quae laborat in aenigmate.

Jam recessit illa immoderata cupiditas discurrendi per varias disciplinas, quae solet affligere novos discipulos Tuos.

Jam adhaesit visceribus amor unius et solius sapientiae, cum qua pariter veniunt omnia bona.

Non potest explicari pax magna et admirabilis, quae successit servis Tuis, Domine, qui nihil curant scire nisi Te.

O quam longe absunt a studio filiorum hujus saeculi, qui non possunt requiescere, nisi quotidie audiant aliquid novi, ut nova vanitate delectentur!

Hoc studium novitatis, quo tenentur ligati in compedibus nobiles terrae, procul distat a mansueta familia Tua, quae delectatur in Te Solo Deo et summo bono suo.

Et ideo, si forte amici Tui charissimi, quorum intellectum gratia Tua reformavit, audiant istas profanas aut inutiles novitates, odio quidem habent eas, sed non moventur de stabilitate Scholae Tuae, cujus castitas constantissima est.

Beatus, qui scit Te Solum, Domine, et si sciat alia omnia, ignorat Te! Profecto, Fili Dei altissimi, isti

pauci et electi discipuli Tui, qui cupiunt nosse Te Solum, foelicissimi sunt, et jam incipiunt praegustare futuram beatitudinem, quae posita est in visione Tua.

Nunc exercentur et aspirant ad mercedem beatissimam laborum suorum, quibus fortiter servierunt Tibi, exspectantes beatam spem et adventum gloriae Tuae.

Firmiter sperant cum pignore sapientiae, quae illustrat et inflammat eos, ad contemptum mundi et altissimam aestimationem aeternae vitae.

Jam praesentiunt gaudia domus Tuae, quae dulcissime contemplantur; citoque ascendent ad inaestimabilia solatia Tua.

Caput XI.

De reformatione voluntatis, quae acquiritur in Schola Jesu Christi.

Magna velut mare fuit, Domine, corruptio voluntatis, quae a Te, summo et aeterno bono, per praevaricationem Adae seperata est, et abiit post amores terrenos facta sordida et abominabilis, sicut ea, quae dilexit.

Grande malum est hoc, Fili Dei altissimi, ut voluntas creata ad amandum Te, Qui es infinita bonitas et pulchritudo, adhaereat creaturis tam vehementer, ut obliviscatur Tui, et nolit permanere in amicitia Tua.

Sed licet grande malum sit, remedium sanguinis Tui majus est; et gratia Tua potest mollire petras et convertere saxa in filios adoptionis Tuae.

Quod adeo verum est, Domine, ut aliqui servi Tui, qui antequam vocarentur ad Scholam Tuam, ardentissime amaverant creaturas plus quam Te, mutato consilio, tam studiose adhaeserint Tibi, ut amor Tuus,

qui jam regnat in cordibus eorum, longissime superet amorem impurum, quo adoraverant creaturas.

Altissima et supereminentissima charitas Tua diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum; Qui a Te datus est eis tam liberaliter et abundanter, ut nihil jam desiderent aut quaerant, nisi Te.

Jam cessavit amor propriae laudis, propriae vitae, parentum, consanguineorum et rerum amabilium hujus vitae per fortitudinem charitatis, qua strictissime uniti sunt Tibi.

Et secundum magnitudinem Tuae dulcissimae bonitatis, qua dilexisti eos, respondent Tibi amore fidelissimo parati ferre tribulationes et angustias, infamiam, contumelias et irrisiones, et quidquid in mundo amarum est, pro Te, Quem totis visceribus requirunt.

Neque vero pro tolerantia quorumcunque malorum postulant aliam retributionem, quam Te, Cui in aeternum non propter se, sed propter Te adhaerere cupiunt, ut cantent canticum novum amoris nunquam senescentis, vel amittentis fortissimas vires suas.

O Rex pacifice, Cui tributum delectionis reddunt omnia corda fidelia coeli et terrae, quam mirabilis est haec reformatio voluntatis, quae purissimo affectu quaerit Te!

Quam gloriosa est haec victoria cordis circumcisi circumcisione non manu facta, sed operatione purissimi Spiritus Tui.

Haec est pars electissima Scholae Tuae, cujus honor, commoditas et voluptas est, placere Soli Tibi, et mira transformatione mutari in Te.

Vivit foelicissima pars haec familiae Tuae, Domine; sed jam non vivit ipsa, sed Tu vivis in ea per transformationem, quam fecit amor.

Ex quo fit, ut nihil in hac vita placeat ei, sed omnia detrimenta reputet et arbitretur ut stercora propter eminentem scientiam charitatis Tuae, quae cum contemptu visibilium anhelat ad invisibilia bona castissima gaudia thalami Tui.

Profecto, amabilissime Fili Dei, amici Tui, quorum voluntatem tam foeliciter reformasti, sunt Tibi cogitationes, verba et opera eorum, quasi pinguissima holocausta jugiter ardentia in altari Tuo.

Et ideo amantissime respicis ad eos, et ad munera eorum plena desideriis placendi Tibi, et celebrandi infinitam magnitudinem dulcedinis Tuae.

Hi sunt, qui ingrediuntur in thalamum Tuum per altissimam contemplationem et unionem spiritus conjuncti Spiritui Tuo cum tanta ubertate lucis et consolationis, ut mirabile sit, quomodo non mirantur in complexu Tuo prae magnitudine fortissimi amoris, qui vincit omnia.

Sed Tu, Domine, Qui sanas contritos et vulneratos corde, corroboras eos, ne impetu charitatis dissolvantur, sed vivant ad aedificationem Ecclesiae, sponsae Tuae, in qua lucent, tanquam sidera in firmamento coeli.

Isti sunt firmissimae columnae, quae sustinent orbem terrarum nimis gravatum pondere peccatorum; opponunt enim se irae Tuae cupientes fieri anathema pro fratribus suis, ne deleas eos de terra.

Propterea vivunt suspirantes Tibi; et sacrificantes seipsos quotidie augent mirabiliter merita gratiae et gloriae Tuae, ut foelicius coronentur in beatissima civitate Jerusalem, in qua scripsisti eos.

Sed tempus breve est, et post aliquod menses aut

annos exilii sui ascendent ad optatissimam patriam, ubi regnat amor; et quasi cervi, qui diu desideraverunt fontem aquarum, bibent de flumine suavissimae voluptatis Tuae.

Caput XII.

De foelici transitu discipulorum Jesu Christi.

Foelix est valde finis laborum, quos ferunt discipuli Tui, Domine, sequentes toto corde disciplinam crucis, quae in exercitio primo non videtur esse gaudii, sed moeroris.

Omnis consummationis vident finem, accedente depositione corporis sui, quod portavit pondus diei et aestus; et in hora transitus videtur eis latum mandatum tuum nimis.

Cum enim jam dicat eis Spiritus Tuus melle dulcior, ut requiescant a laboribus suis; videntur sibi ambulasse in latitudine, quia exquisierunt fidelissima praecepta legis Tuae.

O mitissime Redemptor et vigilantissime Custos hominum, quomodo laetantur justi amici Tui in hora transitus pro diebus, quibus eos humiliasti, et pro annis, quibus viderunt gravia mala!

O quam immensa laetitia replentur praecinctis lumbis lucernas fidei in manibus tenentes et exspectantes optatissimum Dominum suum; ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant Ei.

Non vexat eos valde suprema angustia et dolores interni, qui videbantur circumdedisse animas eorum, quia incipit regnare in eis pax Tua, Rex pacifice, Qui in hora illa terribili, quae conturbat principes Edom et robustos Moab, corroboras mirabiliter servos Tuos.

Etenim, clementissime Fili Dei, tam inaestimabilis est spes illa firmissima, qua in agone mortis animantur amici Tui, ut solus cognoscat aestimationem

illius, qui sic visitatur a Te et impletur laetitia praesentiae Tuae.

Tunc apparet invicta gratiae fortitudo adversus infernum et mortem, et constantia justitiae, quae facta est pretiosissimo sanguine redemptionis nostrae.

Tunc apparet victoria Tua, Domine, cujus consortes sunt fortes pugnatores, qui per vias difficiles secuti sunt Te.

Tunc ergo justi et electi Tui pleni fiducia misericordiae Tuae, testimonium bonum perhibente illis conscientia ipsorum, exercentes fortissimos actus fidei, spei et amoris Tui ardentissimis desideriis feruntur ad Te, invocantes viscera Tua et strictissime adhaerentes Tibi.

Longe est a cordibus eorum sollicitudo disponendi res temporales, et scribendi nomina sua in terra; non enim dilexerunt terram, aut quaesierunt honores et divitias mundi, sed Te, veram requiem et salutem, pro qua contempserunt omnia, et tradiderunt se exoneratos et nudos regendos Tibi.

Propter quod in hora illa fidelissime respondes eis suspirantibus ad Te, et super tribulantes eos mittis validam manum Tuam.

O Domine, quomodo laetatur et dilatatur Israel, quando pugnas pro eo contra Pharaonem et contra omnes bellatores ejus!

Vere non est alia sapientia, prudentia et fortitudo, quam, dum vivimus, servire Tibi; ut in hora transitus defendas nos, et a facie Tua dissipentur crudelissimi inimici nostri.

Sed dulcissima bonitas Tua, Domine, non solum

apparet in defensione electorum Tuorum, et terrore hostium invisibilium, sed in aliis secretissimis favoribus, quibus consolaris animas illas, charissimas sponsas Tuas.

Quis poterit explicare sensum intimi refrigerii, quod percipitur ab omni, quando vocas eam, ut surgat et ascendat de cubilibus leonum rugientium ad coronam?

O quam fortiter conatur deponere et projicere a se impedimentum terreni corporis, tracta voce dilecti sui!

Moriatur, Domine, anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.

Beata anima illa, quae ornata sicut sponsa, et praeparata ad castissimas nuptias Agni Dei, audit Te dicentem sibi: Veni, suavissima electa Mea; veni, dulcissima amica Mea; ponam te in thronum Meum, quia concupivi speciem tuam.

Tu scis, Domine, quid sentiat anima festinans egredi de corpore ad efficacissimam vocem Tuam.

Tu scis; ego vero nescio ponderare infinitam vim secretae illius victoriae, qua apprehendis charissimam praedam et partem populi acquisitionis Tuae; atque ita in silentio meditabor illam.

Nunc vero pro fine hujus laboris mei, precor Te, clementissime Fili Dei, dones mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, quae mecum sit et mecum laboret ante extremam horam transitus mei; ut inveniam Te propitium, et in periculoso proelio Tu sis constantissima fortitudo, et foelicissima victoria mea.

O. A. M. D. G.

Loquere, Domine!

qui audit servus Tuus!

Adlocutiones Jesu Christi

ad cor hominis

ex

divinis Scripturis depromptae,

cum quotidianis precibus;

in

Clericorum et Saecularium usum editae

a

M. A. Nickel,

S. Theologiae Doctor et Canonicus capitularis Ecclesiae cathedralis moguntinae.

TOMUS III.

Stimulus Compunctionis et Soliloquia.

Editio secunda.

Francofurti ad Moenum. 1855.

Typis et Sumptibus Joannis Davidis Sauerländer.

Regi cordium pacifico, Jesu Christo:

Indignissimus Ejus servus:

Debetur Tibi, Rex Sion, sermo Tuus vivus et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum; quem venerabili servo Tuo, Joanni a Jesu-Maria, inspirasti.

Debentur etiam Tibi, o Sapientia, inspirationes Tuae et secreta verba, quae loqueris ad cor Jerusalem, sponsae Tuae.

Propter quod, dico Tibi, dulcissime Deus cordis mei, Scriptum hoc, in quo posuit pius famulus Tuus laudatus expressos in Scriptura sacra sermones Tuos et secreta verba, quae instillas cordibus filiorum Adae, cum ardentissimis desideriis aeternae salutis suae.

Utinam, o Lux beatissima, Quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, medio scripto hoc fortissima veritas Tua emolliat ferrea pectora peccatorum et acutae sagittae verborum Tuorum cadant in corda inimicorum Regis! non certe, ut pereant, sed ne amplius sint inimici Tui.

Placeat, oro Te, fidelissime Custos hominum, qualiscunque labor hic, quem direxi ad convertendos peccatores in requiem suam, Te scilicet Deum, Redemptorem et unicum remedium suum.

Et quia inter omnes illos, qui offenderunt Te, primus sum ego: per viscera misericordiae Tuae, in quibus visitasti nos, precor Te, infigas mihi stimulum compunctionis, qua liquescant viscera mea, et resolvantur in lacrymas interpretes cordis mei.

Accipe, summe Rex pacifice, oblationem meam, non ut antiquas hostias taurorum et hircorum, sed ut opus, quod spectat ad novam et immaculatam legem aeterni testamenti Tui; ut, qui legerint scriptum hoc, ruptis vinculis peccatorum, respirent ad auram gratiae Tuae, et convertantur ad requirendam toto corde suavissimam amicitiam Tuam. Fiat! Fiat!

Praefatio.

Accipe, christiane lector, Stimulum compunctionis, qui utinam digito Dei, qui est Ejus Spiritus, infigatur visceribus tuis.

Lege scriptum hoc lente, et accommoda verbis sacris, quibus abundat, aurem cordis, per quam illabatur Dei veritas in animam tuam.

Elige tempus et locum remotum a strepitu negotiorum mundi, ut inspirationes Dei, quasi vocem aurae lenis in silentio percipias.

Si vero senseris te commoveri mollitis sermonibus, quiesce et fove calorem illum posteaque lectionem resume.

Scopus laboris nostri est, cum Dei gratia convertere peccatorem ad poenitentiam propositis rationibus, quibus, quasi stimulis, compungitur.

Atque ideo liber: Stimulus compunctionis; inscribitur.

Cui subjecta sunt Soliloquia; quae sunt ignita compuncti cordis exercitia.

Tempus breve est; ex quo, si prudens esse velis, compunctionis studio vacare debes ad abluendas culpas praeteritas, et salutem aeternam acquirendam.

Non te seducat vanitas mundi, quae fugit velut umbra, ut nimis curiosa et subtilia legas, et eloquia Dei simplicia castaque relinquas.

Sanius quippe consilium est, Dei sapientiam humilibus verbis absconditam discere, Deique sensum asse-

qui, quam sine compunctionis sensu altum sapere, et a Jesu Christi Schola, quae mansuetorum et humilium est, aberrare.

Certe intima compunctio cordis ex genere illorum secretorum est, quae altissimus Deus abscondit a mundi sapientibus et prudentibus, et revelavit parvulis.

Propter quod, si proficere vis lectione hac, humilis esto in oculis tuis; et consilia Dei vel expressa in scripturis sacris, vel accepta per quotidianas inspirationes, quae in hoc libro continentur, amplectere.

Utinam muteris in virum alterum, et transfixus jaculis sermonum Dei, ex intimis medullis convertaris ad Jesum Christum, unigenitum Dei Filium, et dulcissimum Redemptorem tuum.

Opusculum autem hocce tertium a venerabili Patre Joanne a Jesu-Maria, Carmelita discalceato, compositum, nunc denuo typis mandatum atque quotidianis precibus auctum, gratissimum sit tibi, benevole lector! et dulce nectar illud coelestis sapientiae ebibat anima tua, cum procul dubio auctoris spiritus exsuxerit de latere divinae gratiae prae candore sanctissimae vitae, cujus inter alia testimonium et nunc exstat ipsius corpus, quod, ut in editione hujus opusculi ex anno 1700 Romae narratur, non odoribus, neque unguentis conditum, sed ut ipsa religiosa paupertas exposcit, in communi coemeterio sepultum, post aliquot annos, tamen inde translatum, repertum est incorruptum, et in recenti adhuc carne servatur in Latio in coenobio sancti Sylvestri Carmelitarum in montibus Tusculanis.

Praefationem hanc autem claudamus verbis prae-

fatae editionis romanae: „Quod si hoc opusculum cum semel perlegerit peccator, et in via salutis nihil profecerit, attente iterum legat, ut coelestis flamma misericordiae in visceribus ejus tandem eluceat, et animae a vitiorum servitute fugienti et ad poenitentiam venienti inserviat ut columna ignis ardentis et per viam perfectae compunctionis dictet iter ad terram promissam aeternae beatitudinis."

Moguntiae, in Festi sancti Augustini, Eccl. Doct., MDCCCXLIV.

Adspirationes

pro

omni actione diei et pro qualibet occasione

ex

„Via Compendii ad Deum"

auctore

D. *Joanne* S. R. Eccl. Presbytero Cardinale *Bona*

ex Ordine Cisterciensi.

Mane cum surgis.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, confitebimur Ei, quia fecit nobiscum misericordiam Suam.

In Nomine Domini nostri, Jesu Christi crucifixi, surgo; Ipse, Qui me redemit, me custodiat, protegat atque defendat ab omni malo hodie, semper et in hora mortis meae.

Credo Tibi, Domine mi, in Te spero, ac toto corde Te diligo; ex Te enim, et in Te, ac pro Te sunt omnia, Deus meus, et omnia.

Deus, Deus meus, ad Te de luce vigilo; sitivit in Te anima, quam multipliciter Tibi caro mea.

Pater sancte, in unione amoris dilectissimi Filii Tui commendo Tibi hodie spiritum meum.

Offero Tibi cor meum, et oro Te, ut omnis cogi-

tatio, locutio et operatio, ac voluntas mea secundum beneplacitum Tuum hodie dirigatur.

Laudo, glorifico et saluto cor Tuum, dulcissime Jesu Christe, gratias agens pro fideli custodia, qua me hac nocte protexisti; et quia laudes pro me, et gratiarum actiones, atque omnia, quae ego debeo Deo Patri, incessanter persolvis.

Commendo, Domine, divinae sapientiae Tuae visum meum interiorem et exteriorem, ut lumen cognitionis mihi largiaris, quo voluntatem Tuam agnoscere valeam, visumque cohibeam ab omni vano et illicito objecto.

Commendo auditum meum misericordiae Tuae, ut ab auditione mala me protegas, et intellectum tribuas ad omnia, quae hodie auditurus sum.

Commendo benignitati Tuae os meum et vocem, ut gustum divini Spiritus infundas mihi, et ab omni lapsu linguae me custodias.

Commendo pietati Tuae manus meas, ut opera mea Tuis apponas operibus, et in eis omnia mea sanctifices, et perficias, et ab omni pravo opere me retrahas.

Commendo cor meum divino amori Tuo, ut illud cordi Tuo unias, tuoque amore ita succendas, ut nunquam deinceps de re aliqua terrena delectetur.

Dum indueris.

Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Indue, Domine, animam meam cyclade auro texta, vesteque nuptiali charitatis, quae operiat multitudinem

peccatorum meorum, et immensis monilibus virtutum exorna me.

Largire, quaeso, animae meae vestes et ornamenta, quae eam maxime deceant, ne deformitas mea appareat coram Te et sanctis Angelis Tuis.

Praecinge lumbos meos, purissime Jesu, cingulo castitatis et pudicitiae, ut viam mandatorum Tuorum expedite currere possim.

Fac, pie Domine, mecum, quod solent mundi proceres; vestes patientiae et humilitatis, quae Tibi regnanti in gloria non sunt amplius necessariae, largire mihi pauperculo servo Tuo, qui eis maxime indigeo.

Te sic praecipiente, Deus meus, corpus terrenum terrenis vestibus induo; non propter ornatum et superbiam, sed propter necessarium operimentum, et ut ex habitu status meus discernatur.

Dum ego corpori suas vestes tribuo, Tu, Deus, indue animam veste innocentiae, ut habitus ejus laudabilis appareat coram Te.

Cum manus abluis.

Da virtutem, Domine, manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam Tibi servire.

Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Domine Jesu, Qui lavisti nos a peccatis in sanguine Tuo; lava omnes animae meae sordes, et super nivem dealbabor.

In ortu solis.

Exorere, exorere, sol justitiae, et illustra splendoribus Tuis animam meam.

Emitte lucem Tuam et veritatem Tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum Tuum, et in tabernacula Tua.

O Lux, Quae illuminas omnia, absorbe me in charitatis abyssum, ut videam semper Te in Te, et me in Te, et cuncta sub Te; nam sine Te omnia mihi sunt tenebrae et nox obscura.

O sol animae meae, Deus meus, quam amabilis est pulchritudo Tua? Amo Te, Lumen aeternum, et ardentius amare desidero.

Ante divinum Officium.

Vocabis me, Domine, et ego respondebo Tibi, operi manuum Tuarum porrige dexteram Tuam.

Domine, in unione illius intentionis, qua Ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, hoc Tibi officium persolvere intendo.

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto Ejus.

Ergone ranuncula vilis de coeno iniquitatum egressa, coram Domino majestatis perstrepere audebo? Et quis sum ego, pulvis et cinis, ut loquar ad Dominum meum?

Introibo ad domum Tuam, adorabo ad templum sanctum Tuum, et confitebor Nomini Tuo. In conspectu Angelorum psallam Tibi.

Confiteantur Tibi, Domine, omnia opera Tua, et Sancti Tui benedicant Tibi. Psallite Domino, Sancti Ejus, et confitemini memoriae sanctitatis Ejus.

Summe desidero laudare Te, Domine, Deus meus, et sic honorem afferre Tibi, quoniam Tu dixisti: Sacrificium laudis honorificabit Me.

Accipe laudationem meam, Domine, vitulos labiorum meorum, et quia vir pollutus labiis ego sum, sanctifica me, et mitte Angelum Tuum, qui calculo ignito emundet os meum, et faciat me dignum laudibus Tuis.

Illumina intellectum meum, Domine, ut corde percipiam, quod ore pronuncio; transforma in Te sensus et cogitationes meas, ut nihil praeter Te cogitem; affectus purifica, et voluntatem inflamma, ut Te Solum amem et desiderem.

Te laudare volo, bone Jesu; Tu supple pro me, quidquid minus est in me.

Post Officium.

Gratias Tibi ago, Domine Deus, quod meas indignas orationes dignatus sis, et de manu mea laudum Tuarum sacrificium suscipere.

Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos Tuos, Domine mi, Qui consolatus es me, et fiduciam praebuisti orandi Te?

Dimitte, Domine, secundum magnitudinem misericordiae Tuae, quidquid in Tuo servitio scienter vel ignoranter peccavi; et admitti jubeas ante conspectum majestatis Tuae deprecationem servi Tui.

Recordare fragilitatis meae, et ignoscens distractionibus meis, miserere mei, Deus, et omnium, pro quibus oravi.

Suscipe, benignissime Jesu, obsequium servitutis meae in piissimum cor Tuum, et illud Tuis atque Sanctorum precibus adjungens purifica, supple, perfice et offer Deo Patri ad Tuam et Sanctorum gloriam, ad meam et omnium salutem.

Ante Missam, vel Communionem.

O Domine Jesu, in memoriam Tuae passionis et mortis offero Tibi hujus Missae et omnium Missarum, quae in toto mundo celebrantur, hostiam immaculatam sacrosancti corporis et sanguinis Tui.

Suscipe me, Domine, cum oblatione hujus hostiae immaculatae in laudem, gloriam et beneplacitum Tuum in unione illius oblationis, qua Temetipsum in ara crucis obtulisti.

Memoriam fecisti mirabilium Tuorum, dulcissime Deus animae meae, et in escam unam omnes amoris vires contraxisti. Utinam hic cibus me transformet in Te; et lapideum pectus meum igne Tui amoris accendat et disrumpat.

Veni, Domine, et noli tardare; reple bonis Tuis esurientem animam meam, et calice suavitatis Tuae inebria sitientem.

Melior est panis Tuus, quam omnes deliciae mundi, quas ideo respuo, et abominor; et calix Tuus inebrians quam praeclarus est!

Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris Tui. Sana me ab omni languore, ut nullam praeter Te amem pulchritudinem.

Ignis, Qui semper luces, amor, Qui semper ardes,

illumina et accende me, ut citra condemnationem assistam metuendo altari Tuo.

Ne projicias me a facie Tua cum divinissimis donis Tuis venientem ad Te; neque me averseris propter nimiam indignitatem meam.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Domine Jesu, Salvator meus.

O Manna suavissimum, omnem habens saporis suavitatem pro cujusque desiderio, recrea hodie, ac suaviter affice aridum palatum animae meae.

Veni, obsecro, aeterna Sapientia, tam potenter hodie in animam meam, ut cunctos profliges hostes meos, cuncta vitia consumas, cuncta peccata remittas.

Ignem venisti mittere in terram, benignissime Jesu, accende illum in me, et eventila gratia Tua, ut semper crescat.

Ad elevationem Hostiae et Calicis.

Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi Tui.

Amo Te et adoro toto corde et affectu. Lava me in Tuo sanguine, et da mihi pati pro amore Tuo.

Tu Rex gloriae, Christe; Tu Patris sempiternus es Filius.

Amantissime Jesu, per effusionem sanguinis Tui fac, ut mundo mortuus Tibi Soli vivam, a meipso penitus deficiens.

Post Missam, vel Communionem.

Gratias ago Tibi, Domine Jesu, quia me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad vivificum Tuae

mensae convivium. Ignosce vilitati meae, et fac me hominem secundum cor Tuum.

Saucia, Domine, cor meum vulneribus Tuis, mentem meam inebria sanguine Tuo, ut quocunque me vertam, semper Te videam Crucifixum, et quidquid aspexero Tuo sanguine tinctum appareat mihi.

Sanctifica, Domine, animam meam et benedictionem Tuam in ea relinque; ingredere cubiculum cordis mei, et illud posside in sempiternum.

Respice in me, Pater aeterne, quia unigenitus Filius Tuus intra viscera mea clamat ad Te.

Penetret amor Tuus, clementissime Jesu, intima mea, et omnem alium amorem expellat.

Transforma me totum in Te, ut omnis substantia mea pereat in Te, nec me amplius inveniam nisi in Te.

Recedo modicum a Te, sed non sine Te, Domine mi, consolatio mea et omne bonum meum. Da mihi vivere semper in Te, et Tibi jugiter adhaerere.

Ante mensam, et dum reficeris.

Da mihi, Domine, operari non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.

Ecce, Domine, ad mensam accedo, da mihi congruam servare moderationem, ne ex indiscreta parsimonia deficiat corpus, aut ex nimietate gravetur et insolescat.

O quanti pauperes fame pereunt? mihi autem nihil deest. Gratias ago Tibi, Deus, Qui pascis me a juventute mea et usque nunc.

Quam suavis es, Domine, animae quaerenti Te;

utinam nihil sapiat, nihil dulcescat mihi, nisi Tu. Tu cibus meus, Tu potus suavissimus, Tu omnis delectatio mea.

O si deterior ferculorum pars mihi semper contingeret, sicut decet me! Indignus enim sum rationalis creaturae cibis et pane filiorum, qui jumentis insipientibus similis factus sum, propter innumerabilia et execranda peccata mea.

Fac me semper, Domine, esurire et sitire justitiam. Sitivit anima mea ad Deum, fontem vivum, quoniam apud Te est fons vitae.

Quam dulcia faucibus meis eloquia Tua; super mel ori meo.

Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Praesta mihi, Domine, ut sicut corpus terreno cibo, ita coelesti alimonia mentem reficiam.

Post mensam.

Gloria Tibi, Domine, Qui me cibo ac potu necessario refecisti; fac me semper abundare in omni opere bono.

Singulas buccellas et guttas, quas sumpsi, offero Tibi in laudem aeternam, in unione illius amoris, quo Tu, Deus meus, pro me factus homo cibum et potum sumpsisti in terris ad honorem Patris Tui.

Parce mihi, Domine, quia temperantiae limites transgressus sum; da, ut deinceps omnem concupiscentiam superem, et omnia gulae irritamenta.

Ante quodlibet opus.

Domine Jesu, da, ut peragam opus istud ad gloriam Tuam et salutem meam, sicut Tibi placitum est.

Da mihi sedium Tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram Te omni tempore.

Da mihi, Domine, spiritum discretionis, ut vera a falsis discernere queam; ut sciam eligere bonum et reprobare malum.

Fac, ut optimum finem semper intendam et omnia praevideam, quae accidere mihi possunt.

Adjuva, dirige et conforma me, ut secundum Te, Tecum et propter Te hoc opus perficiam, quia sine Te nihil sum, nihil possum.

Opere peracto.

Domine Jesu, hoc opus, quod peregi, commendo mellifluo cordi Tuo emendandum ac perficiendum; Tibique illud offero in unione operum Tuorum.

Domine, si quid unquam Tibi gratum feci ex gratia Tua, id omne approbo et ratifico, id renovo et confirmo.

Quidquid neglexi offerre Tibi ex actionibus meis, id hoc momento, quantum possum, compenso, et Tibi omnia propter Te offero omnium Angelorum et Sanctorum affectu.

Cum e domo, vel cella egrederis.

Vias Tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas Tuas edoce me. Perfice gressus meos in semitis Tuis, ut non moveantur vestigia mea.

O quanti sunt infirmi et claudi, quibus ambulare concessum non est? Gratias Tibi ago, Domine, quia corpus integrum dedisti mihi, et me hactenus incolumem conservasti.

Sequar Te, Domine, quocunque ieris, quia verba vitae aeternae Tu habes.

Cum regrederis.

Aperite mihi portas justitiae, et ingressus in eas confitebor Domino. Haec porta Domini, justi intrabunt in eam.

Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

Elegi, abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Ad sonitum horologii.

Benedicta sit illa hora, qua Dominus noster Jesus Christus incarnari voluit et pati pro nobis.

Respice in me, Domine, et miserere mei, praesertim in hora mortis meae; et fac me talem in hac hora, qualem me desideras in aeternitate.

O Deus infinite amabilis, quam parum hactenus dilexi Te? Dixi, nunc coepi; da, quod jubes, et jube, quod vis.

Quam poenitet me temporis, cujus inutiliter jacturam feci? Utinam illud possem revocare, ut in rebus Tibi placitis totum insumerem.

Ecce lapsa est hora, Deus meus, et nullum in me sentio amoris incrementum. Utinam geminatis ignibus hanc jacturam resarciam.

Quanta est misericordia Tua, Domine, quia me usque ad hanc horam tolerasti? Gratias ago et doleo, quod tam ingratus fuerim.

Offero Tibi, aeterne Pater, quidquid dixero, fecero,

cogitavero hac hora. Utinam eam utiliter transigam ad majorem Tui gloriam.

In dolore et quacunque tribulatione.

Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Auge, Domine, dolores, auge afflictiones; sed auge etiam patientiam. Hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas.

Recordare, Domine, fragilitatis meae, et dic Angelo percutienti: Cesset jam manus tua. Verumtamen non mea, sed Tua voluntas fiat.

Tu es refugium meum, Jesu crucifixe, in tribulatione, quae circumdedit me; exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Si vis, Domine, omnia mala poenae libenter patiar pro Te, sine ulla consolatione. Omnia volo, nihil volo.

Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me. Propter Te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Gratias ago Tibi, Deus, quia voluntas Tua in me adimpletur, qua voluisti ab aeterno, ut haec mihi evenirent. Offero ea Tibi ad gloriam Tuam, in unione passionis Christi.

Tuus sum ego, Domine, Tu scis, quid mihi expediat. Offero me Tibi in omne beneplacitum Tuum.

Gratias Tibi ago, quia nos etiam invitos recte fingis, et per externum hominem internum purgas.

O Amor, ea intentione, qua poenam istam de corde Dei mihi attulisti, Tibi committo; ut eam in summa gratitudine ibidem reconsignes.

Tibi, Domine, haec omnia patior. Sit Nomen Tuum

benedictum in saecula, Qui voluisti, hanc tribulationem venire super me. Sicut placuit Tibi, ita factum est.

In prospero successu.

Non nobis, Domine, non nobis; sed Nomini Tuo da gloriam. Fallax est honor mundi, fallaces hujus vitae consolationes; satiabor, cum apparuerit gloria Tua.

Valde quidem me consolatur res ista, Domine Jesu; eam tamen nolo, nisi a Te, in Te et propter Te, paratus ea carere, quoties volueris.

Nolo, Domine, hic consolari et foelix esse; sed affige me in praesenti, ut misericordiam in fine consequi valeam.

Benedictus es, Domine, Qui adjuvisti me, et consolatus es me; cum mihi minimo et infoelici nulla debeatur consolatio, nulla prosperitas.

Refulge cordi meo, veritas summa, ut mihi ipsi vilescam ac omni humana consolatione me indignum existimem.

In omni tentatione.

Salvator mundi, salva nos, Qui per crucem et sanguinem Tuum redemisti nos, auxiliare nobis, Te deprecamur, Deus noster.

Confige timore Tuo carnes meas, a judiciis enim Tuis timui.

Tu, Domine, Qui ad exercitium facis, ut sentiam, adjuva me, ne consentiam.

Excita, Domine, potentiam Tuam, et veni, et exurge in adjutorium mihi.

Da mihi, Domine, patientiam et pacem, ne perdam

coronam in coelo. Tu enim dixisti: In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Inclina cor meum in testimonia Tua, et esto mihi turris fortitudinis a facie inimici.

Tu scis, Domine, quam libenter puram animam Tibi exhiberem; sed quia immundum vas habeo, plenum tentationibus; ipsum Tibi offero, quale est. Munda illud sanctissimo sanguine Tuo, ut divini influxus capax efficiatur, Tibique in gratia acceptum fiat.

Cum te allici sentis ad complacentiam ex pulchritudine, vel alia perfectione creaturarum.

Ecce isti sunt rivuli, Domine, Deus meus, qui ex Te, vero et increato fonte omnium bonorum dimanant; hae sunt guttae inexhausti maris Tuae ineffabilis bonitatis.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem, ne per fenestras oculorum intret mors in animam meam.

Resisto, Domine, seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam Tuam; et erigo ad Te Invisibilem oculos, ut evellas de laqueo pedes meos.

Multa fecisti Tu, Domine, Deus meus, mirabilia Tua, sed Tu omnium pulcherrimus et perfectissimus es. Quando veniet dies, ut in Te Solo delecter.

Quam callide hic lates absconditus, maledicte serpens, ut me tuo veneno inficias? Benedicta sit bonitas Dei in aeternum, Qui mihi hostem hic latentem et animae dolose insidiantem tam benigne detexit.

In transitu ante Ecclesiam, et in ejus ingressu.

Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si coelum et coeli coelorum Te capere non possunt, quanto minus haec domus?

Tu, Domine, Qui pollicitus es: Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, exaudi orationem servorum Tuorum orantium in templo isto.

Domine, in multitudine misericordiae Tuae introibo in domum Tuam, adorabo ad templum sanctum Tuum, et confitebor Nomini Tuo.

Omnes Sancti et Sanctae Dei, quorum reliquiae et imagines hic sunt, saluto et veneror vos, intercedite pro me.

Salvete, Christi fideles animae, quae hic et ubique requiescitis, requiem aeternam vobis donet, Qui pro vobis passus est.

Ante Crucifixum.

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maxime in illa hora, quando anima Tua egressa est de corpore Suo, miserere animae meae in egressu suo.

Suscipe me, Domine, in manus Tuas, quas in cruce expandisti, protege me ab hoste maligno, et fac me participem crucis Tuae.

Adoramus Te, Christe, et benedicimus Tibi, quia per crucem Tuam redemisti mundum.

Cum aridus es.

Pater coelestis, pro frigida et misera cordis mei ariditate offero Tibi fervida desideria et ardentissimum

amorem dilectissimi Filii Tui, beatae Virginis et omnium electorum Tuorum.

Cum loquendum est.

Jesu, Fili Dei, Qui coram judice tacuisti, tene linguam meam, donec cogitem, qualiter et quid loquar. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.

Ante studium.

Domine Jesu, aeterna Sapientia, purga animam meam igne amoris Tui, illumina intellectum, memoriam confirma, ut bonas literas discam, quibus Te Unum sapiam et diligam; quia extra Te quisquis sapit, desipit.

In aspectu horti amoeni.

Exorna, Dilecte mi, virtutum floribus animam meam. Utinam in me floreat lilium castitatis, humilitatis viola, rosa caritatis!

In aspectu pulchrae domus.

Quam dilecta tabernacula Tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Melior est dies una in atriis Tuis super millia. Beati, qui habitant in domo Tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt Te.

Dum grata quaelibet et pulchra vides.

Ecce Tu pulcher es, Dilecte mi, ecce Tu pulcher es, fons pulchritudinis; exorna splendore gratiae animam meam, quoniam denigrata est super carbones facies mea, propter multitudinem iniquitatum mearum. Ne sinas me donis Tuis abuti contra Te.

In aspectu rei deformis.

Facti sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt; tolle a me, Domine, peccati deformitatem.

Cum pluit.

Irriga, Domine, arentem animam meam, ut fructum boni operis reddat temporibus suis.

Cum sudum est.

Dissipa, Domine, a corde meo nubeculas terrenorum affectuum, et lucis Tuae radiis illustra animam meam. Refulge super me, Sol justitiae; et splendoribus Sanctorum illumina cor meum.

Cum oculis occurrunt vana.

Quid mihi est in coelo, et a Te quid volui super terram? Averte oculos meos, ne videant vanitatem, in via Tua vivifica me.

Cum vaniloquia auribus insonant.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex Tua.

Cum occurrit peccandi occasio.

Qui elongant se a Te, Domine, peribunt; perdidisti omnes, qui fornicantur abs Te. Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

Ad Nomen Jesu.

Utinam potestatem haberem, coelum et terram, et infernum cum omni creatura Tibi dulcissimo et fidelissimo amatori inclinandi ac subjiciendi.

In aspectu arborum.

Laudate Dominum, ligna fructifera et omnes cedri. Ah, bone Jesu, quam adhuc imperfecte Tibi servio,

et tamen plantatus sum secus decursus aquarum gratiae Tuae. Adjuva me, ut fructum afferam in patientia.

In aspectu volucrum.

Benedicite, omnes volucres coeli, Domino. Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam? Eleva me, Domine, a terra, ut alis amoris ad Te volem.

In aspectu bestiarum.

Bestiae et universa pecora, laudate Nomen Domini. Da mihi, Domine, cognoscere dignitatem meam, ne fiam sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In aspectu ignis.

Ignem venisti mittere in terram, Deus meus, et suades mihi, ut emam a Te aurum ignitum; accende Tu illum in me, ut liquescam amore Tuo.

In aspectu aquae.

Anima mea sicut terra sine aqua Tibi, sitit ad Te, fontem vivum. Irriga me, et potum da mihi in lacrymis in mensura.

In aspectu coeli.

O magna domus Dei, quam vilis mihi fuisti? Poenitet me, Domine, da mihi constantiam in servitio Tuo. Coeli coelorum, laudate Deum. Quando aperiemini mihi, ut inveniam Eum, Quem diligit anima mea?

In alia quacunque occasione.

Nihil prorsus homini occurrit, ex quo non possit varias ad Deum aspirandi occasiones elicere, quicunque

studet Christianae perfectioni. Nam ut suprascriptis oratiunculis et exercitiis alia quaedam in exemplum adjiciam: Si tibi occurrat aliquis infidelis, orabis pro illo, et actum fidei elicies. Si coecus, claudus, vel aliqua aegritudine affectus; eorum misereberis, et Deo gratias ages, Qui membra integra tibi corpusque validum dedit. Transiens Xenodochia, ora Dominum, ut det omnibus patientiam et consolationem. Cum legis, audis aut vides aliquid ad laudem Dei pertinens; gaude multo magis, quam si laudes tuas audires. Cum videris aliquem peccantem, vel blasphemantem audieris, statim in spiritu contristare et Deum pro illo precare. Si angit te desiderium placendi hominibus, cogita, quod, qui hominibus placent, Christi servi non sunt; et opta Deo Soli placere. Cum recordaris alicujus peccati, elice actum contritionis. Si musicam et concentum audis, ora cum Caecilia, ut fiat cor tuum immaculatum, Deoque psalle in cithara cordis, et ad gaudia Angelorum suspira. Si mundi pompam vides, et hominum superbiam, eam detestare, et dic: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Ex aspectu judicum, principum et praelatorum, timorem concipe divinae justitiae, et ora pro illis, actumque elice obedientiae. In introitu alicujus oppidi vel civitatis, Angelos et Sanctos tutelares, quorumque imagines et reliquiae ibi sunt, venerare, et ora pro habitantibus. Ad imaginem quoque Angelorum et Sanctorum actum Duliae exerce, et opem eorum efflagita. Cum se offert imago Evangelistarum, vel Doctorum scribentium, ora, et dic: Scribite me, Sancti Dei, in libro afflictorum, quia

affligi semper desidero propter Deum; scribite me cum sanctis Martyribus; scribite me in corde Jesu et in corde Mariae, ut nunquam obliviscantur animae meae. Si apparet arcus coelestis, benedic Eum, Qui fecit illum, et ora pro pace. Si terram excoli cernis, considera, qua diligentia agrum animae tuae colere debes, et roga pro fructibus terrae. Si bene operantes conspicis, congaude, et opta fieri eorum particeps, et ora pro tua et ipsorum perseverantia. Plura suggerent usus et unctio.

Cum vespere accenduntur lucernae.

Tua nos, Domine, veritas semper illuminet, et ab omni pravitate defendat.

Domine, apud Quem nihil est obscurum, nihil tenebrosum; emitte lucem Tuam cordibus nostris, ut in via Tua ambulantes nihil patiamur erroris.

Te, lucem veram et lucis auctorem, deprecor, ut digneris, a me tenebras depellere vitiorum et clarificare me luce virtutum.

Veni, coelestis amor, et fulgidissima facie Tua discute noctem ignorantiae meae.

O amor, decus et lux virtutum omnium, explica pompam radiorum Tuorum in domo cordis mei, ut in lumine Tuo Te videam, lumen aeternum.

Ante somnum.

Fac me, Jesu dulcissime, super pectus Tuum requiescere; da mihi trahere anhelitum de mellifluo corde Tuo; influat Spiritus Tuus suavissimus in animam meam, Qui eam absorbeat et inseparabiliter Sibi uniat.

Tu, quaeso, mecum maneas mecumque dormias hac nocte, ut dormiente corpore mens semper ad Te vigilet, et Te praesentem videat.

Deus, Creator corporis mei et animae, respice me misericordia Tua, ne tenebricosa peccati caligine involvar.

Modera somnum meum, Deus meus, quem sumi praecepisti ad corporis alleviationem; pervigiles concede cogitationes et mentem sobriam, ne me gravis opprimat sopor.

Peto, Domine, et desidero, ut singulae respirationes meae hac nocte laudem et honorem Tibi exhibeant.

In manus Tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Veni, divine amor, et Tu mihi somnia dispone, ut in Tuum amorem tanquam in somnum suum incumbat cor meum, et in Te Solo requiescam nunc et in aeternum. Amen.

Cum quis nocte expergiscitur.

Deus, propitius esto mihi peccatori; educ me de tenebris et umbra mortis, et dic de tenebris lucem splendescere.

Voca me, Domine, in admirabile lumen Tuum; et illumina tenebras meas, Tu lux filiorum lucis, Tu dies, Qui nescis occasum.

Tuere me, Domine, ne tenebricosa peccati caligine involvar; eripe me ab omni inquinamento carnis et spiritus.

Fiat mihi nox ista illuminatio mea in deliciis meis, quoniam memor fui nocte Nominis Tui, Domine.

In lectulo meo quaesivi per noctem, Quem diligit

anima mea. Doce me, Domine, quaerere Te, et ostende Te quaerenti.

Anima mea desideravit Te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis; de mane vigilabo ad Te, splendor paternae gloriae.

Nox est, et alta rerum quies, ac profundum silentium. Amemus Deum nostrum, anima; nam amor secretum optat.

Ardeant Tibi et luceant, Deus meus, sidera Tua, et tot accende taedas amoris in corde meo, quot in coelo splendent stellae.

O si animus ad amoris lucernam vigil haereret, dum somnum corpus capit, ita ut dicere possem cum sponsa: ego dormio, et cor meum vigilat! Da mihi, Domine, cum necessaria somni quiete perpetuam amoris vigilantiam.

Gratias ago Tibi, Deus meus, quia, dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo Tuus e regalibus sedibus venit, ut eos illuminaret, qui sedebant in tenebris et umbra mortis.

Gemitus animae poenitentis.

Decas I.

Domine, Deus meus, ego vilissimus sum peccator; indignus plane, quem terra sustineat. Miserere mei et salva me.

Domine, Qui es summum bonum meum, quam longe per peccatum recessi a Te, et habito in regione hac longinqua miseriarum, ubi perdidi me.

Pater amantissime, peccavi in coelum et coram Te, vere non sum dignus vocari fiilius Tuus, fac me, obsecro, sicut unum de mercenariis Tuis.

O quam poenitet me peccasse, dulcissime Deus, quam poenitet me, quod legem Tuam transgressus sum; amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Domine, Deus meus, detestor peccata mea, abominor universa flagitia mea, confiteor ingratitudinem meam, et confugio ad aram misericordiae Tuae.

Ablue me, Christe Jesu, pretioso sanguine Tuo, et munda me ab omni peccato.

Sana, Domine, animam meam peccatis vulneratam, unge oleo gratiae Tuae cicatrices delictorum meorum, ne, quaeso, despicias me.

Domine, Deus piissime, ab hac hora nunquam transgrediar legem Tuam, nunquam amplius consentire volo in aliquod peccatum; malo incurrere omnem poenam. omnem infamiam, atque ipsam mortem, quam deinceps peccare.

O Pater amantissime, da mihi, ut faciam fructus dignos poenitentiae, et puniam delicta mea debita castigatione.

Erravi sicut ovis, quae perierat, audio tamen dulcissimam vocem Tuam; Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen ad Me revertere, et Ego suscipiam te.

Decas II.

Nunc coepi, Domine, nunc vivere incipio, non in fortitudine mea, neque in virtute brachii mei, sed in

multitudine miserationum Tuarum; confirma hoc Tu, quod operatus es in me.

Tu, Domine, integros sensus et cor docile tribuisti mihi; sed heu me miserum et infoelicem, quia omnibus bonis Tuis abusus sum! Tu vero, Pater misericors, peccantem revocasti et a poenis inferni liberasti.

Doleo et angor vehementer ob innumera peccata mea, quibus Te, benignissimum Redemptorem, offendi, diaboli servum me feci, indignationem Tuam provocavi.

O si nunquam, amantissime Pater, praecepta Tua transgressus essem! o si nunquam in tantam miseriam et calamitatem incidissem! o si nunquam peccassem! o illos foelices, qui innocentiam non perdiderunt, qui baptismatis gratiam illibatam custodierunt!

Statuo, summe Deus, in posterum non peccare; firmissime propono Tua sanctissima praecepta non transgredi; vere et ex corde decerno cum adjutorio gratiae Tuae universam legem implere.

Respice in me, Domine, oculis misericordiae Tuae, dele praeterita peccata mea, concede mihi per bonitatem Tuam gratiam emendationis.

O quanta fuit hactenus ignavia mea! tempus ad poenitentiam concessum perdidi, gratiam et auxilia rejeci, vocibus Tuis, quibus me vocabas, obsurdui; et nunc, Domine, quid faciam? Poenitet me peccasse, miserere mei.

Eheu Domine Deus, quanta sunt vulnera mea, quanta infirmitas et pravitas mea, pro quibus sanandis crucifixus es et occisus.

Deus, propitius esto mihi peccatori; Jesu, Fili Dei vivi, miserere mei.

Dominator vitae meae, ecce vides, quia non est in me bonum, nec sanitas animae meae; miser et coecus sum, nihil possum, nihil sum sine Te.

Decas III.

O Salvator piissime, Tu scis, quot mala commisi, quot bona omisi; propitius esto mihi, et salva me.

O magna domus Dei, quam vilis mihi fuisti, et quam turpiter Te pro nihilo contempsi?

O quam juste me in infernum detrudere poteras, justissime Judex, et mihi clementer pepercisti.

Confiteor, Domine, me omnium, quos mundus habet, vitiosissimum esse; sed nihilominus in immensa confido bonitate Tua. Et si sunt super numerum peccata mea, non est etiam numerus misericordiae Tuae.

Deus, Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a Te non sunt abscondita. Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris.

Deus meus, misericordia mea, oro Te per dilectum Filium Tuum, da mihi virtutes amplecti, vitia rejicere, terrena calcare, coelestia sitire.

Vae tempori illi, quando Te non cognoscebam summum bonum animae meae; vae coecitati illi, quando Te non videbam.

Domine, Deus meus, quando plene mihi moriar, et Tibi vivam? quando me ab omnibus rebus terrenis expediam? quando sensus meos et affectus plene cohibebo, et quidquid est in me vitiosum froenabo?

O si jam mundum contemnerem! o si terrena calcarem! o si, quod amant mundani, pro nihilo ducerem! Utinam ab omni vitio purgatus, et ab omni inordinata affectione emundatus divino illapsu dignus essem, et coelestium charismatibus gratiarum!

Decas IV.

Mortifica, Domine, passiones meas, cohibe illas, et moderare amore et praesentia Tua, ne me perturbent; sed magis ad id juvent, cujus gratia eas dedisti, ad bonas scilicet operationes.

Amove a corde meo inanes cogitationes, et verear illud evolvere in conclavi animae meae, ubi Tu habitas, quod si ad notitiam hominum venturum esset, cogitare erubescerem.

Vilescat mihi, Domine, omnis creatura, et nihil mihi placeat, nisi Tu.

Dulcis Jesu, quam amabilis est gratia Tua, quam suavis amicitia Tua? ne, quaeso, abjicias me propter peccata mea.

Ne projicias me, Deus, a facie Tua, accelera, precor, et sensus meos erue cito de luto foecis.

Ablue me, Domine, pretioso sanguine Tuo, sana me vulneribus Tuis, sanctifica me amarissima passione et morte Tua.

Qui plasmasti me, et per crucem Tuam redemisti mundum, adjuva me, et miserere mei.

Aperi mihi viscera benignitatis Tuae, clementissime Pater, recipe me in gratiam Tuam, et dimitte omnia peccata mea.

Da mihi, Domine fortis et patiens, tantam contritionem, quantam scis deberi peccatis meis. Peccavi, miserere mei.

Hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas; hic me castiga, et noli in futurum reservare mala mea.

Decas V.

Peccavi super numerum arenae maris; indignus sum, Domine, miserationibus Tuis, sed misericordia Tua superat scelera mea.

Nonne dixisti, Domine, gaudium esse in coelo super uno peccatore poenitentiam agente? exple igitur hoc gaudium in coelis de me.

Tu, Domine, Qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, largire mihi vitam, qua destituor.

Venistine, Domine, ut justos traheres ad Te, an ut peccatores? Si peccatores? ecce me maximum omnium, trahe me ad Te.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam Tuam; et secundum multitudinem miserationum Tuarum dele iniquitatem meam.

Asperge me, Domine, sanguine Tuo, et super nivem dealbabor.

Cor mundum crea in me, Deus, detersis sordibus animae meae.

Redemptor animae meae, quamdiu avertis faciem Tuam a me, et non succurris gementi?

Ecce me filium prodigum, et prodigo deteriorem; miserere, Pater, et dona me annulo, et veste, et dignum fac amplexu Tuo.

Non sit frustra pro me fusus sanguis Tuus, dulcissime Salvator, sed in salutem et vitam aeternam.

Decas VI.

Quousque non mederis vulneribus meis, medicorum peritissime et clementissime Jesu Christe? Ecce coecus sum ad videnda, quae recta sunt, claudus ad preces, paralyticus ad opera bona; miserere, et sana me.

Sanguine Tuo medere mihi, Domine, et cura vulneribus Tuis vulnera mea.

Domine, ne in furore Tuo arguas me, neque in ira Tua corripias me.

Ecce ego servus Tuus sum, et filius ancillae Tuae, laetifica animam servi Tui, quoniam ad Te, Domine, animam meam levavi.

Non mereor filii nomen, et tamen Tu Pater es; semper sis, ut semper sim filius.

Deus, Tu scis insipientiam meam, et delicta mea a Te non sunt abscondita. Utinam non peream in insipientia mea.

Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et Tu remisisti impietatem peccati mei.

Non veniat mihi pes superbiae, et manus peccatoris non moveat me.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo Tuo.

Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me.

Decas VII.

Non intres in judicium cum servo Tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens. Misericordia indigeo, pacem quaero, non judicium.

Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

Ostendo Tibi, Pater, immania delicta mea, quae libentius occultarem, si possem, et obliterarem sanguine cordis mei. Atque utinam aboleantur una gutta sanguinis dilectissimi Filii Tui, Redemptoris mei, ne appareat coram Te foeditas mea.

Heu me, Domine, quia pejor daemonibus sum, et in natura quidem manifestum est, in moribus etiam fateor, nam video plura in me peccata, quam in illis.

Confiteor Tibi, Deus meus, dedecora mea in laude Tua; recolo coram Te scelera mea, non quod ea amem, sed ut amem Te, lumen oculorum meorum, et fontem misericordiarum.

Purissime et sanctissime Deus, malo millies mori, quam Te velle levissime offendere.

A nullo hoste magis timeo, quam a me ipso. Quis me custodiet a meipso? Non utique ego. Nisi enim Tu custodieris me, frustra ego vigilo ad mei custodiam.

Veni, Domine, ad me, quia longe recessi a Te. Doce me venire ad Te, non enim possum, nisi Tu, Qui es via, doceas me.

Detestor peccata mea, Deus meus, corde Salvatoris mei. Sicut cor Jesu ea flevit, ita ea ploro et abominor.

Quis mihi det, ut sit magna velut mare contritio

mea, ex quo lacrymarum flumina exeant, et in illud intrent, ut iterum ac perenniter fluant?

Decas VIII.

O ubi estis, lacrymae, ubi dolores? Deserite omnes, et in me tot scelerum reum agminatim irruite.

O quam bonum erat mihi, si natus non fuissem; neque enim vitam mihi dedisti, ut Te offenderem, Deus meus.

O sol, mundi ocule, Qui me toties peccantem aspexisti, utinam me deinceps non nisi dolentem et lugentem aspicias!

Contremiscite, omnes artus mei, ad horrificum nomen peccati. Et vos omnes creaturae, vindicate in me creatoris offensam.

O qualem Deum offendi, quam amabilem, quam amantem mei, Deum dilectionis, beneficentiae et bonitatis?

Quid iniquitatis inveni in Te, o bone Jesu, ut tam crudeliter, tam impie agerem Tecum?

O si quod factum est, possem infectum reddere! o si tempus praeteritum revocare! quam libenter cum perdita innocentia vitam commutarem?

Poenitet me peccasse, Deus meus, semperque poenitebit; et, si possem, infinito dolore dolerem, quod offenderim Te.

Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam Tuam.

Vide, Domine, afflictionem meam amaram nimis; quia non est, qui auxilietur mihi, nisi Tu Deus meus.

Decas IX.

Siccine permittis, Domine, me indignissimam creaturam Tuam a terra sustentari? o quanta est bonitas et misericordia Tua!

Placare, Domine, et ostende mihi serenum vultum Tuum.

Ecce Deus Tuus, anima mea, ecce Qui delet peccata tua; vide, quanta pro te pertulit, quanta charitate te diligit; cave, ne unquam ab Eo discedas.

Hoc unum a Te peto, Domine mi, exaudi me, ut non peccem, ut cognoscam et faciam voluntatem Tuam.

Veni, Domine, in cor meum, fac flagellum de funiculis, et ejice ab eo omnes profanantes domum Tuam.

Da mihi, Jesu benignissime, unam ex Tuis lacrymis, quas pro me uberrime effudisti, ut eam offeram Patri Tuo in satisfactionem pro peccatis meis.

Recipe fugitivum Tuum, clementissime Pater, pateat mihi pulsanti janua Tua, accipe me fugientem ab inimicis.

Mortifica et avelle a me quidquid displicet Tibi; vivifica et auge in me, quod Tibi placet, Tu, Qui mortificas et vivificas.

O Pater amantissime, si vis, potes me mundare. Sana animam meam, quia fateor, me peccasse.

O si omni vitio carerem! o si sensus ab illicitis objectis cohiberem! o si totus compositus intus et foris essem! Quando, quando ab omni labe purus ero? Quando ita expurgatus et ordinatus, ut nihil appareat in me, quod intuentium oculos possit offendere? Adjuva me, Domine, Deus meus, et peccatricis animae meae ablue sordes.

Pia desideria ad usum Proficientium.

Decas I.

Illumina, Domine, oculos mentis meae lumine fidei et sapientiae, ut Te semper respiciam tanquam exemplum mihi datum ad vitam sancte instituendam.

O si vires animae meae, Christe dulcissime, per vires sanctissimae animae Tuae perficeres et reformares! Utinam imaginem Tuam in me animo et corpore effingam!

Deus meus, et vita animae meae, quis ego sum, et quae domus Patris mei, ut praestares mihi tot beneficia? A Te, Domine, et ad Te creatus sum; Tu requies mea, Tu centrum animae meae.

Bone Jesu, spes mea et refugium meum, saluto et veneror suavissima vulnera Tua; immerge me et absconde in illis; imprime illa cordi meo, ut Tui amore totus ardeam, et medullitus Tibi compatiar.

Da mihi, Domine, intentionem rectam, ut ex filiali amore Tuum honorem et beneplacitum in cunctis quaeram. Da intentionem perfectam, ut nec spiritualem consolationem exquiram, sed in omni desolatione Tibi adhaerere concupiscam.

Tolle, Domine, a corde meo nimium amorem mei, et infunde perfectum Tui amorem; tolle cor servi pigri et minus fidelis, et da cor filii per sanctam fiduciam in Te sperantis.

O si Tui dumtaxat recordarer, Te Solum cogitarem, Te Solum diligerem!

O si januas sensuum meorum rebus mundanis oc-

cluderem, cunctisque virtutibus ornarer, ut Tibi per omnia placerem?

O si mentem meam ab omni multiplicitate expedires, o si eam penitus in Te colligeres!

Quaeram Te diligenter, summum bonum meum, Te sollicite cupiam, immensa pulchritudo mea, ad Te velociter curram, vera requies animae meae.

Decas II.

Discedite a me, creaturae omnes, vestrarum curarum me expertem relinquite, ne impediatis salutem animae meae, nec me ab assidua Dei memoria interpellatis.

Ne me permittas, Domine, in salebra tepiditatis haerere, et caligine ignorationis obvolvi; sed expedi vires meas, ut ad perfectionem velociter curram.

In Tuum pretiosum sanguinem me totum projicio, ut universa delicta mea et imperfectiones absorbeat, ac in humilitate, patientia caeterisque virtutibus contineat.

Hoc unum volo, Domine, hoc unum desidero, hoc unum peto, ut benignis oculis respicias me.

Illumina cor meum, accende affectum, robora manus, ut eum virtutis gradum, ad quem sum destinatus, per Tuam misericordiam adipiscar.

Praesta, Domine, ut per mei perfectam abnegationem ad perfectum Tui amorem perveniam. Tu jussisti, ut diligam Te, da, quod jubes, et jube, quod vis.

Seda, precor, tentationum procellis agitatam animam meam, Tu, Qui mari terminos ponis, et dicis: Huc usque venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos.

Adorna, Rex Sion, thalamum animae meae, sponsae Tuae, ut nihil admittat, quod non sit honestum et decorum, nihilque in ea appareat, quod displiceat oculis Tuis.

Utinam, Domine, Deus meus, vere mitis essem, et humilis corde; vere pauper et nudus spiritu.

Ecce, Domine, constituo me in infimo loco, infra omnem creaturam, quia peccator sum et omnium indignissimus.

Decas III.

Omnem voluntatem meam in Tuam, Domine, transfundo; fiat voluntas Tua de me et per me in tempore et in aeternitate.

Conforma me, suavissime Jesu, sanctissimae humanitati Tuae, et da mihi liberam ad Te introversionem.

Instrue, dirige et adjuva me in omnibus, ut nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod Tibi sit acceptum.

Benedico et gratias ago omnipotenti clementiae Tuae, Domine, Deus meus, nam quidquid mihi impendi potuit a largitate Tua, recepi semper inaestimabiliter supra condignum.

Domine, quid me vis facere? fac, ut vivam in beneplacito Tuo.

Da mihi, Domine, mentem tranquillam, et excita in me castae dilectionis ardorem.

Illucesce mihi anhelanti ad Te, ne tenebrae mortis me comprehendant.

Quam bonum est, pati pro Christo, pro Christo affligi, contemni et mori?

Ave, dulcis Jesu, Qui pro me mori dignatus es, ne permittas me damnari, quem Tuo pretioso sanguine redemisti.

O dulcis societas, semper esse cum Christo; o dulcis vita, cum Christo vivere, cum Christo pati et mori!

Decas IV.

Serviat Tibi, Domine Deus, quidquid ago, quidquid loquor, quidquid cogito: omne opus a Te incipiat, in Te finiatur.

Servus Tuus ego sum, da mihi intellectum, Domine, ut discam mandata Tua; nolo mei ipsius esse, Tu libera me ab omni proprietate.

O quam suave est sedere in solitudine, et tacere, cum Solo Jesu loqui, Solum Jesum meditari, in Quo sunt omnia bona?

Planta in me, Domine, radices solidarum virtutum, et fac excrescere cum viriditate boni operis, ne velut arbor infructuosa otiosus sim in domo Tua.

O dulcis Jesu, fons omnium bonorum, fons vitae et gratiae, dirige gressus meos in semitis Tuis, et doce me facere voluntatem Tuam.

Cor meum evacua ab omni creatura, et ab omni impedimento; fac, ut sim purus et simplex, ac totus in Te defixus; ut nihil respiciam, nihil amem in creaturis, nisi quod Tuum est, et propter quod creatae sunt.

Da mihi fervorem Spiritus Tui, Jesu amantissime, accende in me ignem, quem venisti mittere in terram, ut Tibi Soli placere studeam, et ab omnibus propter Te despici exoptem.

O unice dilecte Jesu, ne derelinquas me desolatum in hoc exilio; sed sicut promisisti, ita mecum age, ut vadas et venias iterum ad me tempore opportuno, donec finito probationis certamine assumas me ad Teipsum.

Domine, virtus mea, sis in omnibus benedictus, in quibus me affligis; voluntatem Tuam adimple in me, scio enim, quod nihil potes agere injuste.

Oro Te, Deus meus, eripe distractum et captivum animum meum ab omnibus concupiscentiis et corporalibus imaginibus, ut Teipsum in me illuminata ratione inveniam, Qui me ad Tuam pretiosam et incorruptibilem imaginem fecisti.

Decas V.

Deus meus, omne bonum meum, quando replebis me gratia et charitate Tua, ut cognoscam, quod Tu sis mihi omnia; quodque vero extra Te nihil sint omnia?

Orere mihi, lux sempiterna, et inclinentur umbrae vanitatis meae, ut ne atomus quidem me separet a Te, aut obumbret mihi.

O quam suavis est, Domine, Spiritus Tuus, et quam dulcia faucibus meis eloquia Tua? utinam semper eorum memor sim ad faciendum ea.

Domine Deus, desidero laudare Te pro omnibus, qui Te ignorant, vel blasphemant sive in terris, sive in inferno.

Intuere me oculis misericordiae Tuae, et justitiam Tuam longe fac a me, Deus meus, amor meus.

Tu scis, Domine, quia amo Te; repelle a me quidquid displicet Tibi.

Nihil habeo, quod offeram Tibi, praeter lacrymas contriti et amantis cordis; suscipe eas, et misce sanguini Tuo, benignissime Jesu.

Tibi, Domine, hoc corpus nutrio, Tibi conservo hanc vitam; vires mihi largire, ut serviam Tibi.

Utinam efficere possem, dulcissime Deus, ut omnia gaudia, quae sunt et erunt in mundo, non sint nisi de Te. In Te enim verum gaudium, in Te vera consolatio.

Posside, bone Jesu, cor meum, et reple illud gratia Tua.

Decas VI.

In Te vivam, in Te moriar, suavissime Jesu, et tam in vita, quam in morte cantabo Tibi, quia bonus es et in aeternum misericordia Tua.

Absorbe, Domine, concupiscentiam meam dulcedine Tua, quam abscondisti timentibus Te, ne interior gustus vanis illectus et deceptus ponat amarum dulce, et dulce amarum.

Confugiat, Domine, mens mea sub umbra alarum Tuarum ab aestibus cogitationum hujus saeculi, ut in Te abscondita cantet: In pace, in idipsum dormiam et requiescam.

Da quaeso, Domine, cordi meo, Te desiderare, desiderando quaerere, quaerendo invenire, inveniendo amare.

Fac me funditus mori huic mundo, et transeuntium rerum oblivisci prae magnitudine timoris et amoris Tui, ut nihil temporale diligam aut metuam.

Deduc me, Domine, in justitia Tua propter inimicos meos, dirige in conspectu Tuo viam meam.

Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum.

Perfice gressus meos in semitis Tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Tu, Qui dixisti: Si quis sitit, veniat ad Me, et bibat, da sitienti animae meae semper bibere ex Te, ut secundum promissionem Tuam fluant aquae vivae de ventre meo.

Expelle a me, omnipotens Deus, jactantiam mentis, et auge cordis compunctionem; minue superbiam meam et perfice in me veram humilitatem; libera me ab insidiis inimici, et conserva in Tua voluntate.

Decas VII.

Cognoscam Te, Domine, virtus mea, inveniam Te, desiderium cordis mei, diligam Te, vita animae meae.

Tibi laus, Tibi gloria, Tibi gratiarum actio in saecula sempiterna, o beata Trinitas, pro omnibus contumeliis, quae Tibi ab impiis inferuntur.

Laudo Te, Amor dulcissime, et glorifico Te pro omnibus, et in omnibus bonis, quae Tua gloriosissima divinitas et beatissima humanitas operata est in nobis per nobilissimum instrumentum cordis Tui, et operabitur in saecula saeculorum.

In Te projectus sum ex utero, de ventre matris meae, Deus meus es Tu, ne discesseris a me.

Dominus, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus, protector vitae meae, a quo trepidabo?

In manus Tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Complaceat Tibi, Domine, ut eruas me; Domine, ad adjuvandum me respice.

Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi; dic animae meae: Salus tua Ego sum.

Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in Te confidit anima mea.

Sitivit in Te, Deus, anima mea, quam multipliciter Tibi caro mea.

Decas VIII.

Miserere mei, Deus omnium, et ostende mihi lucem miserationum Tuarum.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino, laudate et superexaltate Eum in saecula.

Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animae meae.

Deus, in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam Tuam, tota die magnitudinem Tuam.

Domine, Deus virtutum, quis similis Tibi? potens es, Domine, et veritas Tua in circuitu Tuo.

Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me; quia mandatis Tuis credidi; doce me justificationes Tuas.

Quo ibo a Spiritu Tuo, et quo a facie Tua fugiam? Si ascendero in coelum, Tu illic es, si descendero in infernum, ades.

Ad Te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in Te confido, non erubescam.

Vidi praevaricantes, et tabescebam; quia eloquia Tua non custodierunt.

Decas IX.

Quis similis Tui in fortibus, Domine, quis similis Tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.

Opto, Domine, patiens esse, et humilis, et resignatus; Tu pro me supplere digneris, quidquid mihi deest in his virtutibus.

O quam desidero humilitatem habere? Da mihi thesaurum humilitatis Tuae, humillime Jesu Christe.

O quantum desidero pati pro Te, amantissime Jesu? Tametsi induxeris omnes fluctus Tuos super me, laetus omnia tolerabo per gratiam Tuam ob amorem Tui.

Recordare, Domine, quia Pater meus es; ecce anima mea nuda est, indue eam virtutibus Tuis; ad patrem enim pertinet, nudam et pauperculam filiam vestire.

Quid volo praeter Te, Domine, aut quid mihi prodessent omnia sine Te? Tu solus sufficis animae meae.

Quam vani sunt homines, qui Te non quaerunt; quam miseri et avari, quibus Tu non sufficis?

O si omnium hominum quotquot fuerunt, sunt et erunt, corda et voluntates solus haberem, ut iis Te summe diligerem, unicum bonum meum?

In Te, Domine, speravi, non confundar in aeternum. Et si Angelus de coelo assereret mihi, me projectum esse a facie Tua, non crederem illi. Et si Tu Ipse, summe Deus, diceres mihi: Ego in aeternum te damnavi, nolo audire preces tuas. Ignosce, Domine, in hac re non crederem Tibi; sed etiam, si occidas me, et in inferno demergas me, semper in Te sperabo.

Da mihi, Domine, vulnera Tua; abhorreo enim videre cor meum, nisi vulneribus plenum, cum Te adeo crudeliter pro me videam Crucifixum. Non possum vivere sine vulnere, cum Te undique videam vulneratum.

Suspiria amantis Animae pro Perfectis.

Decas I.

O dulcedo cordis mei, o vita animae meae, o essentia essentiae meae, et jucunda requies spiritus mei, abstrahe me ab omnibus creaturis, ut solum requiescam in Te.

O Domine, Deus meus, spes mea et refugium meum, o dilecte votorum meorum, quando omnem dissimilitudinem et imperfectionem absumes in me?

O charorum omnium Charissime, o Sponse floride, Sponse melliflue, quando me ornabis illis monilibus, quibus Tibi placebo?

Trahe me post Te, Sponse dulcissime, ut alacriter, pure, perseveranter curram in odorem unguentorum Tuorum.

Effice me hominem secundum cor Tuum, praepara Tibi in me gratam habitationem, ut ad me venias, et mansionem apud me facias.

Inebria me vino charitatis Tuae, o pulcherrime amator meus, uni me Tibi intime, et me totum transmuta in Te.

O ignis increate, quando me totum concremabis flamma ardentissima amoris Tui? quando perempta in me omni proprietate totus Tuus ero?

O dilecte mi, Quem Solum quaero, quando mihi pulsanti et gementi aperies? quando Teipsum mihi manifestabis, et dices: Salus tua Ego sum?

O immensa dulcedo mea, quando me totum in Te rapiens, absorbebis et abscondes? Quod enim est mari, absorbere unam guttam, hoc Tibi est, absorbere me.

O foelicitas mea, o totum et solum gaudium meum, quando sublatis omnibus impedimentis introduces me in cubiculum gloriae Tuae, et me Tibi inseparabiliter agglutinabis?

Decas II.

Quaesivi vultum Tuum, vultum Tuum, Domine, requiram; frustra enim laboro, quamdiu Te non quaero.

Nolo Te sequi, Domine, per viam consolationum et delectationum; sed veri et puri amoris. Nolo id, quod egreditur a Te, sed Teipsum Solum. Te Solum volo, Te Solum desidero; nihil mihi extra Te.

In Te, Domine, est omne esse meum, omnis delectatio mea, omne bonum meum. Si quid meum dico, si meipsum nomino, Te Solum intelligo, Qui Solus meus es, et omnis essentia mea in Te est.

Anima mea sicut terra sine aqua Tibi; effunde ergo, clementissime Deus, largam super me benedictionem de rore coeli, et de pinguedine terrae viventium.

Utinam dirumperes coelos, et ad me descenderes, ut durities mea liquefacta deflueret, et amore Tuo totus ignitus inenarrabilibus Te gemitibus invocarem.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, et cogor ibi vivere, unde mallem abesse; cogor abesse a Te, cum Quo tantopere cupio permanere.

O amor, quam absconditus, quam ignotus es? Te cupio, Domine, nihil aliud. Praebe mihi cor Tuum, et accipe meum.

O si possem velocissime totam terram peragrare, et clamore valido ubique vociferari: Vivat amor Jesu Christi! Vivat amor Jesu Christi!

O superlucida et deliciosa Trinitas, unus Deus, pasce me Tuis influxibus. O simplicissimum et jucundissimum bonum, o bonum incommutabile, imple me Teipso; transfer in Te originem meam; introduc me in fundum animae meae.

O charum principium meum, quando Te foeliciter inveniam? quando Te ardentissime diligam? quando me totum in Te rapies? quando me totum absorbebis, et sine medio Tibi unies?

Decas III.

Quando obdormiam et requiescam in Te, pax mea dulcissima? quando plene adspirabit mihi divinitatis Tuae fragrantia? quando mihi exorietur dies sempiterna Tuae manifestae visionis?

Per Tuum cor transverberatum transfige, amantissime Jesu, cor meum jaculo amoris Tui, ita ut nihil terreni continere possit, sed a sola efficacia Tuae divinitatis contineatur.

Ave, Jesu, Sponse mellifluе, saluto et veneror Te omnium electorum Tuorum affectu. Excita et rege Spiritu Tuo vivifico omnes motus cordis mei.

O amor meus et omne gaudium meum, quando inclinabitur umbra mortalitatis, et adspirabit dies ae-

ternitatis? quando deposita sarcina corporis hujus cum Sanctis Tuis Te perenniter laudabo?

Recipe me, o floride Sponse, inter suavissimos amplexus amoris Tui, quibus constrictus spiritus meus totus ardeat et comburatur.

O bonum super omne bonum, o finis sine fine, quando fruar Te sine modo et sine fine?

Pulcher es, Dilecte mi, et amabilis valde, non carni et sensui; sed animae credenti, mundum cor habenti, et ad invisibilia se transferenti.

Dominus meus, et Deus meus, amem Te Solum propter Te, et nihil amem nisi in Te.

O suavissime coeli splendor, adure cor meum potentissimo charitatis incendio; Tibi viscera mea sacrifico, ut ea aeternis flammis comburas.

Cupio, Domine Jesu, ut quoties aërem ad me attraho, Teipsum cordiali affectu intra me attraham, quatenus omnes cogitationes, verba et opera mea Tuis cogitationibus, verbis et operibus uniantur, et sic unita Deo Patri ad majorem Ejus gloriam repraesententur.

Decas IV.

Da mihi, Domine, ut Te videam sine forma corporea, sine specie imaginaria, sine luce creata. Trahe me post Te extra omnes creaturas.

Malo, Domine, ex voluntate Tua acerbissimas inferni poenas sine fine tolerare, quam sine Te gaudiis perfrui sempiternis.

Demerge, Dilectissime mi, parvulam guttam spiritus mei in immenso pelago bonitatis Tuae, demerge

et absorbe me totum in abysso infinitae misericordiae Tuae.

Veni, suspirata quies amantis animae meae, ut nulli mihi dies, nullae noctes eant sine Te, nullus mihi somnus sine Te; Tibi Soli vivam et moriar.

Quis ego sum, et Quis es Tu, amor meus? Numquid non multum esset, si Te permitteres a me amari? sed et insuper Te amari praecipis, et mihi mortem sempiternam minaris, si Te non amo.

Clementissime Pater, sicut Tu ab omni aeternitate voluisti, antequam ego essem, ita fiat; charior est enim mihi Tua gratissima voluntas, quam operandi libertas.

Quando me laetificabis in regno Tuo, Domine, Deus meus, clarissimo vultu Tuo? Quando omnia, quae credo, lego et audio de Te, et gloria Tua clare et intuitive videbo?

Sileat ante Te omnis creatura, Deus meus, Tu Solus mihi loquaris, adsis et illumines, Qui es omnia in omnibus, et super omnia amabilis et gloriosus.

Vulnera cor meum tam potenti jaculo dilectionis Tuae, ut omnis terrena consolatio amara mihi reddatur, et omni solatio creaturarum libenter caream.

Extingue, Domine, omnes extraneas imagines in corde meo, ut pacem nullibi, sive delectationem vel quaeram, vel inveniam, nisi in Te, dulcissime Deus meus.

Decas V.

O charitas, Deus meus, fac me, obsecro, unum Tecum, sicut Tu et Pater unum estis, et sufficit mihi.

Utinam, suavissime Jesu, ea flamma amoris arde-

rem, qua ardent Seraphim, qua ardet Mater Tua, qua ardes Tu.

O si possem ab omnium cordibus amorem, qui non est Tuus, evellere, et Tuum inserere, ut amore Tuo omnes arderent et languerent?

Amo Te, Deus meus, quia Deus es. Amo Te, aeternitas mea, quia aeternus es. Amo Te, immensitas mea, quia immensus es.

In amoris signum gratulor Tibi, Deus meus, divinitatem Tuam, simplicitatem Tuam, aeternitatem Tuam, omnesque Tuas perfectiones, quae ita sunt in Te, ut idem sint, quod Tu.

Utinam omnia, quae cogitavi, quae sum locutus et operatus, ex puro Tui amore semper fuissent? utinam Te semper amassem?

O si possem, Deus meus, retrovertere annos meos, et peractae aetatis spatia amoris Tui actibus replere? o si Te semper dilexissem, cum alia extra Te dilexi.

Nihilum mei praecessit me a diebus aeternitatis Tuae, Deus aeterne? nunc vero exulto Tibi, factori meo, et cupio annihilari, quidquid in me terrenum est, ut Tu Solus vivas in me.

O aeternitas, quam clare luces, quam blande, quam praecise, quam in puncto? Ad Te secedo a mundo isto sensibili; in Te meum solatium et recreatio est post negotia vitae humanae, post taedium vitae labentis.

Tu desiderium collium aeternorum, dulcissime Jesu; Tu desideratus cunctis gentibus; Tu Sponsus, Tu Rex cordium; Tu amor meus et omne bonum meum.

Decas VI.

Tu scis, Domine, quia, si possem, omnem Tibi laudem, gloriam et honorem tribuerem Tibi, quibus Te laudant, glorificant et honorant omnes Angeli et electi Tui; sed quia impotens ad hoc sum, suscipe saltem desiderium meum et bonam voluntatem.

Exclude a me, Deus, omnia impedimenta gloriae Tuae, et in eo statu me constitue, quem aptiorem fore nosti, ut major Tibi gloria ex me proveniat.

Possideam Te in medio cordis mei, beatitudo sempiterna! possideam Te, summa dulcedo animae meae.

Me Tibi resigno, creator meus, pure propter Te ad omnia officia, loca, casus, eventus, statumque animae et corporis, qui Tibi placuerit.

Nihil a Te peto, Domine, nihil volo, nisi pro majori gloria Tua. Quodsi per ignorantiam, vel errorem aliud peterem, nolo exaudiri.

Si Tibi aequale praestatur obsequium; malo, Domine, desolationem, quam consolationem, ut pro Tui amore aliquid patiar internae afflictionis.

Quia sine Te nihil possum pati pro Te, da mihi multam et magnam gratiam, ut multa et magna patiar pro amore Tuo.

Major es omni laude, Deus meus; et ob id gaudeo, quia quidquid obsequii omnes purae creaturae praestare Tibi quocunque modo conantur, longissime impar est dignitati et magnitudini Tuae.

Quidquid virtutum, piorum actuum et affectuum in libris editis et edendis describitur; quidquid fieri pot-

est Tibi gratum et acceptum, id omne approbo et volo, et cum gratia Tua perficere cupio.

Utinam possem, Deus meus, aliquid hoc momento efficere, quod summe Tibi placeat. En hoc, quod nunc aggredior pure, ad hoc dirigo, ut maximam in eo habeas complacentiam.

Decas VII.

Quaeso Te, Domine, ne patiaris quidquam in me, quod non sit usquequaque Tuum et divinum; et si quid est, illud protinus evelle.

Si scirem, Deus meus, me fore annihilandum, adhuc Tibi omni studio servirem; non enim Tibi servio propter me, sed propter Te.

Da, bone Jesu, ut oratio illa Tua suam vim in me habeat, ut sicut Tu in Patre, et Pater in Te est, ita ego Tecum unus sim voluntate, amore, opere, moribus et vita.

Extingue me, Domine, in corde omnium hominum; et cunctos homines in corde meo occide, ut mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo.

Mitte mihi, Deus, quamcunque vulneris afflictionem et crucem; et in omni tribulatione praesta, ut reum me fatear et cognoscam, et ut meipsum contemnam.

Hactenus quosdam amavi, qui me non amabant, jam Te amabo, amator aeterne, Qui me amasti, antequam Te novissem; Quem amare virtus summa est, a Quo amari foelicitas.

De profundis cordis mei clamo ad Te, suavissime Deus, ut auferas a me vanissimum amorem corporeae

pulchritudinis, et me totum transferas ad purissimum amorem decoris Tui.

Illabere, precor Te, in penetralia cordis mei, et imprime mihi, servo Tuo, dulcissimam et admirabilem speciem Tuam, ut quiescam in suavitate praesentiae Tuae.

Veni, Domine, amor meus, gaudium meum et corona mea; veni et noli amplius tardare, ne ex nimio desiderio sine sensu efficiar.

Scribe, dulcis Jesu, Nomen Tuum in corde meo, et amorem Tuum mellifluum per jugem memoriam pectori meo inscribe.

Decas VIII.

Vincat nequitiam meam, Domine, immensa bonitas Tua, et imaginem Tuam in me recognosce, quamvis deturpatam.

Revertor ad Te, foelicissimum principium meum, dulcis origo et finis meus; esto deinceps totum ac solum cogitationum mearum objectum.

O Unum divinum, Te Solum desiderat cor meum, libera me ab omni multiplicitate.

Diligam Te, Deus, pro dono Tuo et pro modo meo, exiguo quidem, et minus justo; sed non possum ultra, quam possum; potero autem plus, cum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis.

O quam beati sunt illi, qui edunt et bibunt ad mensam Tuam in regno Tuo, quoniam Te ardenter diligunt, et Te fruuntur in laetitia et exultatione. Ego autem hic fame pereo, et projectus in cinere et caligine, lumen coeli non video.

Sitio, Te clare cognoscere, esurio, Te perfecte diligere, nec desiderium meum adipisci valeo. Obsecro, Domine, si inveni gratiam in oculis Tuis, ostende mihi faciem Tuam.

Fac mihi, Domine, quodcunque placitum fuerit in conspectu Tuo; in manibus Tuis ego sum, et corpus meum, et spiritus meus; quocunque pervenero, laudabo Te, et exultabo vehementer.

Satia animam meam ad Te suspirantem, foelicitas mea, et reple esurientem bonis Tuis.

Dejiciantur, quaeso, omnia simulacra de throno gloriae Tuae, ut Tu sis Solus regnans in corde meo, nec sim ego amplius miserabiliter instabilis et fugitivus a Te.

Uniat me Sibi Verbum Dei, gignat seipsam in me sine intermissione aeterna sapientia, et pro minimo mihi erit, si me despiciant coelum et terra, et omnia, quae in eis sunt. Quodsi me repuleris ab osculo Tuo, non poterunt me omnia, quae infra Te sunt, consolari.

Decas IX.

Veni, gaudium meum, lumen oculorum meorum; veni, amor meus, lux incomprehensibilis, imple omnes potentias animae meae intus et foris, ut nihil nisi Te videam, cogitem, amem, desiderem.

Tu dixisti, Domine: Ducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor ejus. Et quid aliud est solitudo, nisi Te Solum amare, in Te Solo quiescere?

O divina solitudo tam concupiscenti animo desiderata, quando fiet istud, ut in Te omnino quiescam?

Heu me, quia non diligo Te, vita animae meae; nam si vere Te diligerem, semper Te in corde haberem; scriptum est enim: Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Congrega nos in unum, potentissime amator; data est enim Tibi omnis potestas in coelo et in terra.

Trahe me post Te, suavissime Redemptor, Qui dixisti: Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad Meipsum.

Accende cor meum igne Tuo, Deus meus; Tu enim ignis comburens es, et facis ministros Tuos ignem urentem.

Deus meus es Tu, Qui infinita Tua bonitate locupletissimus, nec bonorum meorum, nec alterius cujusque rei indigentiam habere potes. Et in hoc gaudeo et exulto, quod nulla Tibi perfectio, nec quidem per imaginationem adjungi possit.

Domine Jesu, quantum Te diligunt, Qui Te noverunt? Pater Tuus Te diligit; Spiritus sanctus Te diligit; omnes Angeli, omnes electi et amici Tui amore Tuo exardescunt; et ego solus frigidus ero?

Libera me, Deus, a multiloquio, quod patior intus in anima mea; non enim cogitationibus taceo, etiamsi vocibus taceam. Multae sunt cogitationes meae, quales Tu nosti cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Da mihi, eis non consentire, nec immorari, nec me impediant ab amore Tuo.

Decas X.

O amor, quam parum cognosceris et amaris? Accede ad me, o amor, et si nullibi requiem invenis, Te totum transfunde in me, aeterne et suavissime amor.

Semper ardeat ignis amoris Tui in altari cordis mei, et in tantum crescat incendium, ut non solum sacrificium, sed et ipsum altare comburat et consumat.

Nihil me laetificet, Domine Jesu Christe, nisi Tu; nihil me contristet, nisi culpa mea, et offensio Tuae majestatis.

Tu es unicum desiderium meum, aeterna sapientia, Tu thesaurus, Quem quaero, Tu beatitudo, ad Quam suspiro.

Quam pulcher es, Dilecte mi, quam speciosus in deliciis Tuis? Utinam potentissimus amor Tuus omnem extraneum amorem in me occidat. Quidquid videro, quidquid audiero, quidquid sensero; Tu Solus intres et possideas cor meum.

O amor potentissime, Qui lutum transfiguras in Deum, transforma me totum in Te. Nimis saxeum est cor meum, nisi molliatur sanguine Tuo; nimis distractum est, nisi colligatur in latere Tuo.

O aeterna veritas, et vera charitas, et chara aeternitas. Tu es Deus meus, ad Te suspiro die ac nocte. Te amo, Te diligo et magis amare desidero; percussisti enim cor meum verbo Tuo, ut amarem Te.

Quid amore dulcius? quid securius? quid suavius? Quare sagittis ejus non est transfixum cor meum? Ergone amor Tuus circumdat me undique, et nescio, quid sit amor? cur sic maneo insensibilis? cur me magis attraxit creatura, quam creator?

Venustissime Jesu, vita mea perennis, per Quam vivo, et sine Qua morior, vita dulcis et amabilis; concede, ut Tibi jungar, Te complectar, et suavi charitate soporatus in Te obdormiam.

Quando Te videbo, dulcissime Deus? quando apparebo ante faciem Tuam? quando transibo in admirabilem domum Tuam? quando videbo Te in terra viventium? In ista enim terra jumentorum mortalibus oculis videri non potes, sed in regione Angelorum videbimus Te, sicuti es.

Actus diversarum virtutum.

Actus fidei.

Auctor fidei, Jesu Christe, firmissime credo: vera esse omnia, quae Te revelante credit et docet sancta mater Ecclesia, et pro hac assertione et veritate millies mori paratus sum.

Auge in me fidem a Te semel infusam, vitamque fidei consonam concede, ut, quod mente credo, moribus exprimam.

Testimonia Tua, Domine, credibilia facta sunt nimis, utinam secundum ea semper vixissem.

Verissima sunt omnia, quae in sacris libris et apostolicis traditionibus ac decretis Ecclesiae continentur; pro qua veritate tuenda vitam meam libentissime offero.

Omnino verum est, Te, Deum meum, unum esse in substantia, trinum in personis; quod ego per medios gladios et ignes profitebor.

Utinam fides Tua integra semper et sincera conservetur, qualem Tu, Domine, tradidisti, qualem Apostoli praedicaverunt.

Credo Tibi, o summa veritas, et quia fides sine operibus mortua est, da mihi, ut fidem meam pa-

tientia et charitate, aliisque virtutibus vivam demonstrem.

Gratias ago Tibi, Domine, quod mihi fidem dederis, qua Te agnoscerem, quod me Christianum feceris, et Catholicae Ecclesiae membrum. In hac fide vixi, in eadem mori volo, atque utinam pro eadem!

Credo Te, Deum ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem. O credam et fruar semper, quia Tu Deus meus es, principium meum et finis ultimus, et mea aeterna beatitudo.

Credo, Te Dei Filium pro mea salute carnem humanam induisse. Credo, Te passum pro me, et mortuum in cruce. Credo, Te Deum et hominem in Sacramento mirabiliter existere. Credo haec omnia et alia, quae de Te docet Ecclesia, et credens adoro et amo Te.

Revela, Domine, oculos meus, et considerabo mirabilia de lege Tua. Quam dulcia faucibus meis eloquia Tua; super mel ori meo.

O si fidem possem annunciare in universo mundo, et omnes infideles ad Deum convertere! quam libenter id facerem, etsi propterea omnia tormenta sustinere deberem?

Utinam possem, Deus meus, omnium infidelium intellectibus in Te credere, omnium affectu Te amare, omnium viribus Tibi servire?

Discedite a me, omnes pessimae haereses, filii diaboli et pestes animarum; vos detestor et abominor, et cum Ecclesia Dei anathematizo.

Quaecunque docet fides, adeo firmiter credo, ac si

oculis ea viderem. Adauge, Domine, et confirma fidem meam; hoc enim duce securus ibo ad tribunal Tuum, quacunque hora me vocaveris, quia credo et spero videre bona Tua in terra viventium.

Actus spei.

Clementissime Deus, tametsi multa et gravissima peccata commiserim, spero tamen ex Tua misericordia, et ex bonis operibus gratiae Tuae adjutorio praestitis me gloria sempiterna fruiturum.

Et si reus essem omnium peccatorum mundi, tamen in Te sperabo; major est enim misericordia Tua, quam iniquitas mea.

Gaudeo, Domine, nihil in me esse, in quo confidere possim; laetor, quod nullibi spes mea consistere queat, nisi in Te, Qui Solus es refugium meum et firmamentum meum.

Dixisti, Domine, et ita est: Sine Me nihil potestis facere; quid ergo residui habeo, nisi ut oculos ad Te dirigam, et Tu, o bonitas, adjuves me?

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Tanquam prodigium factus sum multis, et Tu adjutor fortis.

Ad Te confugio, Domine, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeam, et in Te sperans non confundar.

Omnis spes mea, optime Jesu, et totius fiduciae certitudo in pretioso sanguine Tuo mihi est. In ipso respiro, et in ipso confisus ad Te pervenire desidero, non habens meam justitiam, sed eam, quae est ex Te.

Quidquid asperum et molestum mihi evenire permiserit divina providentia Tua, benignissime Pater, semper in Te sperabo; certus enim sum, quia, si in inferno demersus fuero, inde me liberabis.

Magna valde est misericordia Tua, Domine, et in ea sola posita est tota spes et consolatio mea.

Mirifica misericordias Tuas, Qui salvos facis sperantes in Te; custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum Tuarum protege me.

Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine; bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in Te. In Te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.

Toto corde firmissime spero, omnipotens Deus, me posse a Te omnia obtinere, quae mihi necessaria sunt ad salutem; et quia Filius Tuus, Redemptor meus, omnia bona mihi promeruit, tantam in Ejus meritis fiduciam habeo, ac si bonum, quod desidero, jam tenerem et possiderem.

Ego autem in Te speravi, Domine; dixi: Deus meus es Tu, in manibus Tuis sortes meae.

O si cito adveniret regnum Tuum, summum bonum meum, regnum, quod spero, quod exspecto, quod toto corde concupisco? Utinam cito adveniat, quia regnum omnium saeculorum est, plena possessio totius foelicitatis.

Actus charitatis erga Deum.

Oro Te, dulcissime Deus, ut cordis mei principatum geras. Absit a me, optatissimum bonum meum, ut aliquid amem praeter Te.

Ure me incendio decoris Tui, speciosissime princeps cordis mei; sacrifico Tibi omnia viscera mea et praecordia mea.

Vive, potentissime Imperator cordis mei, et dominare, sicut decet Te. O quam mihi placet, ut regnes in aeternum et ultra.

Utinam tot millia cordium, quot Tibi placuerunt, vel placere possunt, ipse possiderem, ut Te perfectissime amarem.

Utinam subdere Tibi possem, amabilissime Domine, omnia colla filiorum Adae, ut Te Solum requirerent et amarent.

O unice amor meus, et serena lux oculorum meorum, omnia mihi sordeant et vilescant praeter Te.

O amabile principium meum, et tota sufficientia mea, nihil volo, nihil cupio praeter Te.

O quantum gaudeo, quod Deus sis, summe bonus et perfectus, immensus, infinitus, justissimus, sapientissimus, omnipotens et incomprehensibilis? Amo Te pure propter Teipsum, et gaudeo de bonis Tuis ob hanc solam causam, quia bona Tua sunt.

Ad Te, summum bonum, toto cordis affectu feror, in immensa bonitate Tua exulto; gaudeo, quod omnes Angeli et Sancti adorent et laudent Te.

Utinam possem amare Te, quantum amabilis es! sed quia hoc excedit vires omnium creaturarum, utinam saltem amem Te, quantum possum, quantum debeo.

Reple, Deus meus, animam meam amore Tuo, ut amore totus ardeam, et amore aestuans amore moriar.

Quam poenitet me, quod alia extra Te dilexi. Uti-

nam possem transactos annos revocare et amoris Tui actibus replere!

O dulcissima vita animae meae, utinam deficiat in Te cor meum. Quid enim mihi est in coelo, et a Te quid volui super terram.

Unam petii a Te, Domine, hanc requiram, ut inhabitem in domo Tua omnibus diebus vitae meae.

Utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit. Moriar amore Tuo, Deus meus; et quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amando finire. Ultimus vitae actus sit amare.

Actus charitatis erga proximum.

Insere, Domine, pectoribus nostris Tuae dilectionis affectum, ut diligamus nos invicem, sicut Tu diligis nos, et alter alterius onera portemus.

Da mihi, Domine, non diligere verbo, neque lingua, sed opere et veritate, ut quaecunque volo, ut faciant mihi homines, id faciam illis.

Doleo, Deus meus, quod ea hactenus non praestiti in obsequium proximi mei, quae Tuo auxilio adjutus poteram.

Detestor, quidquid injuriae et offensae olim paravi verbo, opere et cogitatione in proximum meum, paratus singulis satisfacere, si quid alicui debeo. Inspira Tu, Deus, ut sciam; et da, ut faciam.

Amator hominum, Deus, oro Te pro omnibus, qui persequuntur et calumniantur me; et qui me quovis modo offenderunt. Da illis salutem mentis et corporis.

Utinam, clementissime Deus, omnes peccatores resipiscant, et convertantur ad Te.

Obsecro, Domine, ut omnes, qui oppugnant Ecclesiam Tuam, dexterae Tuae potentia conterantur, et agnoscant veritatem.

Propono, Domine, omnes injurias et offensas, Te adjuvante, aequo animo tolerare; nec ullum unquam hominem, quantumvis mihi infestum, odio habebo.

O si possem pro fratribus meis, iis praesertim, qui me aliqua injuria aut molestia affecerunt, sanguinem fundere, quam libenter id facerem. Confirma, Domine, in me hanc voluntatem.

Fac, obsecro, Deus meus, per viscera misericordiae Tuae, ut omnes ad Te convertantur, qui rebus terrenis adhaerent, et quos voluptas carnis illexit.

O si ego possem omnes peccatores ab erroribus viae suae convertere, etiam cum vitae dispendio id praestarem.

Utinam totus mundus in Te crederet et Te cognosceret. Confiteantur Tibi populi omnes. Omnis terra adoret Te, et psallat Tibi.

Diligo Te, Domine, toto corde, et proximum in Te et propter Te.

De bonis omnium fratrum meorum gaudeo, et de malis doleo, ac si mea forent; et mala quidem ab omnibus avertere efficaciter vellem, si possem; bona vero multiplicare.

Libenter, si possem, omnium indigentium necessitatibus subvenirem, esurientibus cibum, sitientibus potum darem; reliqua item opera misericordiae spiritualia et corporalia exercerem.

Actus patientiae.

Si oportuit Te, Christe, pati, et ita intrare in gloriam Tuam, quo pacto ego in illam intrabo, nisi via regia sanctae Crucis?

Cognovi, Domine, quia aequitas judicia Tua, et in veritate Tua humiliasti me.

Opto potius cunctos inferni cruciatus tolerare, quam Tuam justitiam violare.

Iram Tuam, Domine, portabo, quoniam peccavi Tibi. Quod si bona suscepi de manu Tua, quare mala non sustinebo?

In omni adversitate Te, bone Jesu, recogitabo, quia talem pro me sustinuisti adversus Temetipsum contradictionem.

Utinam dignus sim gaudenter cum Apostolis Tuis contumeliam, pauperiem et quidquid volueris pati pro Nomine Tuo.

Quidquid laboris mihi unquam acciderit, id propter Te, Domine, patienter feram. Si tentationibus excercear; si moeror importunus ingruat, si morbi, si dolores, si quaevis tormenta contingant, omnia Te juvante fortiter tolerabo.

Absit a me, Domine, ut animum despondeam a christiana perfectione comparanda; omnes enim difficultates, Te duce, superabo, et in Deo meo transgrediar murum.

Absit a me, ut amore vitae, vel timore mortis a virtutis proposito desistam. Et si me oporteret universis mundi miseriis et calamitatibus obrui, nunquam a Te recedam.

Imprime, fortissime Deus, robur magnum cordi meo, cupio enim Te sequi per omnem afflictionem et desolationem internam et externam.

Ut jumentum factus sum apud Te, Domine, Deus meus; Tu nosti onus meum, quale sit, da mihi, illud patienter ferre, ut per viam crucis extollar ad Te.

Offero me Tibi, Domine, paratum ad omnia mala aequanimiter, hilariter, ac sine ulla prorsus querimonia sustinenda.

O si patientiam sancti Job assequi possem, et constantiam sanctorum Martyrum!

Utinam dignus essem, martyrium pro Te subire, Domine, virtus mea, et firmamentum meum. Utinam pro Te vivus comburerer; utinam assari cum Laurentio mererer.

Da mihi, Domine, disciplinam, ut non auferas misericordiam; caede contumacem, ut reddas mihi promissam haereditatem. Auge tormenta, sed auge patientiam.

Actus humilitatis.

O gemma pretiosissima, humilitas, quando Te possidebo? quando tranquillitatem animorum Tibi obsequentium habebo? quando Tuo splendore et pulchritudine ornatus ero?

Noverim Te, noverim me, Deus meus; quoniam in Te sunt omnia bona mea, et ex me nihil sum.

Hoc ex corde desidero, bone Jesu, hoc eligo, abjectus esse et pusillus in domo mea magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Nolo, Domine, ut me homines laudent et honorent,

quia omni laude et honore indignissimus sum; volo autem ad gloriam Tuam despici, conculcari et tanquam canis mortuus vilissimus reputari.

Latrones ipsi et sacrilegi, o misericordissime Domine, perfectius Tibi famularentur, si tot beneficiis ac donis eos cumulasses, quibus me, Benignissime, affecisti.

Peccavi, Domine, et non sum dignus aspicere altitudinem coeli prae multitudine iniquitatum mearum.

Omnia animalia pro captu suo Tibi, Domine, appropinquant, solus ego infinita vitae meae turpitudine a Te recedo.

Unde mihi haec insania, Deus meus, ut audeam gloriari tot peccatorum reus, ob quae potes hoc momento mittere me in gehennam?

Abjicio me, Domine, propter Te infra homines universos, quia vilior et contemptibilior omnibus sum, et pro tali haberi ac tractari desidero.

Nihil aliud volo, nihil opto, altissime Deus, nisi pati et contemni pro Te; da mihi claram et veram mei notitiam.

Indignus sum, Domine, omnibus donis Tuis, ob vilitatem et ingratitudinem meam; indignus consortio hominum, propter sordes culparum mearum, quarum pessima tabe vel aërem ipsum inficio.

Utinam universi homines, aequissime Deus, miseriam meam agnoscerent et despicerent me, ac meam mihi indignitatem exprobrarent, ut spernerer propter Te.

Domine, non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot servi Tui, quibus comparatus vermis sum, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.

Absit a me, Domine, ut velim ambulare in magnis et in mirabilibus super me. Magna enim est abyssus fragilitatis et nihili mei; nihil sum, nihil possum sine Te. Fac me, Deus, tanquam pavimentum mundi, ut ab omnibus conculcer et indignissime tracter, quia sic exigunt peccata mea.

Fasciculus adspirationum ad Jesum, ad B. Mariam Virginem, ad coelites universos.

Ad Jesum Redemptorem.

Jesu, sapientia Patris, da mihi quaerere et sapere, quae sursum sunt, ut gustem, quam suavis es.

Jesu, verbum Patris, utinam audiam, quid loquaris in me!

Jesu, Redemptor, esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias,

Jesu, Frater primogenite, fac me Tibi cohaeredem in domo Patris nostri.

Jesu, Fili Dei, Qui pro me factus es homo, non sit mihi grave humiliari pro Te.

Jesu, creator meus, cor mundum in me crea, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Jesu, vita mea, Tibi Soli vivat anima mea, nam mihi vivere Tu es, et mori lucrum.

Jesu, Domine mi, posside me servum Tuum, et nemo praeter Te.

Jesu, praeceptor, doce me facere voluntatem Tuam, ut discam a Te, quia mitis es et humilis corde.

Jesu, lux mundi, illumina oculos meos, et deduc me in semitam mandatorum Tuorum.

Jesu, fons vitae, sitivit in Te anima mea; fac me haurire aquas in gaudio de fontibus Tuis.

Jesu, pastor bone, propter Nomen Tuum deduces me et enutries me.

Jesu, Salvator, salva me, Qui venisti quaerere et salvum facere, quod perierat.

Jesu, sponse sanguinum, desponsa Te mihi in misericordia et miserationibus.

Jesu, amator speciosissime, trahe me post Te in funiculis charitatis.

Jesu, zelator animarum, Cujus deliciae esse cum filiis hominum, amem Te ardentissimo amore et caetera omnia propter Te.

Jesu, panis vitae, anima mea sustinet Te, ne dimittas eam jejunam, ut non deficiat in via.

Jesu, judex misericors, Qui non venisti perdere quemquam, parce mihi, et responde pro me.

Jesu, corona et merces nostra magna nimis, jube me numerari inter electos Tuos.

Jesu, gloria mea, cupio dissolvi, et esse Tecum; da mihi vivere in Te et in Te mori.

Ad beatam Virginem Mariam.

Protege me, dulcissima Virgo Maria, sub umbra alarum tuarum, et non recedat in aeternum mellifluum Nomen tuum ab ore et corde meo.

Ne unquam elongeris a me, potentissima Mater Dei, quia circumdederunt me undique inimici mei.

Quid possum sine te, Virgo beata, aut quid fiet de me, si averteris faciem tuam a me?

Quando venies, dulcissima Virgo, quando apparebis indignissimo servulo tuo?

Spiritus tuus, o Maria, super mel dulcis, et possessio amoris tui super aurum et topazion.

Sentiat anima mea suavitatem amoris tui, et in tuis semper versetur laudibus, quia unica post Deum consolatio mea tu es.

Compatere, Domina, animae meae ad te suspiranti, respice in me, et festina in adjutorium meum.

Da mihi gratiam tuam, ut semper de te gaudeam, et post istud exilium te contempler in gloria.

Sicut filius ad sinum matris, ita spirat ad te anima mea, ne despicias me, mater misericordiae.

Quantum desidero videre vultum tuum, speciosissima Virgo, assume me velociter ad te, et comple desiderium meum.

Quis non diliget te, regina cordium, et mater sancti amoris, quis non diliget te? Utinam omnes creaturae tibi serviant, et in amore tuo vivant ac moriantur.

Suscipe cor meum, dilectissima Mater mea, et offer illud purissimis manibus tuis purissimo Filio tuo.

Gaudeo et exulto, beata Virgo, quod Deus te amet super omnia opera Sua, et de hac re super omnia delector; magisque optarem inferni poenas, quam ut momenti spatio quidquam de gloria et dignitate tua minuatur.

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, gloriosa Virgo, quoniam non derelinquis sperantes in te.

Gloriosus vultus tuus mihi appareat in extremis, et consolatio tua laetificet egredientem spiritum meum, clementissima Mater.

Ad sanctos Angelos.

Angele sancte, vitae meae gubernator et custos, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi.

Custodi me sub umbra alarum tuarum ab insidiis inimici et ab omni periculo et tentatione.

Adesto mihi, beatissime Spiritus, doce, dirige et protege me; cumque finis vitae meae advenerit, in extrema lucta versanti benigne succurre.

Septem Spiritus, quia statis ante Dominum, purgate, illuminate et perficite me; et dirigite omnia studia et actiones meas ad gloriam Dei et animae meae salutem.

Estote mihi singulare solatium in morte, Angeli Dei, potentes virtute, qui estis in vita salutare praesidium.

Infundite menti meae deificum lumen, ut absumpta omni materia totus ardeam divino amore.

Venite in adjutorium meum, coelestis militiae exercitus innumerabiles, et defendite me ab incursu malignorum spirituum.

O supremi amatores Dei, succendite me illo igne, quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

Fontes sapientiae, pascite me coelesti doctrina, et docete me scientiam Sanctorum.

Facite me, mentes purissimae, docilem Dei, ut discam justificationes Ejus; et discussis tenebris divinum lumen inserite menti meae.

Ad omnes Sanctos.

Foelices Sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagus pertransistis securi de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de mea multiplici miseria.

Date manus infirmo, coelestis patriae cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello.

Eripite me de aquis multis, et de limo profundi fusis precibus ad Eum, qui dominatur potestati maris.

Impetrate mihi fidem et perseverantiam, servire Domino in timore et servare mandata Ejus.

Clamo ad vos, potentissimi protectores salutis meae, mittite e patria foelicitatis pauculas guttas pretiosissimi vini charitatis vestrae, quia aruit sicut testa virtus mea, et defecit prae siti anima mea.

Subvenite mihi, misero peccatori, sedenti in tenebris et umbra mortis, et solvite vincula captivitatis meae.

Liberate me a tumultuantium affectionum turba, ut sedeam solitarius, et taceam, et audiam vocem Domini loquentis in silentio ad cor meum.

Elevate me ab hac sordida terra, ut mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo.

Ad me respicite, gens illustrissima et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de coelo opem et consolationem.

Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine, et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi, ut vestris adjutus suffragiis particeps fiam vestri gaudii et coronae.

Haec in exemplum. Plura suggerent usus et affectus.

Sunt autem quatuor capita, ac veluti fontes uberrimi, e quibus adspirationes ad omnes et singulos aeterni regni proceres peti possunt. Primo quidem ex titulis honoris, dignitatis, perfectionis et diversarum virtutum, quae in illis lucent. Secundò ex perceptis beneficiis, pro illis gratias agendo. Tertio, invocando illos, ut propitientur peccatis nostris, eorumque remissionem nobis obtineant. Quarto, multiplicem miseriam nostram et innumerabiles necessitates proponendo, ut a malis omnibus erui, cunctisque bonis imbui ipsorum meritis et precibus mereamur.

Adspirationes ex Nominibus Dei, Ejusque attributis et perfectionibus.

Decas I.

Aperi, Domine, oculos animae meae, ut non contenti aspectu rerum temporalium, quas percipiunt sensus; ascendant ad interna contemplanda, quae non videntur, Teque aspiciant, Deum invisibilem, Qui es in omnibus et super omnia.

Deus immensae majestatis, vere mirabilis facta est scientia Tua ex me; omnia tamen ossa mea, omnia membra, sensus et potentiae dicunt, quia Tu es Deus, et non est alius similis Tibi. Tu es meum esse et mea vita, et gaudeo, quia Te plusquam me diligere debeo.

O si omnia membra mea, omnes sensus et fibrae verterentur in linguas, ut hoc praedicarent toti mundo, quia Tu Solus es, Qui es, ac propterea omnes gentes Te laudarent et glorificarent? O si Te omnes

agnoscerent et diligerent plusquam vitam suam, quia in Te omnes vivunt, moventur et sunt.

O pelagus omnis essentiae et existentiae, Tu es ipsummet esse, omne esse continens; a Te omnia pendent et effluunt, et in Te refluunt, et eatenus sunt, quatenus aliquid Tui Esse participant. Me igitur despiciam, et omnia, quae non sunt; Te autem amabo, et Tibi adhaerebo, Qui Solus es.

Deus perfectissime, et causa omnium entium, perfice gratia Tua esse, quod mihi dedisti, ut perfectum sit, sicut et Tuum perfectum est; quia ex meipso nihil sum.

O substantia simplicissima, quae omnia es, quam intime Te diligere, et super omnia aestimare debeo? Tu nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahis. Non partibus constas, ut corpus; non affectibus distas, ut anima; non formis substas, ut omne, quod factum est. Fac me aemulari simplicitatem Tuam, ut in omnibus simplex et purum sim, Te Solum quaerens et desiderans.

Tu Solus impeccabilis es, Tu Solus habes immortalitatem. Per hanc Te oro, ut moriar morte justorum, et a morte peccati semper eripiar.

Clarifica, Domine, mentem meam, ut cognoscam, illud esse, quod Tu habes per Tuam essentiam; et illud non esse, quod ego habeo ex meipso; ut supra duplicem hanc cognitionem tanquam supra duplicem polum moveatur rota vitae meae, donec ad Te perveniam.

Quam immensa et incomprehensibilis est perfectio

Tua, Domine, Cui nihil deest, et a Quo omnia perfectionem accipiunt? Sim et ego perfectus, sicut et Tu perfectus es. Operare in me, quod jussisti, et fac me ita perfectum, ut nihil mihi desit.

Deus meus et omnia, principium meum et finis ultimus, Tu es mihi omnia, quae concupiscere possum; Tu meae divitiae, meae deliciae, mei honores et dignitates, ac thesauri infiniti; in Te Solo omnia habeo, omnia autem sine Te nihil sunt mihi. Quando veniam ad Te, ut in Te omnia habeam?

Decas II.

Illumina intellectum meum, perfectissime Deus, ut in creaturis omnibus Te respiciam earum Creatorem, a Quo illae suam perfectionem accipiunt. Purifica affectum, ut in omnibus Te amem et quaeram, Qui es bonum et finis omnium.

O Dilecte cordis mei, si ita me oblectat pulchritudo et perfectio creaturarum, cur non potius pulchritudo et perfectio Tua, a qua illae processerunt? Diligam Te prae omnibus, Qui omnium pulchritudinem et perfectionem excedis in infinitum, nec illas diligam, nisi in Te et propter Te.

Tu Solus, Domine, nullum terminum habes; omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Te. Tuam igitur infinitatem adoro, et absque ullo termino Te amare desidero.

Deus immense, Qui excelsior coelo es, profundior inferno, longior terra, latior mari; Qui omnia reples, omnia contines, omnia penetras, clarifica internos ocu-

los meos, ut certius Te videam, quam si Te viderim oculo externo et corporeo.

Rex superne, Qui in toto Tuo regno ita es per essentiam, ut totus assistas cuilibet parti; concede mihi, ut totus coram Te sim, Tibique serviam ex toto corde, ex tota mente, ex tota virtute.

Domine Deus, Qui in omni loco contemplaris bonos et malos; acue fidem meam, ut, cum solus sum, me solum non esse considerem, Teque praesentem attendens, nihil faciam Tua praesentia indignum.

Deus meus, Qui realiter intra me es, magis intimus mihi, quam sim ego mihiipsi, perfice in me hanc conjunctionem, quam mecum habes, addens perfectissimam unionem gratiae et charitatis Tuae, ut unus Tecum spiritus efficiar in aeternum.

Deus immutabilis, apud Quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, fac me immutabiliter Tibi adhaerere, ut sicut Tu Idem Ipse es, et anni Tui non deficient, ita ego a via rectitudinis nunquam deficiam, et in amore Tuo semper idem perseverem.

Aeterne Deus, principio carens et fine, fac me despicere temporalia, quae caduca sunt et transitoria, et diligere aeterna, quae semper Tecum perdurabunt.

Omnes dii gentium daemonia, Tu autem, Domine, Solus es Deus, et non est alius praeter Te. Propugna causam Tuam, et destrue multitudinem idolorum, ut omnes homines in Te unum sint, Teque uno ore laudent et glorificent. Da etiam mihi illud unum, quod solum est necessarium.

Decas III.

Deus invisibilis, quando Te videbo, non per speculum et in aenigmate, sed facie ad faciem? O si Te cognoscerem, sicut a Te cognitus sum, ut, sicut Tu me amas, ita Te amarem! sed quia cognitio obscura et brevis est, Te amabo, quantum possum, donec Te videam, sicut desidero.

Incomprehensibilis et ineffabilis Deus, gaudeo, quod ipsi supremi spiritus in Tuo conspectu quasi coeci sint; vincis enim omnem scientiam illorum, nec ulla creatura Te nominare, sicuti es, aut comprehendere potest. Utinam saltem vires omnes intendam et applicem ad Te diligendum, quandoquidem ad comprehendendum non sufficio.

Deus vivens et verus, prima et summa veritas, verax in sermonibus Tuis, et fidelis in promissionibus; da mihi, obsecro, veritatem amare, in veritate ambulare, in Te sperare et credere, et omnem hypocrisim ac duplicitatem detestari.

Sancte Sanctorum, Deus, exemplar et finis totius sanctitatis, fateor, me nullam sanctitatem habere posse, nisi Tu dederis; nec in ea persistere, nisi Tu conservaveris. Funda me in hac profunda humilitate, ut dignus sim, ascendere ad altissimam sanctitatem.

O summa, suprema et essentialis bonitas, Deus meus, quam poenitet me, quod Te derelicto, fonte omnium bonorum, ad bona fucata et apparentia me converterim? Mirifica voluntatem meam, ut Te, unicum et summum bonum, quaeram et diligam.

Da mihi, o summa bonitas, summum amorem mihi

possibilem, ut toto illo Te summe amabilem amem. Deberem sane infinito amore Te prosequi, quia infinite bonus es; sed quia incapax infiniti amoris sum, opto saltem Te amare summo conatu mihi possibili.

Totus mihi es amabilis, Dilecte mi, quia totum est bonum, quidquid est in Te. Utinam sic Tibi amabile esset, quidquid est in me. Aufer ab anima mea omne genus culpae et maculae, ut tota sit pulchra in oculis Tuis et amabilis cordi Tuo.

Ne permittas, bonitas infinita, ullum esse hominem, qui Te non amet; aperi oculos odientium Te; si enim viva fide Te cognoscerent, nunquam odissent.

Mirabilis es, Domine, in Teipso, mirabilis in operibus Tuis, mirabilis in Sanctis Tuis; Tu facis mirabilia magna Solus. Te igitur intellectus meus rerum novarum et mirabilium indagator semper consideret, reliqua omnia tanquam vilia et communia rejiciat.

Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum; licet enim horrendum sit incidere in manus Tuas, tamen es Deus vivens, et vita ad misericordiam.

Decas IV.

Deus scientiarum, et totius sapientiae fons, Qui omnia nosti, et nihil est absconditum ab oculis Tuis; ecce colloco me in infimo loco mei nihili et meae omnimodae ignorantiae; precorque humiliter, ut tribuas mihi, nosse Teipsum et voluntatem Tuam, et haec cognitio sufficit mihi, adjuvante me gratia Tua, ut Te cognitum diligam, et faciam, quod a me requiris.

Domine, discretor cogitationum et intentionum cor-

dis, in Cujus conspectu nulla est creatura invisibilis, utinam noscas me ex nomine, ut me cognitum et Tuae providentiae subjectum sciens, omnem mei curam et solicitudinem in Te projiciam.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia Tua, et investigabiles viae Tuae! Incerta et occulta hujus admirabilis sapientiae veneror et adoro, Ejusque justissimae dispositioni me prorsus committo.

Emitte, Domine, sapientiam Tuam a sede magnitudinis Tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram Te omni tempore; praecedat illa omnia opera mea, comitetur me in omnibus, quae fecero, ac eo deducat, ubi clare Te videam.

Rerum omnium summe artifex, Deus, Qui omnia disposuisti in numero, pondere et mensura, juxta exemplar in mente Tua praeexistens; fac me ita perfectum, ut ideam verae perfectionis in Te existentem, quantum fieri potest, imiter et exprimam in meipso.

Lux beatissima, Deus, et lumen cordium, Qui lucem habitas inaccessibilem, et illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, emitte lucem Tuam a montibus aeternis, et splendoribus Sanctorum illumina cor meum, ut verbo et exemplo cunctis praeluceam.

Deus, Qui revelas abscondita et vides in tenebris constituta, da mihi, abyssum judiciorum Tuorum timere et venerari, Tuamque voluntatem in praeceptis et consiliis Tuis revelatam semper agnoscere et strenue perficere; caetera vero, quae ad me non pertinent, nequaquam perscrutari.

Ostende mihi, Deus, magnitudinem amoris Tui, ut eo cognito vehementer admirer, et secundum parvitatem meam tantae dignationi vicem rependam.

Gratias Tibi ago, amantissime Deus, quia ab aeterno dilexisti me, et ex mera gratia Tua voluisti, ut essem, et talis essem. Fateor, impossibile esse, ut eo modo Te diligam, quo Tu me; possum enim bene Tibi velle, sed non aliquid dare Tibi, quo Tu careas. Do nihilominus Tibi, quod Ipse mihi largitus es, serviens Tibi et pro omnibus gratias agens; quod vero Tibi dare nequeo, debeo proximis meis, amore Tui.

Quam admirabilis est amor Tuus erga hominem, Deus meus, propter quem tot creaturas in sua natura perfectas condidisti? O si tot haberem corda, quot illae sunt, ut illis omnibus earum nomine Te diligerem et glorificarem, reddens Tibi debitum, quod illae nequeunt; et Cujus ego illarum causa debitor sum.

Decas V.

Amator sempiterne, Qui nunquam cessas amare, et cum amore operari, nam si cessares, omnia desinerent esse; concede mihi, ut nunquam cessem Te amare, aut propter amorem Tuum operari, si enim charitatem non habuero, nihil sum.

Diligam Te toto corde, Deus meus, et omnem amorem meum in Te Uno collocabo, quia Tu Pater meus es, Tu Frater, Tu Sponsus, Tu amicus et benefactor in aeternum.

Dulcissime Deus, amabilis super omnia, quae cogitari possunt; magnum fuit beneficium, quod me ad

imaginem et similitudinem Tuam condideris; sed infinita charitas Tua adhuc me voluit ad altiorem similitudinem elevare per gratiam et charitatem, ut non solum servus, sed amicus Tuus essem. Utinam haec amicitia ex parte mea perfecta sit, sicut ex Tua est perfectissima.

Utinam semper Te dilexissem, optime Deus, ex Quo sum homo, quia Tu me dilexisti, ex quo es Deus. Ne differas, anima mea, Deum diligere, ama amorem ab aeterno te amantem.

Quam immensa est charitas Tua, aeterne Deus, Qui solem Tuum oriri facis super bonos et malos? Occlude, si fieri potest, januas inferni, ut nemo eo descendat, ubi omnes Te oderunt; aperi portas coeli, ut omnes eo conscendant, ubi omnes Te diligunt.

O altitudo bonitatis Dei, o amor ineffabilis, qui, ut perfectam cum homine amicitiam contraheres, illum ad Dei aequalitatem sublimasti? Quas Tibi referam gratias pro tam eximio beneficio? laudet Te ipsamet charitas Tua, et benedicant opera, quae ab illa proveniunt.

Exulto, Domine, cum lego in Scripturis Tuis, quia Tu charitas es. Quid enim dulcius, quid laetius audiri potest? Da igitur mihi Teipsum, da charitatem Tuam. Diligam Te, sicut vis diligi, et da, quod jubes, ut implere possim, quod desideras.

Deus fortis et zelotes aemulator, Qui ob nimium erga me amorem zelo zelaris, ne amorem Tibi debitum alteri tribuam; accendatur velut ignis zelus Tuus, nec me unquam permittas ab amore Tuo declinare.

Amator ardentissime, Cujus amor transit in zelum, comedat me zelus gloriae Tuae, et ad eam propagandam semper impellat.

Deus, autor pacis et amator, aufer a zelo meo omnem perturbationem, ut similis sit zelo Tuo, pacificus, discretus, secundum scientiam. Tu es enim princeps pacis, et Ecclesiam Tuam fundasti in pulchritudine pacis; omnia in pace et tranquillitate disponis, et factus est in pace locus Tuus.

Decas VI.

Miserator et misericors Domine, longanimis et multum misericors, Cui proprium est, misereri semper et parcere; mirifica super me misericordiam Tuam et secundum multitudinem miserationum Tuarum dele omnes iniquitates meas.

Praeveniat me misericordia Tua, Domine, et subsequatur omnibus diebus vitae meae, ut liber sim ab omni miseria animae et corporis. Veniant mihi miserationes Tuae, et vivam, et cantabo in aeternum, quia Tu es Deus vita mea et misericordia mea.

Justus es, Domine, et rectum judicium Tuum, justitia plena est dextera Tua; millies pro hac Te laudo, precorque, ut non intres in judicium cum servo Tuo, quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens.

Justissime Judex, Qui scrutaris Hierusalem in lucernis, et judicas aequitatem, vide, si via iniquitatis in me est, et deduc me in via aeterna. Ulciscere hic in aeternitate. Libera me nunc ab omni peccato, ut in judicio Tuo ab ultione liber evadam.

Fortissime Deus, in Quo omnia, et sine Quo nihil possum, vide infirmitatem meam et laborem meum, et robora me virtute Tua, ut meipsum vincam, et omnia, quae virtuti adversantur.

Scio, Domine, quia Tu es Deus clemens, et benignus, et infinitae patientiae, Qui dissimulas peccata hominum propter poenitentiam; suscipe me itaque revertentem ad Te, et praesta, ut patientia Tua non abutar.

Vere Tu, Domine, suavis et mitis es, et multae misericordiae omnibus invocantibus Te; quare precor, ut corripias me in mansuetudine et suavitate Tua, non autem in futuro Tuo; ne forte ad nihilum redigas me.

Magnus es, Domine, et laudabilis nimis, terribilis super omnes Deos. Benedicant Te omnia opera Tua, coelum et terra, et quidquid in eis continetur.

Quid eveniat mihi, Domine, semper laus Tua erit in ore meo. Lingua autem deficiente, omnis respiratio mea sit laudis Tuae significatio. Corpore vero extincto, et in pulverem redacto, laudes Tibi infinitas dicant minutissima quaeque pulveris grana usque ad extremum judicii diem.

Universa propter Temetipsum operatus es, Domine, Tu finis omnium rerum, et non est alius ultimus finis praeter Te. Vere fecisti nos ad Te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te. Tu es civitas, ad quam tendimus; Tu portus, ad quem navigamus; Tu magnes cordis nostri. Trahe nos igitur ad Te ab hoc durissimo exilio, ab hoc mari procelloso.

Decas VII.

Terribilis es, Domine, et magnus vehementer, et mirabilis potentia Tua; fecisti enim omnia, quae voluisti in coelo et in terra, quia subest Tibi, cum volueris posse; imo plura infinities facere potes, quam vel cogitatione ego assequi valeam. Robora impotentiam meam omnipotentia Tua, quia sine Te nihil facere possum, et Tu omnia operaris in me.

Deus liberalissime, gratias ago Tibi ob tot insignia opera Tuae infinitae liberalitatis; concede, ut sim liberalis in reddendo Tibi, quod a Te accipio.

Offero Tibi cor meum, suscipe illud, Domine, quia melius et securius apud Te erit, quam apud me.

Deus omnipotens, Qui totam terrae molem appendis, nulli rei extra innixus, oro, ut mihi nihilum meum vere agnoscenti, Tu Solus mea sis firmitas, et in Te secura sit virtus mea.

Benignissime Pater, Cujus providentia in Sui dispositione non fallitur, dirige omnes actiones meas in finem a Te destinatum, quia in manibus Tuis sortes meae, et iis me totaliter committo.

Amantissime Creator, Qui admiranda providentia singulis prospicis creaturis, et mihi ab aeterno bona praeparasti, quibus nunc fruor; fac me ita transire per bona temporalia, ut non amittam aeterna.

Respexisti me, Deus, ante mundi constitutionem, et dilexisti me, antequam quidquam boni vel mali facerem, et ex merita Tua bonitate elegisti me in Christo, ut essem sanctus et immaculatus. Et nunc, Domine, gratias ago pro tam insigni beneficio, precorque, ut

des mihi per bona opera certam facere vocationem meam.

Manus Tuae, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me; da mihi intellectum, ut discam mandata Tua. Et sicut esse, quod habeo, dedisti mihi, ita etiam da perfectionem, qua careo, ut opus Tuum sit omni ex parte perfectum.

O sapientia divina, quae ex ore Altissimi prodiisti, primogenita ante omnem creaturam, quae effecisti in coelis, ut oriretur lumen indeficiens; largire mihi partem aliquam Tuae lucis, quae indeficiens in me permaneat.

Aeterna sapientia, cujus deliciae creare filios hominum, et esse cum illis; quandoquidem me creasti conversationis Tuae et boni infiniti capacem, ne vacuam esse permittas hanc in me capacitatem, sed age mecum familiariter, et imple me teipsa, quia tu sola sufficis mihi.

Decas VIII.

Pater misericordiarum, Qui electos Tuos praedestinasti conformes fieri imagini Filii Tui; ita me Illi conforma in sanctitate, ut, cum apparuerit, Ei similis sim in gloria.

Benefactor immense, dator et conservator omnium bonorum, Qui omnia, quae fecisti, continuata quadam creatione conservas, et ad omnes actiones nostras semper concurris; conserva me, quoniam in Te speravi, et fac me semper operari, quod Tibi placet, ut concursus Tuus in meum commodum semper cedat, et ad majorem Tui gloriam.

Rege me, Domine, et guberna me; ne, quaeso, ego

meipsum regam, nec me gubernet mundus aut caro; Tu enim sollicitus es de me, meique curam sapientissime geris, ac si ego solus essem in mundo, qui tamen omnium sum miserrimus.

Submitto me, Domine, providentiae et dispositioni Tuae in tempore et in aeternitate; in Te projicio omnem solicitudinem meam; quia non derelinquis diligentes Te; et si quaesiero regnum Dei, et justitiam Ejus, caetera omnia adjicientur mihi.

Gratias Tibi ago, bonum infinitum, quia ex malis nostris bona deducis, et permittis nostram miseriam, ut magis emineat misericordia Tua. Ostende, quaeso, in me hujusmodi providentiam, ut omnia mihi cooperentur in bonum.

O suavissima Dei providentia, quid amplius facere potuisti? Sic nimirum dilexisti mundum, ut Filium Tuum Unigenitum dares; Filium, inquam, Tuum, ut servum redimeres, tradidisti. Applica nunc mihi tam copiosae redemptionis fructus, ut per gratiam Tuam redemptus, Te fruar semper in gloria.

Esto mihi, dulcissime Jesu, sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio, applicans mihi efficaciter pretium sanguinis Tui, quem pro omnibus effudisti.

Tibi gratias ago, amantissime Pater, quia me vocasti vocatione Tua sancta ad fidem Tuam, et statim natum per baptismum regenerasti; a Te autem aversum miris modis ad Te pertraxisti, et gratia Tua justificasti. Nisi enim Tua inspiratio me praevenisset immeritum, jam meritis pro sceleribus poenis afficerer.

Domine, Dominus noster, quam admirabile est No-

men Tuum in universa terra! Mirabilis enim fuisti in creatione, mirabilis in redemptione, sed multo mirabilior in convivio, quod parasti nobis in dulcedine Tua, in quo anima nostra Redemptoris nostri carnem manducat et sanguinem bibit. Utinam mihi liceat hac salutari mensa refecto dicere cum Apostolo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.

Pastor supreme, salva me ex ore leonum et luporum infernalium, quia parasti in conspectu meo hanc mensam coelestem adversus eos, qui tribulant me.

Decas IX.

O Fons bonitatis, Deus animae meae, quis sum ego, et quae domus mea, ut me vocare dignatus sis ad hunc sublimem statum religionis? Nam cum essem in saeculo sicut unus ex multis, claudicans in duas partes, intonuisti de coelo, et dedisti vocem Tuam, vocem magnam et efficacem, qua de mundi deserto eduxisti me, et in paradisum transtulisti.

Gratias Tibi, Magister supreme, quod me in discipulum Tuum elegeris in hac schola perfectionis, multis aliis relictis, qui me digniores erant. Da mihi sequi vestigia Tua, et quod docuisti semper implere.

Adveniat regnum Tuum, Rex sempiterne, regnum aeternum, quod praeparasti diligentibus Te. Ostende mihi bona, quae promisisti, et ita me excita ad illa procuranda, ut ea tandem obtineam.

Quam dilecta tabernacula Tua, Domine virtutum? Concupiscit et prae magnitudine desiderii deficit anima mea, dum cogitat de atriis Tuis. O quando veniam, ut in eis habitem, et tanta fruar pulchritudine?

Multa scio de Te, Domine, sed nescio, quid dicam. Quidquid enim dixero, quidquid cogitavero, finitum est; Tu autem immensus es et incomprehensibilis, et magnitudinis Tuae non est finis.

Deus infinite, Qui es Trinus in personis, sed Unus in essentia; et ita divinitatem communicas, ut Unitas non laedatur; communica mihi copiosam gratiam, ut sim Tecum unus charitate perfecta.

Sancte Sanctorum, Deus spirituum et cunctae carnis, a Cujus conspectu tremit coelum et terra, omni qua valeo virtute Te benedico, quia per Ecclesiae Tuae sanctae documenta in fide Tua confirmasti me.

Te invoco, beata Trinitas, ut venias in me, et templum dignum gloriae Tuae efficias me. Perfice me, Deus, Qui plasmasti me, usque ad plenam formam imaginis et similitudinis Tuae, ad quam fecisti me.

Deus immense, a Quo omnia facta sunt, custodi me, opus manuum Tuarum in Te sperantem, et in Tua solummodo misericordia confidentem.

Domine, Qui dixisti: Non videbit Me homo, et vivet. Moriar, ut Te videam. Haec est enim vita aeterna, ut Te, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unum, verum et solum Deum cognoscam et amem in saecula saeculorum.

Decas X.

Pater immensae majestatis, principium absque principio, Qui a nullo procedis, gaudeo, quod intra Teipsum Verbum Tuum aeternum concipias, Filiumque generes adeo Tibi similem, ut sit Unum et Idem Tecum.

Pater coelestis, a Quo omnis Paternitas in coelo

et in terra nominatur, obsecro Te per Filium Tuum Unigenitum, in Quo tantopere delectaris, ut multos alios gignas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas Tua ubique dilatetur et resplendeat.

Pater ingenite, innascibilis, improducibilis, fons Deitatis ac totius entitatis origo, sanctifica me in veritate, ut, qui a Te processi, in Te perpetuo maneam, nec unquam mens mea a Te avertatur.

Fili Dei Unigenite, Qui aeterna generatione a Patre procedis, Ipsi coaequalis et consubstantialis, fac me pro modulo meo hujus similitudinis et aequalitatis aliqua ex parte participem.

Fili Dei, Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia increata, candor lucis aeternae, fac me filium lucis in hac vita, ut in aeterna, lumine gloriae illustratus, videam Te gloriosum et benedictum in saecula.

Splendor paternae gloriae, et figura substantiae Ejus, Qui summe dilectus a Patre, Ipsumque Patrem summe diligens, simul cum Ipso unica spiratione producis Spiritum sanctum; emitte lucem Tuam et veritatem Tuam, ut splendoribus Tuis illustratus cognoscam Te et diligam, sicut Tu diligis Patrem et Eum perfecte cognoscis.

Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, et unctio electorum, da mihi Teipsum donum infinitum, ut et ego spiritus sim, sicut es Tu, omnis terrenae contagionis expers; et sanctus, sicut Tu, currens inoffenso pede viam mandatorum Tuorum.

Spiritus Patris, a Quo accipis divinitatem et omnipotentiam; Spiritus Filii, a Quo accipis Ejusdem sa-

pientiam; Spiritus Utriusque, a Quibus accipis infinitum amorem, quo Se mutuo amant; illabere menti meae, et fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar Tibi in uno spiritu, et totus convertar in spiritum amoris.

Sanctissime Spiritus, et amor suavissime, charitas essentialis, et totius charitatis principium, bonitas aeterna, a qua omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo Tui amore, et adstringe me Tibi, ac Patri, et Filio; ut nec intellectu, nec affectu a vobis divellar.

Sancta et adoranda Trinitas, Deus meus, et omne bonum meum, da Teipsum mihi, et sufficit mihi. Quid enim ei sufficiet, cui Tu non sufficis?

Pii affectus ex Vita Christi, quae omnium fons est bonorum.

Decas I.

Domine, Jesu Christe, concede mihi, misero peccatori, vitam et mores Tuos prae oculis mentis semper habere et pro viribus imitari.

O charitas infinita, o admiranda dignatio Tua, Domine, ut servum redimeres, Filium tradidisti.

Vidisti, suavissime Jesu, afflictionem populi Tui, et grave onus filiorum Adam, et tactus stimulis charitatis intrinsecus cogitasti super nos cogitationes pacis et redemptionis. Nam ubi advenit plenitudo temporis, visitasti nos oriens ex alto.

Deus immensae majestatis, quid est homo, quod

memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Laudent Te Angeli Tui ob tantum amorem, quo nos miseros prosequeris.

Salve, dies tot aetatibus optata, qua Deus pro nobis factus est homo. Salve, Gabriel Archangele, tanti gaudii annunciator. Salve, Virgo gloriosa, in cujus castissimo utero carnem assumpsit Deus.

O quam potens es, amor, qui ad tam infima abjicis Deum! O quam divino dissimilis est amor meus!

Princeps supreme, Qui de coelo in terram pro mea salute descendisti, tanto mihi charior es, quanto pro me factus es vilior.

Verbum incarnatum plenum gratiae et veritatis, eadem gratia imple animam meam, ut Tibi placeat.

Verbum divinum, partem aliquam largire mihi lucis et gratiarum, quas tribuisti assumptae humanitati. Deprime cor meum humilitate usque ad infimum locum; erige gratitudine et amore ad altissimum gradum.

Christe, Salvator, Qui adhuc clausis maternis visceribus ad Praecursorem sanctificandum properasti; da mihi peccatorum veniam, et spiritualem in Tuo obsequio laetitiam.

Decas II.

Jesu amabilissime, Qui pro me nasci in sordenti stabulo voluisti, illumina mentem meam et voluntatem, quo Tuam Nativitatem contemplari valeam, et elucentes in ea virtutes imitari.

Cur non ardet cor meum tenerrimo Tui amore, Infans formosissime, Qui salutem meam in ipso Tui ortu operari coepisti?

Utinam Nativitati Tuae praesens fuissem, dignusque habitus, qui Te amplecterer, et mea Tibi obsequia deferrem? Accepta, Domine, hanc voluntatem, et praesta, ut, quidquid possum, quidquid sum, Tuo semper famulatui impendam.

O inaudita amoris prodigia! Dilecti mei cubile stabulum est; desponsationis meae thalamus praesepe, lectus Sponsi mei foenum, pulvillus stramen, aula vilis spelunca.

O sanctam Filii Dei paupertatem, omnibus mundi divitiis pretiosiorem! hanc mihi commendabilem Tuo exemplo reddidisti, bone Jesu, natus in stabulo, pannis involutus, Qui coelum stellis, terram floribus adornasti. Infunde cordi meo Ejus amorem, et da patienti animo Ejus molestias perferre.

O quantum lugere debeo pro peccatis meis, piissime Jesu, quandoquidem Tu pro eis ploras. Me enim abluunt vagientis Tuae infantiae fletus, mea delicta Tuae deplorant lachrymae.

Jesu sapientissime, Qui tacendo doces, et vagiendo praedicas; doce me in silentio humilitatem Tuam sequi, Tibique conformem fieri infantili simplicitate et innocentia.

Fortunati pastores, quibus ante omnes lapsus e coelo Deus stabuloque reconditus angelica voce nuntiatur.

Vere gloria in excelsis Deo; nam cui gloria, nisi Tibi, Rex gloriae? Trahe cor meum in excelsa, ut nunquam degenerem ab excelsis cogitationibus filiorum Tuorum.

Da mihi, Salvator dulcissime, quam omnibus offers bonam voluntatem pacemque divinam, ut abjecta mundi inconstantia et discordia, in beneplacito Tuo stabilis perseverem.

Decas III.

Laudo Te, Redemptor mundi, pro prima sanguinis Tui in tenerrima aetate effusione, cum Tua caro immaculata poenam circumcisionis, quam non meruit, sustinuit.

O lapsus Adae, quam es amarus Domino meo? ego peccavi, et Tu, Domine, poenam exsolvis, ego in concupiscentia conceptus et natus sum, et Tu suscipis in Te ultionem.

Sponsus sanguinis Tu mihi es, Qui, cum voce nondum possis, ipso cruore Tuo clamas pro me ad Patrem, mihique tribuis arrham desponsationis, sanguinem Tuum pretiosum super aurum et topazion.

Circumcide, Domine, omnia membra et sensus meos spirituali petra, quae Tu Ipse es, et quidquid in me repereris carnale et superfluum, abscinde et exstirpa; vitamque meam disciplinae Tuae rigore coerce.

O dulcissimum Nomen Jesu, super omne nomen in coelo et in terra benedictum, esto mihi salus et redemptio; non enim est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.

Esto mihi, Jesu, id, quod diceris. Esto mihi turris fortitudinis a facie inimici. Scribe Nomen Tuum salutiferum in corde meo, ut ibi maneat semper impressum, donec perducar ad aeternam salutem.

Glorifico Te, Deus, pro primitiis gentium et earum

admirabili illuminatione; cum eas ab oriente in persona trium Magorum ad fidem Tuam secreta inspiratione traxisti.

Adoro Te, Rex regum, cum sanctis Magis, et pro illorum muneribus offero Tibi aurum paupertatis, thus obedientiae, myrrham castitatis.

Utinam omnes gentes Te fide viva cognoscerent et adorarent, et Tibi fideliter servirent.

Da mihi, Domine, horum virorum fidem et constantiam, ut eadem, qua illi, perseverantia Te quaeram, donec inveniam.

Decas IV.

Voluisti, Domine, praesentari in templo, et more servorum quinque siclis redimi; sit benedicta immensa charitas Tua; et quia Pater Tuus Te mihi tradidit quinque siclorum pretio, ego vicissim trado me Tibi in servum perpetuum. Fiat per gratiam Tuam, ut nec Tu me unquam deseras, nec ego Te.

Benedico Te, sanctissime Redemptor, quia, ut nobis verae obedientiae exemplum relinqueres, Te legalibus institutis, tanquam unus de populo, subdidisti. Da mihi in omnibus perfectissimam obedientiam.

Offero Tibi, Domine, par turturum, geminam scilicet compunctionem; primo quidem pro peccatis et negligentiis meis, deinde vero pro aeterna foelicitate, ad quam jugiter suspiro.

Da mihi, bone Jesu, radium aliquem illius lucis, quam sancto seni Simeoni tribuisti, cum Te Infantem in ulnas suas suscepit, ut Te agnoscam et amem, sicut ille Te novit et amavit.

Sapientissime Jesu, Qui sanctae Genitrici Tuae doloris gladium, quo transfigenda erat, revelari voluisti; transfige animam meam gladio compunctionis, ne me dissolvant vanae mundi consolationes.

Vix natus eras, Rex amantissime, cum subito mundus Te persequitur, et rex Herodes statim Te quaerit, ut perdat Te; sicut autem Te, caput bonorum, persecuti sunt impii, ita et membra Tua. Da mihi igitur, hanc veritatem agnoscere et malorum persecutiones patienter ferre.

Tecum fugere, Jesu dulcissime, et omnia, quae mundi hujus sunt, relinquere, grave mihi non erit; nam si Tu mecum fueris, quid poterit mihi deesse?

Comitare fugientem Deum, anima mea, nec erubesce ad hanc fugam. Gloriosum est et dulce, pro Deo abjici et contemni.

Adesto mihi, Deus, gratia Tua, ut in hujus vitae exilio, voluntati Tuae subjectus vivam, semper bonum exemplum illis praebens, cum quibus vixero.

Dulcis Jesu, Qui revocatus ab Aegypto, ubi exul diu fuisti, in Nazareth secessisti, et Nazaraeus vocatus es; da mihi leges Nazaraeorum spiritualiter observare; abstinere nimirum ab omni amore inordinato, et nihil tangere, quod possit maculare animam meam.

Decas V.

Nihil scimus de Te, o Sapientia incarnata, usque ad annum duodecimum aetatis Tuae, et multa scimus. Ipsa enim taciturnitas Tua clamat in cordibus nostris; ut silentium Tuum et humilitatem admiremur et imitemur.

Sedisti in medio Doctorum, sapientissime Puer, interrogans prudenter, et respondens modeste, ita ut omnes mirarentur. Utinam illic adfuissem, et sermones Tuos audire licuisset. Repete eos, Domine, in corde meo, ut fructu corum perfruar in aeternum.

O quam dolenter quaesivit Te amissum Mater Tua, quam laetanter Te invenit? Da mihi exemplo Tuo in his semper esse, quae Dei sunt, nulla habita ratione cognationis et sanguinis; et fac, ut Te absentem sollicite semper quaeram, donec inveniam.

.Congratulor tibi, beatissima Virgo, quod Dilectissimum tuum inveneris; ora pro me, ne unquam Illum amittam, aut ab Eo discedam.

Proficiebas, dulcissime Puer, sapientia, aetate et gratia apud Deum et homines; quia majora quotidie edebas virtutis indicia, ego autem proficere opto a remissiori vita ad ferventem et perfectam. Da Tu mihi benedictionem Tuam, ut juxta desiderium meum crescam de virtute in virtutem, donec ad gradum supremum perveniam.

O humilitas Christi, quantum confundis superbiam et vanitatem meam! Tu latuisti, Domine, et tacuisti usque ad trigesimum annum, cum esses sapientia aeterna; ego vero stultissimus cum sim, inaniter loqui praesumo et apparere. Doce me viam solidioris humilitatis, et Tuis semper inhaerere vestigiis.

Domine Jesu, fons bonitatis et origo virtutum, Qui a baptismo Joannis praedicationem Tuam auspicatus es, quid Tibi et baptismo isti, cum sis innocentissimus? Utinam superbia mea hoc tam mirabili humilitatis exemplo exterminetur.

Rex altissime, qui omnem justitiam sic implere voluisti, baptiza me in igne et Spiritu, et ablue animam meam ab omni sorde iniquitatum.

Imple me, Domine, Spiritu sancto, ut Eo inspirante sequar Te in desertum, et secedam ab hominibus orationi, jejunio et poenitentiae incumbens.

Fortissime athleta, Jesu Christe, Qui strenue contra diabolum dimicasti, et eum gloriose superasti; da mihi, viriliter contra ipsum decertare; et mitte sanctos Angelos Tuos, qui me fideliter custodiant, potenter adjuvent et benigne consolentur.

Decas VI.

Confiteor Tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia redemptionis nostrae mysteria abscondidisti a sapientibus et prudentibus hujus saeculi, et parvulis piscatoribus revelasti, ut mundi sapientiam destrueres. Fac me parvulum in oculis meis, ut magnus fiam in Tuis.

Dux supreme, Qui omnes ad Te vocas per viam crucis et abnegationis, gratiam Tuam largire mihi, ut crucem meam indefessus portem usque ad mortem.

Aliam viam, Domine, tenere nolo, quam Tuam; nec aliam, quam Tuam veritatem amplecti; nec aliam vitam ducere, praeter eam, quam Tu docuisti. Tu es enim via, veritas et vita.

Gratias ago Tibi, aeterne Pater, quod talem mihi magistrum, legislatorem et consiliarium dederis, Cujus praecepta et monita via tutissima salutis sunt.

Aperi os Tuum, Salvator mundi, et loquere ad cor meum, quia audit servus Tuus, desiderans id exequi, quod audierit.

Illumina me splendoribus Tuis, superne Magister, ut perfectionem agnoscam, quam mihi commendas; igne Tuo accende, ut eam amem; potentia corrobora, ut eam quaeram et assequar.

Salvator potentissime, Qui tot miracula verbo virtutis Tuae patrare dignatus es; innova signa, immuta mirabilia, et animae meae languores sana, eamque resuscita a morte vitiorum.

Inclyte Jesu, lux mundi, salus populi et gloria nostra, respice propitius infirmitatem meam; nemo enim potest spiritualia vulnera curare, nisi Tu, Qui Solus es Deus.

Circuisti vicos et plateas, dulcissime Jesu, ut peccatores converteres, et poenitentibus indulgentiam conferres; fac me hujus charitatis Tuae participem, et miserere mei, quoniam iniquitatem meam ego cognosco.

Millies Te laudo et benedico, Jesu sanctissime, exemplar omnium virtutum pro vita Tua pauperrima, humillima, purissima, patientissima; tribue mihi, miserrimo servo Tuo, mores Tuos sedulo meditari, et ad eorum normam omnes actus, sermones et gestus meos efformare.

Decas VII.

Quam immensa fuit charitas Tua, benignissime Redemptor, quia non solum pro salute mea vitam aerumnosam ducere, sed eam insuper acerbissima passione et morte claudere voluisti. O quam gravia sunt peccata mea, quae talem poscebant satisfactionem!

Clementissime Pater, per passionem et mortem Unigeniti Tui ignosce peccatis famuli Tui. Suscipe sacri-

ficium Filii Tui et obliviscere injuriarum nequissimi servi Tui. Multo enim plura Ille solvit, quam sit debitum meum.

O passio Christi desiderabilis, o amabilis mors, sana vulnera mea, et vivifica me; inflamma pectus meum, ut prae amore liquescat.

Non peto mundi divitias, sed Tuas angustias, Domine Jesu; non carnis delicias, sed Tua flagella.

Rogo Te, dulcis Jesu, ne sinas unquam me oblivisci mortis et passionis Tuae; sed praesta, ut in ea mihi sit requies et accessus ad Divinitatem.

Omnia vulnera Tua, Domine, inscribe cordi meo, ut Tu Solus Tuaque passio in eo legantur. Intra vulnera Tua absconde me.

Domine Jesu, Qui nos sic amasti, ut Tibi non parceres; veni, et ne differas vulnerare cor meum, ut solum Tua vulnera sentiam, et in iis jugiter maneam et requiescam.

Tui dolores semper occupent pectus meum, ut eorum memor dicam cum sponsa: Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Dulcis Jesu, Qui tanto fervore et festinatione in Hierusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me patereris, fac me alacrem et ferventem ad omnia, quaecunque volueris, pro Te sustinenda.

Salvator mundi, Qui a perdito discipulo venditus fuisti; ne, quaeso, permittas, ut pro vili pretio rerum terrenarum Te, summum bonum meum, vendam et derelinquam.

Decas VIII.

Humillime Jesu, Qui servili obsequio lavisti pedes discipulorum Tuorum, amplius lava me ab iniquitate mea, et a spiritu superbiae libera me.

O Dilecte cordis mei, Qui imminente passione Tua perpetui amoris Tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus Tuum scilicet in cibum et sanguinem in potum; praepara me ad hoc convivium, et orna animam meam virtutibus Tuis.

O Rex supreme, Qui nutris sanguine Tuo populum Tuum, ut simus omnes de regio Tuo sanguine genus electum, regale sacerdotium, gens sancta; fac me agnoscere genus meum, et de eo gloriari, et a moribus Tuis nunquam degenerem esse.

Ut passio Tua esset acerbior, amabilissime Jesu, omnem laetitiam a Te procul abjecisti, incipiens pavere, contristari et moestus esse, et ubi dolor meus, in causa Tua et mea? Fac me semper memorem tristitiae Tuae, ut omnem angustiam quacunque ex causa mihi advenientem pro Tui Nominis gloria libenter patiar.

O laetitia Angelorum, Qui in tristitia Tua ad orationis remedium confugisti; concede mihi misero, ut ablacter a lacte, et avellar ab uberibus humanarum consolationum, meque totum orationi applicem, in qua sanctissimam voluntatem Tuam et cognoscam, et exsequar.

Transeat a Te, Domine, ad me calix Tuus: omnis enim amaritudo pro Te degustata erit mihi jucundissima.

Quis mihi det, dolores Tuos ita sentire, afflictissime Jesu, ut vel eorum cogitatio sanguineum a me

sudorem eliciat? Adjuva me gratia Tua, ut voti hujus compos efficiar.

Laudo et glorifico Te, mitissime Jesu, pro Tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti a perfido discipulo osculo traditus, et ab impiis comprehensus atque ligatus; da mihi hunc spiritum lenitatis, quo erga meipsum severus sim, et erga proximum mansuetus.

Quam celeriter ire cogeris a Tuis hostibus raptatus, dulcissime Jesu, sed multo magis a Tua charitate; ne, quaeso, patiaris, ut a Te alacriter sequendo desistam, etiam si multi labores et dolores subeundi sint.

Jesu innocentissime, Qui per diversa tribunalia crudeliter trahi voluisti, victima meorum criminum; dirige gressus meos in viam pacis, et jube, me venire ad Te, nam et si oportuerit, me mori Tecum, non Te negabo.

Decas IX.

O bone Jesu, virtus et fortitudo animae meae, Qui tot irrisiones, percussiones et contumelias admirabili patientia tolerasti, doce me, omnia mihi adversantia miti silentio vincere et tranquillo corde suscipere.

Piissime Jesu, Qui nequissimo latrone et homicida nocentior proclamatus fuisti, fac me vana hominum judicia contemnere, et opprobrium Tuum semper prae oculis habere, falsisque mundi honoribus praeponere.

Mitissime Jesu, Qui nudus ad columnam alligatus et durissime propter scelera mea flagellatus fuisti; concede animae meae, ut diuturnis criminum tempestatibus jactata in hac columna portum inveniat. Liga me ad eam in funiculis Adam, in vinculis charitatis.

Rex Christe, corona Sanctorum omnium, Qui inaudito supplicio spinis coronatus fuisti, et joculari purpura indutus; fac me omnem contemptum patienter ferre, atque inglorium omnibus apparere, Tuasque spinas semper amare.

Benignissime Amator hominum, Qui ab iniquo judice morte turpissima damnatus fuisti, cum sis speculum innocentiae et sanctitatis; quanto magis me pati oportebit sinistra hominum judicia, qui in multis tam saepe deliqui?

Proficiscere, bone Jesu, ligno crucis onustus, sed multo magis amoris pondere pressus, et Qui dolori Tuo non parcis, parce peccatis meis.

Jugum Tuum, Domine, suave est, et onus Tuum leve; fac, ut illud gaudenter portem, abnegans memetipsum, et crucem meam bajulans post Te.

Suavissime Jesu, Qui tam inhumaniter in cruce extendi voluisti, ut numerari possent omnia ossa Tua; praesta, ut omnia membra, sensus et potentias ad Te semper erectas Tibi amanter uniam, et clavis timoris Tui cruci Tuae perpetuo affixus maneam.

Ad Te, Domine, clamantem exaudi, et Qui dixisti Apostolis Tuis: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad Meipsum; trahe me ad Te, et excipe animam meam in foraminibus petrae, in cavernis maceriae.

Agnosco, gloriosissime Fili Dei, titulum Tuum; Tu es enim Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum. Utinam orbis universus hunc titulum legat et admittat, Teque omnes confiteantur Regem suum et Salvatorem.

Decas X.

Jesu, vita morientium, Qui, cum jam mortuus esses pro nobis, latus Tuum lancea aperiri voluisti, ut accedentibus ad Te facilis pateret aditus ad cor; admitte me in latus Tuum, ut in eo sit requies mea in saeculum saeculi.

O quinque Christi pretiosa vulnera, divina dulcedine plena, saluto et veneror vos; in vobis enim medicina vitae, copia gratiae, plenitudo indulgentiae.

In latere Tuo latere volo, Jesu mi crucifixe, ibi orare, ibi tractare negotia mea; quia ibi, quidquid voluero, obtinebo.

Gratias ago Tibi, Salvator mundi, quia opus redemptionis nostrae perfectissime peregisti; perfice et in me opus, quod incoepisti, ut plena in me et consummata justitia reperiatur.

Quanta duritia cordis mei! concutitur terra, dissiliunt saxa, obtenebrantur coeli, moriente Domino; solum cor meum immotum erit, qui tantae necis causa fuit? Scinde illud, Domine, et frange sanguine Tuo.

Sepeli cor meum Tecum, et absconde me intra vulnera Tua, dilectissime Jesu, ut extra Te nusquam reperiar.

Obsigna cor meum, Domine, et sensus ac facultates sigillo charitatis Tuae, ut sic obsignatus Tecum maneam in aeternum.

O Rex gloriae, Domine virtutum, Qui post mortem descendisti ad inferos, et justos e carcere edu-

xisti, gaudeo de hoc Tuo triumpho, et precor, ut omnem tartaream potestatem virtute Tua vincere me facias.

O Triumphator gloriosissime, fac me participem passionis Tuae, ut sim etiam resurrectionis; Tecum moriar, ut Tecum resurgam, et Tecum tandem ascendam in coelum.

Rex sempiterne, Qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post Te, ut illic semper fixum sit cor meum, ubi Tu es thesaurus meus, et gloria mea, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.

Stimulus Compunctionis.

Meditationes et Adspirationes

verbis sacrae Scripturae intertextae.

Caput I.

De sensu Jesu Christi dolentis super aversione peccatoris.

Ego Unigenitus Dei Filius, Dei virtus et sapientia clamito in plateis et in medio populi exalto vocem Meam; enutrivi enim et exaltavi filios hominum, ipsi vero spreverunt Me.

Scripsi in visceribus tuis, o homo, dulcissimam legem novi testamenti Mei, et in medio cordis tui plantavi eam; et tamen displicuit tibi lex Mea immaculata, convertens animas et fidele testimonium aeterni amoris Mei.

Longe recessisti a Me cum praevaricatore Adam, patre tuo, et abscondisti te a Me, clementissimo Deo et liberatore tuo, cum ambularem ad auram post meridiem.

Quid est hoc, fili aliene? Quo fugis a facie mitissimi Dei et Redemptoris tui?

Numquid Ego crudelis Dominus sum, quia celeriter fugis Me, et quaeris, meliorem Dominum invenire?

Considera, quid agas et quam longe recedas a salute tua; gratis enim odio habes pretiosissimum remedium et libertatem tuam.

Facta est quasi vidua infoelix anima tua, quae posset, si tu divinae gratiae cooperari velles, permanere in fide desponsationis suae, et gaudere privilegiis suavissimae charitatis Meae.

Et tamen abominata est Me, fidelissimum Sponsum suum, et de spoliis ejus inimici ejus locupletati sunt.

Quomodo obscuratum est aurum antiquae dilectionis Meae, mutatus est bonae conversationis color optimus, dispersi sunt lapides templi et sanctuarii Mei in capite omnium platearum.

Non placuit tibi habitatio Jerusalem, civitatis Meae, quam dilexi; et annumeratus es inter cives Babylonis, quam odivit anima Mea.

Vae animae recedenti a Me! terrores enim mortis militabunt adversus illam, et dolores inferni invenient eam.

Irascentur ei catuli leonis rugientes, ut rapiant et quaerant projectam a Deo escam sibi.

Ex quo enim, pro luce gratiae Meae, posuisti tenebras peccati, et facta est nox tristissima offensionis Meae, omnes bestiae sylvae infernalis pertransibunt, et apertis faucibus festinabunt ad devorandam apostatricem animam tuam.

Ergo saltem amodo voca Me, et dic: Deus meus et Dux meus es Tu; jam non ultra fugiam Te.

Erravi, o dulcissime Deus, sicut Cain, profugus a

facie Tua; et servivi diis alienis, in quibus non est salus aut libertas mea.

Ecce revertor ad Te de servitute nimis dura; requiro formosissimam lucem Tuam de tenebris et umbra mortis, quae terruit me.

Vere cognovi, per experientiam erroris mei, quia non est bonum aliquod extra Te, amabilissimi Dei Filium, Cui consecro viscera mea.

Caput II.

De suavitate Jesu Christi vocantis peccatorem ad poenitentiam.

Utinam placeret tibi, fili, pretiosior auro amicitia Mea, et auribus cordis contriti et humiliati audires subtilem vocem Meam, qua saxa moventur.

Ego quasi nutritius Ephraim gero curam tui, et cum duritia cordis tui lapidei pugnat magna et fidelissima misericordia Mea.

Tu secundum duritiam tuam et impoenitens cor resistis melle dulciori Spiritui Meo; et Ego secundum divitias bonitatis infinitae quaero emollire viscera tua secretis et innumerabilibus inspirationibus Meis.

Tu fugis Me persequentem te non odio, sed tuae salutis desiderio; et Ego tibi fugienti quasi ex insidiis occurro, ut expansis brachiis amplectar te, vincam feritatem tuam infinita mansuetudine Mea.

Propter quod coeli et terra mirantur clementiam et suavitatem Creatoris sui tam sollicite vigilantis super custodia ingratissimi peccatoris, nolentis tollere suave jugum Meum super se.

Usquequo durum cor tuum calcitrabit contra stimulum fortissimi amoris Mei?

Numquid in aeternum repugnabis inaestimabili charitati Dei tui?

Ego potuissem damnare te per justitiam Meam, quia impie egisti et confregisti jugum Meum, et dixisti: Non serviam; et tamen sustinui te in multa patientia et desiderio aeternae vitae tuae, si forte convertereris ad Me, et reconciliareris clementissimo Patri Meo.

Quid ergo moraris, fili dilectissime?

Cur differs de die in diem, reverti ad suavissimam pacem et dilectionem Meam?

Sine, fili, sine, ut resolvam glaciem tuam igne ardentissimo amoris Mei, et reformem deformatam animam tuam ad exemplar Unigeniti Filii Dei.

O generatio Adae, quamdiu vos patiar!

O rem mirabilem et absconditam à mundi sapientibus et prudentibus, qui obturaverunt aures suas, ne perciperent ignitum eloquium meum!

Ego Filius altissimi, sto ad ostium tuum, et pulso cupiens introire et implere bonis ineffabilibus domum tuam; et tamen durum tibi videtur, recipere hospitio Deum, Redemptorem et amicum tuum.

Certe, si tu pulsares semel portam domus Meae, ad primum ictum festinarem aperire tibi, sicut aperui David, servo Meo suspiranti ad correptionem Nathan, Prophetae Mei.

Placet ergo tibi, fili dulcissime, consilium Meum; et opportuna poenitentia convertere ad Me, pacificum

Regem tuum; et quasi mater amantissima diligam et amplectar te, nutriamque infantiam tuam dulcissimo lacte Meo.

Caput III.

De bonitate Dei et facilitate parcendi.

Quo fugis, fili charissime, qui graviter offendisti Me?

Numquid solitudo sterilis factus sum tibi, quia dicis in corde tuo: Recessi, non revertar ultra ad Te?

Numquid obliviscetur virgo fasciae pectoralis suae, aut sponsa ornamenti nuptialis sui?

Quomodo ergo anima tua, quam Ego despondi Mihi pretio sanguinis Mei, dereliquit Me, et oblita est Mei diebus innumeris?

Ego sum ipsa bonitas, quae sua dulcedine pascit omnes creaturas, qua nihil amabilius cogitari potest; et tamen incredibili dementia quaeris bonum extra Me.

Considera, fili, bonitatem Meam, qua petrae molliuntur, et emollire; neque falsis prophetis credas, qui praeter Me gaudia falsa divinant.

Certe si Ego sum ipsa summa bonitas, necesse est, quidquid extra Me quaeris, bonum tibi non esse, quamvis omnia regna mundi et omnia desiderabilia oculorum carnalium solus possideres.

Vulgo dicitur: Bonum est, quod omnes appetunt; et tamen gravi errore seductus traheris voluptate bonorum apparentium, verum autem, aeternum et incommutabile bonum nimis stulte relinquis.

Utinam saperes, et intelligeres, et novissima provideres?

Ne sequaris deos alienos, fili; certissime enim aver-

tent a vera sapientia cor tuum; exspectabis lucem, et non videbis, neque ortum surgentis aurorae.

Adhaereat casta lex Mea visceribus tuis, et percipe sibilum secretae eruditionis Meae, et Catholicae fidei, qua illuminavi te.

Ecce tu credis sincera fide, Me esse infinitam bonitatem, pulchritudinem, sapientiam, qua sola cor hominis satiari potest; quo ergo properas, dum offendis Me, nisi ad infinitam malitiam, turpitudinem et stultitiam, qua foedabitur anima tua?

Nonne sanius consilium est, adhaerere Mihi, et illuminari, atque satiari ab uberibus consolationis Meae, quam inter vagos et profugos inimicos Meos de siliquis porcorum saturari?

Convertere, fili prodige, in requiem tuam, et Ego revertentem de regione longinqua amplectar te; dicamque servis Meis statim ac videro te: cito proferte stolam primam, date annulum in manu ejus, et calceamenta pedibus ejus.

Commovebuntur quippe viscera Mea super dulcissimo filio Meo, quem genui; laetabor super conversione tua quasi qui invenit spolia multa.

Delector enim miserendo; et prae magnitudine bonitatis Meae ad miseriam et gemitum pauperum liquescit anima Mea.

Recordare, fili, mansuetissimi cordis Mei, ex quo discere poteris, quam magna sit multitudo bonitatis et dulcedinis Meae; lege sacras Scripturas Meas, et miraberis facilitatem miserendi et parcendi peccatoribus, et consolandi afflictos, ex quo intelliges, Me bo-

num Dominum esse, et timebis recedere a Me, sicut mors timeri solet.

Ego nunquam levavi lanceam Meam super virum, qui vellet servire clementissimo Patri Meo, quamvis gravissime peccasset.

Semel suspiravit David, servus Meus, dicens: Peccavi, et statim transtuli ab eo peccatum ejus.

Paucis gemitibus accusavit se Publicanus, qui Me multum offenderat; et cito descendit justificatus et laetus in domum suam.

Decem millia talenta debebat Mihi servus nequam, qui procidens rogavit Me; et dimisi liberum, omneque debitum donavi ei.

Mulier comprehensa in adulterio stetit timens et instanter accusata in conspectu Meo; et suavissime respondens a damnatione eripui eam.

Magdalenae peccatrici ostendi laetam faciem, et celeriter peperci ei, ita ut Pharisaeus, qui Me invitaverat, miraretur.

Latro, qui juxta Me crucifixus fuit, verbo uno mollivit viscera Mea; factusque est statim particeps regni Mei.

Quare ergo bonitas Mea tot testimoniis probata non placet filiis Adae, sed quaerunt solatia peregrina?

Caput IV.

De sapientia Dei, a qua homo peccando recedit.

O quam stulte recessisti a Me, fili, cum Adam, patre tuo, qui per arborem prohibitam quaesivit esse sicut Deus, sciens bonum et malum!

Non est haec via sapientiae Meae, quae palato cordis dulcissime sapit.

Ego sapientia, Quae ex ore Altissimi prodivi, sum lux formosissima, Quae splendoribus aeternis illustro mentes parvulorum, qui sub disciplina Mea requiescunt.

Inflatos autem, et praesumentes de se projicio a facie Mea, ut sedeant in tenebris et umbra mortis, et nesciant discernere inter sinistram et dexteram suam.

Vae peccatoribus, quos excoecavit malitia sua, ne viderent Me, solem justitiae praeceptoremque sapientiae, sub Quo in momento discerent secreta coelestia, et fierent doctiores, quamsi scirent numerare stellas coeli et arenam, quae jacet in littore maris.

Certe licet peccator, qui a Me recedit, sciret omnes doctrinas, quae discuntur in Academiis orbis terrarum, nihil sciret, quia nesciret Me, in Quo sunt omnes thesauri sapientiae Dei.

Et si linguis hominum loqueretur et Angelorum, quasi infans reputaretur in coelesti civitate Mea, quia nesciret Verbum Dei, Qui linguas infantium facit disertas.

Cum ergo haec ita se habeant, quid cogitas, fili, discurrens per varias hominum scientias, in quibus non est salus aut satietas?

Revertere jam fatigatus ad Me, fontem sapientiae melle dulcioris, et potabo te, et dilatabuntur viscera tua.

In Me Solo potest requiescere intellectus tuus; ne ergo labores frustra quaerens magistros mendaces, quos Ego non erudivi.

Fuge de medio Babylonis, et vita innumerabiles sollicitudines, quibus distrahitur cor tuum; ducam te

in solitudinem, lactaboque te et docebo bonitatem, disciplinam et scientiam Meam, ita ut super senes intelligas et omnes consiliarios Pharaonis et divinatores Chaldaeorum transcendas.

Aufer sordes mentis, fili charissime, et mundare, ut puris oculis aspicias candidissimam lucem Meam; daboque tibi, ut fias consors secretorum Meorum, et inflammeris amore aeternae sapientiae, quae ineffabilibus gaudiis casta corda delectat; gusta saporem Meum, et aperientur oculi tui ad contemptanda mysteria Mea desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.

Et exultabunt ossa humiliata tua, quae implebo castissimis delectationibus, quas praeparavi poenitentibus, qui revertuntur de terra aliena in dulcissimam civitatem Jerusalem, ubi thesaurizant divitias suas.

Caput V.

De pace Dei, quae per peccatum amittitur.

Ego Rex pacificus, Qui magnificatus sum super omnes reges universae terrae, participes facio amicos Meos pacis, quae superat omnem sensum.

Quando enim homo existit in statu gratiae, Ego habito in eo tanquam in thalamo nuptiali, ubi omnia pacifica sunt; et gustatur ibi pax dulcissima filiorum Dei, auditurque concentus suavissimus partium hominis conspirantium in unam consonantiam legis Meae; quam bene sensit ille, qui dixit: Deus, canticum novum cantabo Tibi, in psalterio decachordo psallam Tibi.

Haec pax est auro pretiosior et omnibus mundi

honoribus divitiis et consolationibus amabilior; quam si filii hujus saeculi gustarent, cito despicerent omnes amores terrenos, et suspirarent ad Me.

Tu ergo, fili, considera, quid feceris, quando recessisti a Me, noluisti pacem Meam, et elongata est a te, et surrexerunt adversus animam tuam innumerabiles hostes, qui non dormiunt, et te requiescere non sinunt.

Existimasti te habiturum et possessurum pacem, si satisfaceres appetitui, et desideriis vanis ejus, vivens more gentilium, qui non cognoverunt Me; et tamen nihil pacis invenisti, sed sollicitudines et anxietates, stimulos conscientiae, horrores et timores judicii Mei, sicut Cain, qui egressus a facie Mea timuit, ne omnis, qui inveniret illum, interficeret eum.

Contigit tibi, fili, quod olim accidit populo Israel, qui non bene usus fuit habitatione Jerusalem, civitatis Meae; migravit enim Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis, quam peccando incurrit; habitavit inter gentes, nec invenit requiem.

O quam graviter errat peccator, qui pacem filiorum Dei a se projicit, et implicat se infinitis quaestionibus!

O quam infoeliciter vivit impius, qui fugit nemine persequente, portans secum damnationem mortis, quam operatus est!

Usquequo clamabo et invitabo te, fili ingrate, ad convivium deliciarum Mearum, ubi pacificabuntur interiora tua et laetabuntur consortio pacis et amoris Mei?

Convertere jam, fili, in requiem tuam, quam per

dolores mortis comparavi tibi, et placeat tibi habere Mecum cor unum et animam unam.

Faciamus hodie pactum concordiae fidelissimae, quae non habeat finem.

Ego parco tibi, dulcissime amice, neque recordabor culparum, quibus offendisti Me; praebe Mihi cor tuum, ut ineamus foedus amicitiae in sanguine Meo, quem fudi pro te.

Rumpe jam vincula colli tui, captive fili, et respira ad libertatem Meam; nam quod attinet ad Me, Ego ero fidelissimus adjutor in opportunitatibus, in tribulatione et egestate tua.

Ego scripsi te in medio corde Meo, neque unquam obliviscar tui.

Tantummodo peto, ut revertaris ad Me, et in posterum bene utaris suavissima conversatione Mea; et faciam, ut oriatur in te justitia et abundantia pacis, quae permanebit cum sole et ultra lunam.

Ecce latus Meum apertum, et manus clavis perforatas; junge latus cordis tui lateri Meo, manusque tuas manibus Meis, et convertere tandem ad pretiosissimam pacem Redemptoris et Amici tui.

Caput VI.

De tutela Dei, a qua homo peccando recedit.

Ego custos hominum curam gero servorum Meorum, quasi nutrix foveat infantulum suum; non enim dormitabit, neque dormiet, Qui custodit Israel.

Custodio Ego amicos Meos, ut charissimam pupillam oculi, neque patior virgam peccatorum super sor-

tem, sive haereditatem justorum, ne forte justi Mei nimis afflicti extendant ad iniquitatem manus suas.

A principio mundi non est auditum, quod mater aliqua tam ardenter diligeret et custodiret unicum filium suum, quam Ego, Qui erga justos Meos plusquam mater sum et animas eorum diligo, quasi dulcissimas sponsas Meas.

Non timebunt, qui serviunt Mihi, a frigoribus nivis; omnes enim domestici Mei vestiti sunt duplicibus, quia bonum Dominum sortiti sunt.

Quare ergo, fili, recessisti a Me, et exposuisti te tot periculis et latronibus, qui insidiantur tibi dicentes: Deus propter ejus peccata dereliquit eum; persequimini et apprehendite eum, quia non est, qui eripiat.

Quis te proteget a vitulis multis et tauris pinguibus, qui obsederunt te, si sis extra tutelam Meam?

Omnes bestiae sylvae properabunt ad mortem tuam, nisi Me custodem tuum esse sentiant.

Foris vastabit te gladius et intus pavor; vagus et profugus eris super terram.

Nonne considerasti, qualiter timeant malefactores, qui reges terrenos offenderunt? certe nullibi quiescunt, sed timent ad omnem strepitum, quasi ad umbram mortis, cogitantes, ne forte ministri regis offensi irruant repente super eos.

Quanto ergo magis sollicitabit te timor mortis, si careas custodia Mea, et ut servus peccati tradaris persecutoribus tuis?

Mirabile est, quam dementes sint peccatores, qui

tradiderunt animas suas in manus hostium suorum, non cogitantes, se carere fortitudine Mea.

Revertere igitur, fili carissime, ad Me, tutorem tuum, et Ego, Qui confregi capita draconis, defendam te.

Ego te ducam per terram desertam, per locum horroris, et vastae solitudinis, si fideliter perseveraveris in timore Meo.

Ego conturbabo principes Edom; et robustos Moab apprehendet tremor, dum per viam vitae transieris sub tutela Mea.

Convertere ex toto corde ad Me, custodem ductoremque tuum, non requirens infirma auxilia mundi et factorum ejus; et Ego Solus dux tuus ero, eroque tibi sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans; et experientia cognosces, quia melior est dies una in atriis, et custodia Mea, super millia; et in tempore angustiae liberabo te, eo, quod posueris in Me cor tuum munitum firmissima fiducia infinitae bonitatis et misericordiae Meae.

Caput VII.

De amissione gratiae divinae, quam peccator incurrit.

Omnes mundi thesauri comparati cum divina gratia Mea pulvis sunt et cinis, neque ulla aestimatione digni reputantur.

Tanta est quippe altitudo, dignitas et pulchritudo gratiae Meae, ut bonos aestimatores ad incredibilem admirationem moveat.

Ex quo fit, ut servi Mei oculos illuminatos haben-

tes intimo dolore et compassione moveantur super proximis suis, quando a statu gratiae Meae in statum culpae mortalis labuntur.

Quod si tu, fili, bene considerares, cito converteeris ad Me motus magnitudine calamitatis, quam peccando incurristi.

Erat anima tua suavissima sponsa Mea in vestitu deaurato, circumdata varietate, cujus pulchritudinem sol et luna mirabantur.

Tanta erat ejus gratia, cum in fide desponsationis permaneret, ut oculos Meos mirabiliter delectaret.

Erat ornata monilibus filia Jerusalem, speciosa sicut columba, formosissima luce illustrata, et suavi valde decore praedita.

Erat conformis exemplari suo, cujus comparatione non lucent astra matutina.

Erat dives valde divitiis veris virtutum Mearum, quas neque aerugo, neque tinea demolitur.

Postquam vero peccavit, egressus est a filia Sion omnis decor ejus, et a tanta foelicitate incidit in tam extremam calamitatem, ut coeli super hac mutatione obstupescant.

Tanta enim est, o fili, turpitudo et ignominia peccati, quod commisisti, ut factus sis leprosus putredine intolerabili, horribilis et vermium ebullientium esca miserabilis.

Quid est hoc? Quomodo dissipata est amoenitas paradisi Mei, et terra fructifera versa est in salsuginem a malitia inhabitantium in ea?

Quomodo anima tua contra fidelitatem desponsatio-

nis recessit a Me, et foedata est cum amatoribus multis, qui corruperunt eam?

Convertere ergo, fili Mi, ad gratiam et amicitiam Meam, et ad splendorem faciei tuae; neque sis ita delirus, ut in tanta calamitate et egestate deinceps vivere velis.

Induere preciosissima veste nuptiali, ut placeas Mihi, et recumbas in magna coena, quam praeparavi charissimis electis Meis.

Suadeo tibi, emere a Me sine argento vestem regiam, ut per plateam sanctae civitatis incedas purpura vestitus inter filios Sion inclytos et amictos auro primo charitatis Meae.

Caput VIII.

De participatione Sanctorum, quam homo peccando deperdit.

Vae soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se!

Beatus autem vir, qui per communionem charitatis particeps est omnium timentium et amantium Me et custodientium suavissima mandata Mea.

Certe qui Mihi per gratiam unitus est, unitus quoque manet omnibus membris Meis viventibus coelesti vita gratiae Meae, quod est genus amicitiae fidelissimae, qua nihil amabilius invenitur in terra suaviter viventium.

Angeli Mei et sancti homines Mihi per gratiam conjuncti, sunt amici fidelissimi singulorum hominum diligentium Me.

Et tu, fili, quando placebas Mihi, habebas solatia haec et privilegia justorum omni auro pretiosiora.

Eras copulatus Sanctis Meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitae; omniaque illorum bona per communicationem amicitiae pertinebant ad te membrum vivum Meum.

Egoque caput Ecclesiae, sponsae Meae, influebam in te motus vitales charitatis Meae similes illis, quibus moneo corda diligentium Me, et quaerentium formosam valde faciem Meam.

Spiritus enim Meus urgebat te, et excitabat, et inflammabat ardentibus desideriis aeternae fruitionis, qua fatiantur venientes de terra fatigati milites Mei.

Nunc autem denigrata est facies tua peccatis, quasi carbonibus desolatoriis, et jaces infixus in interitu, quem fecisti privatus consortio Sanctorum, quae calamitas extrema est.

Quos amicos invenies, fili, si amici Mei non faveant tibi?

Quae societas tibi proderit, dum cares Angelorum et servorum Meorum societate?

Quis te in angustia consolabitur, si cum scorpionibus habites, et coeli concordia tibi desit?

Revertere ad consortia civium Jerusalem, civitatis Meae, et ad festa, quae celebrantur communione dulcissimae charitatis; ut vivas foeliciter, quod reliquum est vitae mortalis, et postea transeas ad communionem Ecclesiae triumphantis, ubi dulcissima pax erit, et unio plena atque perfecta.

Recede a tabernaculis impiorum, qui non diligunt te, neque seipsos, nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam.

Multo utilius et delectabilius tibi erit, fili, sociari vivis membris et vasis electis Meis, ut discas sapientiam in schola mansuetudinis Meae, et crescas cibo grandium crescentium ad mansuram dilectionis, quae altior coelo est.

Mundus transit et concupiscentia ejus; unio vero amoris Mei non transibit in aeternum, sed conjunget Mecum dilectissimos servos Meos, quibus disposui regnum, ut comedant et bibant super mensam Meam in convivio deliciarum paradisi Mei.

Caput IX.

De inconstantia, quam peccator incurrit.

Peccatum peccavit Jerusalem; propterea instabilis facta est, et requiem non potuit invenire.

Stultus ut luna mutatur; quocirca cum omnis peccator stultus sit, solvit debitas poenas praevaricationis suae, nunquam in eodem statu permanens, sed ad horas singulas consilia mutans.

Recessit a firmitate et constantia sua, quam habuerat in Me, Deo et custode suo, Qui non mutor; et propterea vagatur instabilis, nesciens, quo vadat, et non inveniens, ubi possit requiescere pes ejus.

Omnes persecutores ejus apprehendunt eum inter angustias; et cupiens ille liber evadere, mutat loca sine fine, donec fugientem illum mala sua capiant in interitu.

Vae animae, quae discessit a Me.

Ubique inveniet stimulos, et die ac nocte somnus fugiet ab oculis ejus.

Hodie peccator quaerit amicos; cras vitat illos, quia infideles sunt.

Hodie vacat ludis; cras luget, quia vivendo luxuriose consumpsit substantiam suam.

Hodie quaerit honores mundi; cras fugit notatus infamia propter peccata sua.

Quid ergo cogitas, fili, qui sedes super rotam mundi, quae semper vertitur?

Quomodo non converteris ad Me, Qui sum salus, virtus et constantia tua?

Numquid non didicisti experientia quotidiana, cogitationes mortalium timidas et incertas providentias, quae sine ordine procedunt usque in finem?

Certo scias, fili, te sine misericordia Mea esse paleam levissimam et folium siccum, quod a vento rapitur, et nullibi constitere potest.

Nunc eris laetus, post horam tristis; cras dolebis ob infirmitatem, proxima die succedente tenebris metu mortis; modo cura rerum temporalium, modo ambitio, modo sitis, modo fames cruciabunt te, nisi resipiscas et jactes in Me cogitatum tuum, et offeras te totum Mihi in altari cordis tui.

Si quaesieris Me in toto corde tuo, nihil perturbabit te, neque mors, neque vita, neque mundus, neque infernus, neque creatura alia visibilis, aut invisibilis.

Eris enim testimonio conscientiae tanquam leo fortissimus bestiarum, qui ad nullius pavebit occursum.

Ego firmabo inconstantiam Adae, patris tui, et roborabo te firmissima dextera Mea; dabo te in colum-

nam ferream et in murum aeneum adversus omnes hostes animae tuae.

Bellabunt contra te, et non praevalebunt, quia te poenitentem mutabo in virum alterum participem gratiae et fortitudinis Meae.

Caput X.

De remorsu conscientiae, quo peccator cruciatur.

Fili, nisi redieris ad Me in toto corde tuo, arguet te ipsa malitia tua, et aversio tua increpabit te; nam per quae quis peccat, per haec et punietur.

Justum judicium est, ut peccator, qui dereliquit Me, Deum suum, sentiat intra se remorsum conscientiae et sollicitudinem nascentem ex timore mortis et inferni.

Justum judicium est, ut inter gaudia mundi prohibita, quibus delectari quaerit contra legem Meam, pungatur stimulo cordis gementis et praevidentis damnationem suam.

Terrores mortis militant contra peccatorem, quamvis gaudia quaerat; neque potest esse pax impio, qui arguitur a conscientia propria, a qua fugere non potest.

Hic remorsus nascitur ex peccato, quasi vermis ex ligno, et ostendit, Me justum judicem esse, et peccatorem proditorem fuisse, qui parvo pretio vendiderit Me.

Haec meditare, fili, et vide, quia malum et amarum est, dereliquisse te Dominum, creatorem et benefactorem tuum, et non esse timorem Ejus apud te.

Nonne vides omnia tibi infoeliciter succedere, quamdiu fugis Me, et cum anxietate animi te bibere de

aquis turbidis Aegyptiorum, cum possis per gratiam Meam reverti in charissimam civitatem Jerusalem et potari aqua pura Jordanis, ubi poteris lavari et super nivem dealbari?

Quare ergo resistis impulsibus amoris Mei vocantis et invitantis te ad amicitiam Meam?

Projice a te, fili, quinque juga boum, quae stulte emisti, et tolle gratis unum suavissimum jugum Meum, ubi stimulis conscientiae non fatigaberis, sed invenies requiem fatigatae animae tuae.

Quaere serenitatem coeli, et pacem, quae superat omnem sensum; requiesce ab ista sollicitudine, qua vexaris.

Voca Me, et respondebo tibi subtilibus inspirationibus Meis, quae gaudia vera generabunt, et sedabunt commota viscera tua.

Ego te solabor, et loquar intus ad cor, si convertaris ad Me, et confiteberis Mihi in directione cordis, cum adeptus fueris libertatem, et quietem, et alia pretiosissima privilegia filiorum Dei.

Sperne jam consilia negotiatorum mundi, qui lacerant viscera tua, et sequere unicum et saluberrimum consilium Meum; et videbis, quomodo Ego dissipo omnes machinas inimicorum tuorum, et creo in te spiritum novum, quo renovetur sicut aquilae juventus tua, ut fruaris amabilissima pace et securitate Mea.

Caput XI.

De duritia cordis, quam peccator incurrit.

Justus Ego sum, et justitiam dilexi; aequitatem vidit vultus Meus.

Peccator repulit Me et repugnavit innumerabilibus inspirationibus Meis, quibus Ego volebam emollire cor ejus.

Et idcirco Ego repello eum, et prohibeo pluviam Meam, ne stillet super illum.

Ego invigilavi Pharaonem per externa prodigia, quae feci per manum Moysis, servi Mei, et per internas inspirationes, quas ille infoelix peccator sensit; sed cum repugnaret grandi misericordiae Meae, permisi obdurari cor ejus supra silicem et supra durissimas petras, donec persequeretur Israel, populum Meum, et submergeretur quasi plumbum in aquis vehementibus.

Ego unxi Saul, regem Israel, cum esset parvulus in oculis suis, et quasi puer unius anni sequeretur Me; sed postquam coepit et perseveravit resistere multis motibus et inspirationibus Meis projeci eum, donec incumbens super gladium suum horribiliter mortuus est.

Ego tractavi tanquam hominem unanimem et fidelem infoelicem Judam, discipulum Meum; sed postquam restitit dulcissimis verbis et inspirationibus Meis et obfirmavit cor suum contra Me, dimisi eum, donec velut diabolus effectus, suspensus crepuit medius, et effusa sunt amaritudine plena viscera ejus.

Quid ergo exspectas, fili, qui peccasti et recessisti a Me?

Quare perseveras in statu damnationis obdurans animam tuam, ne vincatur infinita dulcedine et patientia Mea?

Numquid in aeternum pulsabo portam domus tuae, ut mitescat feritas tua?

Revertere, fili, ad cor, neque conjicias teipsum in extremum periculum duritiae, ut incurabilis fiat plaga tua.

Nonne audisti, quia cor durum male habebit in novissimo, et quia peccator funibus peccatorum suorum constringitur?

Cave, fili, grande malum hoc, et considera, quid ad te requiram.

Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit; sed antequam contemnat, tangitur et movetur aliquantum interioribus inspirationibus bonitatis Meae.

Postea vero paulatim frigescit et minus sentit impulsus Meos, donec lapideo corde insensibilis factus nihil curat admonitiones Meas, sed quasi equus indomitus currit per prata mundi festinans ad aeternam flammam.

Vae tibi, fili, nisi cito redieris ad Me!

Recordare salutis tuae et gloriae Meae, quam praeparavi iis, qui veram poenitentiam agentes lavant stolas suas in sanguine Meo.

Utere jam remediis misericordiae, ne obdureris, et tradaris in reprobum sensum.

Si audieris Me, Ego liquefaciam glaciem cordis tui, stabitque Spiritus Meus, et fluent aquae compunctionis, quibus abstergantur sordes tuae.

Amplectere hoc sanum consilium Redemptoris tui parati parcere tibi et mutare sortem tuam.

Imprimam, si convertaris ad Me, sensum contritionis et amoris visceribus tuis; et laetaberis renovatione cordis, sicut laetantur victores capta praeda, celebrabisque regenerationem tuam; et sanus effectus cantabis invictissimas et super mel dulcissimas misericordias Meas.

Caput XII.

De desperatione, quam aliquando peccator incurrit.

Considera, fili, quia non est aliud Nomen sub coelo, praeter Meum, in Quo te oporteat salvum fieri.

Noli errare spem tuam ponens in rege Aegypti, qui est baculus arundineus, super quem si quis innitatur, perforabit manum ejus.

Ego vici mundum, mortem, infernum, et propterea, qui Me offendit et confugere curat ad favores et delicias hominum, qui non sunt consortes victoriae Meae, incidit in dejectionem animi, quae poena acerbissima est.

Caret gratia Mea, quae generat spem vivam aeternorum bonorum, et videns, se nihil dignum aeterna vita operari, frangitur et debilitatur usque ad tristissimam desperationem, quae statum damnatorum repraesentat.

Hic est fructus ambitionis quaerentis honores hominum, quorum nomina in terra scribuntur.

Hic est fructus avaritiae, quae insatiabili cupiditate in terra thesaurizat.

Hic est fructus luxuriae, quae inebriatur delectationibus carnis, et non cogitat purissima gaudia Spiritus Mei.

Hic est fructus irae, quae facit veloces pedes hominum ad effundendum sanguinem, et non curat numerari inter mites servos Meos, qui possidebunt viventium terram.

Denique hic est fructus omnium peccatorum, quando malitia crescit, et anima horret bonum, per quod ad vitam aeternam pervenitur.

Quid ergo agis, fili? Cur jaces in statu lamentabili inimicitiae Meae, quae producit fructum desperationis accelerans mortem et infernum?

Quomodo non misereris animae tuae languentis prae defectione virium?

Considera dissolutionem tuam et furorem, quo curris ad flammam, deposita cura salutis aeternae, quasi non supersit tibi spes.

Stulte agis, fili, cadens animo, neque cogitas, Me Omnipotentem esse et te de luto foecis.

Projice de medio tui sordes et pondera peccatorum, quae dorsum incurvant et in desperationem impellunt, et suspira ad Me, auctorem spei et redemptionis tuae; et liberaberis a servitute nimis dura, qua opprimeris et respirabis ad auram Spiritus Mei, Qui vivificabit ossa Mea.

Convertere ad Me per opportunam poenitentiam, quae salutarem tristitiam secundum Deum generat, et simul laetificat animam in Me renascentem et a Me recipientem pignus haereditatis aeternae.

Sic sperabis, et sollicita anima tua navigans per mare magnum fundabitur jacta anchora spei firmissimae, quam Ego acquisivi tibi pretiosissimo sanguine et in aestimabili charitate Mea.

Caput XIII.

De infidelitate, quam periculum est, ne peccator incurrat.

Ego altissimi Dei Filius sum lux mundi, et justo judicio punio peccatorem, qui odit Me, interioribus tenebris, quibus obscuratur intellectus.

Quod malum adeo grave et formidabile est, ut aliquando infoelix peccator multiplicando delicta in tantum a vera luce recedat, ut infidelitatem incurrat.

Recessit a Me et dilexit bona terrena plusquam Me; ex quo fit, ut depravata voluntas ita corrumpat verum judicium intellectus, ut tandem fidem Catholicam amittat.

Sic videre poteris, fili, quid acciderit peccatoribus multis, qui, cum prius in Me credidissent, aggravando peccata avaritiae, superbiae, gulae aut luxuriae erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.

Vae illis, qui oderunt purissimam lucem Meam, qua bonum aeternum et incommutabile cognoscitur, et bonis creatis anteponitur!

Melius erat eis, si nati non fuissent homines illi; nam extrema infoelicitas est, a fide Mea errare et jugum Meum obscurato intellectu projicere.

Et tu ergo, fili, considerans, quid acciderit aliis similibus tibi, convertere ad Me; ne forte multitudine peccatorum oneratus et legis Meae immaculatae taedio affectus incipias non bene sentire de bonitate Mea, et relaxato corde per amorem bonorum temporalium tradas te vitiis et concupiscentiis usque ad prodigiosam abnegationem fidei Meae.

Vide, fili charissime, quo tendas, dum peccare non desinis; ne si crudelis in temetipsum currens velociter ad interitum; quibus instruo te: ne obtures aures tuas seductus amore carnali, qui demergit innumerabiles homines in perditionem.

Tempus breve est; negotiare, dum venio redditurus tibi aeternam vitam aut flammam.

Si abstuleris de medio tui peccata et idola tua, et reversus invocaveris Me, Deum, Redemptorem et custodem tuum, illuminabo oculos tuos, ne unquam obdormias in morte, custodiam te, et lucerna Mea splendebit super caput tuum.

Et laetaberis formosissima et beatissima luce Mea, qua dirigam gressus tuos in nocte vitae mortalis, deducens te ad splendorem Meum per itinera aeternitatis.

Aperiam oculos tuos radio infinitae lucis Meae, et quasi de gravi somno evigilans miraberis, quomodo praeterito tempore ambulaveris in tenebris et umbra mortis; et ex omni corde tuo diliges Me, liberatorem tuum, sacrificioque perpetuae laudis honorabis Me.

Surge igitur cito, fili dilectissime, surge de tenebris et horrore inferni, ubi jaces, accipeque lumen coeli, quod exhilarabit te, antequam veniat nox ultima, quae erit poena novissima peccatorum contemnentium praesentes inspirationes et misericordias Meas.

Haec meditare in secreto cubiculo cordis, et convertere ad Orientem, ubi nascor Ego sol justitiae, Qui cupio illuminare te et implere splendoribus Sanctorum dilectam animam tuam.

Caput XIV.

De infoelici morte peccatoris.

Currit peccator, dum vivit, per campos mundi, quasi taurus, qui impinguatur ad victimam.

Non cogitat miser homo se a morte, tanquam a latrone insidiante capiendum, ut in vincula inferni conjectus reddat usque ad novissimum quadrantem.

Bibit, comedit, ludit, ridet, jurat et blasphemat, et interim, dum peccat sine froeno, irruit super eum infirmitas mortalis, atque vocatur ad judicium.

O quam acerbus dolor est, vocari ad mortem!

O quantus tremor et horror invadit peccatorem, quando videt, se morte tristissima separari ab omnibus, quae ardenter amaverat!

O quam luctuose dicit in angustia illa: Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me.

Vae impio morienti, super quem omnes fluctus dolorum et afflictionum repente irruunt, ut praesentiat inferni tormenta, qui noluit suspirare ad aeterna solatia.

Jam transierunt illicita convivia; jam ludi prohibiti elapsi sunt; jam consanguinei et amici defecerunt; jam divitiae non prosunt; et quidquid delectaverat, in argumentum desolationis et desperationis conversum est.

Anima infoelix, quae repulit inspirationes Meas, timet exire de corpore ad flammam, et quantum potest, retrocedit, si forte sit, qui in angustia extrema consoletur eam.

Sed frustra resistit, quia instat hora moriendi et solvendi omnia desiderabilia, quae habet a diebus antiquis, cum praevaricaretur dulcissimam legem Meam.

Omnia ejus peccata, quasi exercitus terribilis repraesentantur ei, ut videat, quam tristem et amarum finem praeterita gaudia sortiantur.

Daemones, quasi canes rabiosi, stant exspectantes praedam suam innumerabilibus catenis culparum ligatam, ut trahatur ad poenam.

Noluit stultus homo placare Me, cum tempus haberet, et in hora ultima non habet, ad quem respiciat.

Omnes persecutores ejus apprehendunt eum inter angustias, et cupiunt crudeliter sorbere sanguinem ejus.

Denique prolata sententia justitiae Meae vas irae aptatum ad interitum rapitur ad tormenta.

Haec est sors hominis injusti, quem mala capiunt in interitu.

Quid ergo cogitas, fili, qui peccasti? Quid exspectas?

Nonne horret animus, audire haec, quae peccator moriens invitus patitur?

Convertere ergo ad Deum tuum, Qui potest eripere te ab ira ventura, et solari exeuntem de hac vita, per infinitam gratiam et inaestimabilem misericordiam Suam.

Time timore magno iram et justitiam Meam, dum vivis; ut moriens sentias paterna viscera Mea; qui enim Me tanquam judicem severum in vita timent, tanquam benignissimum Patrem in morte inveniunt.

Beati, qui custodiunt toto corde vias Meas memores novissimorum suorum; non timebunt a timore nocturno, cum loquentur inimicis suis in porta, quando scilicet egredientur de hac vita, cui succedit aeterna nox peccatorum, vel lux aeterna justorum, quos dilexi.

Sequere Me, fili, et adhaereat lex Mea visceribus tuis, et non tanget te tormentum mortis, sed requiesces in suavissima pace Mea.

Caput XV.

De sensu amarissimo amissae gloriae in morte peccatoris.

Attende, fili, quae dico; os enim Meum semper loquitur sapientiam et meditatio cordis Mei prudentiam. Si sciret peccator, qualis sit exitus delectationum suarum et aculeus, qui manet infixus in anima post commissam culpam, horreret peccatum, sicut infernum et quasi a facie colubri fugeret illud.

Sed quod non sentit, dum inebriatur dulcedine peccati, percipit in hora mortis, quando jam transiit voluptas, et solus vivit remorsus conscientiae et reatus aeternae poenae.

Inter alia vero, quae miserrimum peccatorem morientem torquent, sensus deperditae beatitudinis amarissimus est supra omnem mundi amaritudinem.

Considerat infoelix homo, quam facile potuisset gaudia aeterna bonis operibus comparare; considerat in hora illa servos Meos de corpore egredi victores mortis et inferni, et ascendere de cubilibus leonum et de montibus pardorum, ad colligendos fructus palmae, quam meruerunt.

Videt, se potuisse numerari inter illos, qui exultant in gloria, et victoria parta laetantur in cubilibus suis; propter quod tabescit anima ejus intimo dolore et dejectione, quae, si cognosceretur a viventibus, lapidea corda moveret.

Contuens enim peccator magnitudinem infoelicitatis suae, tristissimo spectaculo consumitur absque ulla spe, et dicit: Heu mihi, quam infoelix sum!

Vae mihi, quam cito transierunt gaudia mea! quam cito appropinquavi ad portas mortis?

Poteram ego suavi poenitentia non solum me redimere ab aeterna flamma, sed etiam comparare infinita solatia Dei.

O quam bene potuissem negotiari per opera pia, quibus redditur merces magna nimis!

Laetarer ego nunc ineffabili consolatione, apparente mihi mane illius diei, qui non habet finem.

Quis mihi det modo retrocedere et poenitentiam agere, ut post fletum longum succedat mihi risus! ad vesperum quippe demorabitur fletus et ad matutinum laetitia.

Quis mihi det vel horam unam verae compunctionis ad lavandas sordes animae meae innumerabilibus lacrymis, ut inveniam aeternam requiem in domo Domini, et in admirabilibus atriis Dei nostri!

Ergone semper cariturus sum civitate Dei viventis, Quem graviter offendi et ad iracundiam provocavi?

Heu me, quam celeriter rapior ad cruciatum, quia contempsi aeternum refrigerium!

Ecce, fili, quibus modis peccator moriens lamentatur amissam aeternam gloriam Meam, a qua excluditur, testimonium perhibente conscientia ipsius, quae vulnerata est horribilibus plagis, noluitque, dum tempus haberet, Meam quaerere medicinam.

Esto misericors tibi, fili, bene utens praeparatis tibi remediis sanguinis Mei, quem fudi pro te.

Negotiare, dum venio, et convertere ad Me saltem intuitu retributionis, ut vivas Mecum in amoenissimo paradiso Meo.

Abluere balneo poenitentiae, ut dignus invenïaris habitatione dulcissimae Jerusalem, quae triumphat in coelis.

Rumpe jam moras et impedimenta salutis tuae intimo timore et amore Meo; et curre velociter per arctam viam, quae ducit ad vitam, ut ingrediaris ad laetissima pascua agnorum Meorum, qui imitati sunt candorem et innocentiam Meam.

Caput XVI.

De raptu peccatoris ad aeternam poenam.

Breves dies hominis sunt, et numerus mensium ejus apud Me est.

Constitui quippe aeterno consilio terminos ejus, qui praeteriri non poterunt.

Propter quod frustra peccator morti proximus retrocedere quaerit, cum nemo possit resistere vultui Meo.

Statutum est hominibus, semel mori, licet justi sint: injustis autem superventura est secunda mors, quam peccando meruerunt, et ideo peccator accedente puncto mortis primae, desperatione et horrore plenus rapitur ad mortem secundam, mittiturque in tenebras et tormenta infernalia, quae carebunt fine.

Si videres, fili, quam ferociter irruant daemones in praedam, et morienti insultent, tremeres, et horreres valde, et festinares converti ad Me, ne talia horribilia patereris.

Trahitur infoelix anima ad locum poenarum, et demergitur in chaos illud, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Vidensque, se tandem descendisse ad statum obsti-

nationis et damnationis, irascitur et fremit contra Me, et contra seipsam furiosius, quam cogitare aut explicare possit.

Daemones, quibus obedivit, quasi lupi famelici insiliunt super eam, ut calcent creaturam infoelicem, quae calcavit, dum viveret, dulcissimam legem, et repulit magnam misericordiam Meam.

O quot latratus canum infernalium implent aures illas, quae noluerunt audire mollitos super oleum sermones Meos!

O quam formidolosa spectacula terrent oculos illos, qui corporalem pulchritudinem dilexerunt plusquam Me!

O qualis rabies torquet animam illam, quae noluit gaudere suavissima familiaritate Mea!

Ibi consumitur in sepulchro poenarum sine consumptione, et moritur sine fine; non enim cessabit manus extenta justitiae Meae, torquere inimicos Meos et vertere rotam dolorum et afflictionum in aeternum.

Propter quod, fili, praemeditare tristissimum statum damnationis, in quem peccata tua te impellunt, et revertere ad Me, antequam nox accedat; et tradaris unguibus leonum rugentium contra te.

Eripe nunc per gratiam Meam teipsum a corruptione sordium, quae faciunt animam abominabilem et dignam carcere sempiterno; et in hora illa tremenda Ego eripiam te de manu canis et salvabo te de ore leonis infinita potentia et fidelissimo auxilio dexterae Meae.

Ne differas tempus poenitentiae, sed praevenire cura sacram Meam intima confessione culparum tuarum, et humiliatione cordis contriti; et habebis Me adjutorem

fortissimum, Qui humiliabo calumniatorem tuum sollicitum et impatientem salutis tuae, quam acquisivi sanguine Meo.

Ego desidero salvam facere charissimam Mihi praedam animae tuae; ne sis ingratus perseverans in statu inimicitiae Meae, sed convertere ad benignissimum Redemptorem tuum, Qui expansis brachiis exspectat te.

Et odorabor Ego sacrificium cordis tui emolliti et praeparati ad capiendas inspirationes et misericordias Meas; placebitque Mihi hostia tua super vitulum pinguem et novellum cornua producentem et ungulas.

Non enim manducabo carnes taurorum aut vitulorum, aut sanguinem hircorum potabo; sed sacrificium laudis et conversionis tuae, qua delector, honorificabit Me, et desponsabo Mihi in reconciliatione et reparatione amissae gratiae Meae dilectissimam animam tuam.

Caput XVII.

De resurrectione animae, quae fit per poenitentiam.

Quamvis nihil eorum, quae dixi, te moveret, fili, ad agendam poenitentiam, et quaerendam pacem, et amicitiam Meam inaestimabile saltem bonum divinae gratiae, ad quam veri poenitentes resurgunt a morte peccati, deberet movere te, ut statim convertereris ad Me, auctorem vitae et lucis illius, quae nescit occasum.

Tanta est enim dignitas, sublimitas et decor gratiae Meae, per quam Ego habito in anima justi, ut abominabilis appareat omnis mundi pulchritudo et altitudo, si cum illa comparetur.

Si daretur tibi, o fili charissime, semel aspicere

resurrectionem illam, quae fit per gratiam Meam, omnia mundi bona despiceres, ut stercora, et venderes omnem substantiam domus tuae, ad emendam pretiosissimam gratiae margaritam.

Recordare, fili, quod didicisti per sanctas Scripturas et inspirationes Meas, quomodo corpus Meum a peccatoribus deformatum in acerbissima passione Mea, accedente momento resurrectionis, reformatum est, ita ut nivem candore et solem splendore superaret.

Paulo ante non erat ei species, neque decor, sed imago mortis, et in puncto resurrectionis suavissima pulchritudine et purissima luce praeditum apparuit, quasi corpus Unigeniti Filii Dei.

Ad hunc modum debes meditari, fili, resurrectionem animae, quae in peccato mortua fuerat, et per gratiam reviviscit.

In puncto enim illo ex imagine diaboli horrenda transit ad similitudinem Dei, ex tenebris infernalibus ad serenissimam lucem, ex deformitate turpissima ad pulchritudinem dulcissimam, quae lapides emolliret.

Ego Sponsus animae ab adulterio peccati revertentis ad thalamum Meum immemor injuriae capior amore columbae Meae redeuntis ad arcam cum ramo virentis olivae, et recipio illam ad strictissimos amplexus Meos.

Ego in hora illa orno redemptam a servitute Pharaonis dilectam Meam virtutibus divinis, ut se praesentet clementissimo Patri Meo, et ornata monilibus redemptionis, quae est in sanguine Meo, numeretur inter filias Sion vestitas purpura Regis, Qui gratis amavit et elegit eas.

Considera nunc, fili, unde excideris, et age poenitentiam conversus ad Me ex intimis medullis, neque parvi facias tantas et tam ineffabiles divitias, quae in statu gratiae Meae proveniunt.

Ne audias consilia hominum divertentium te a beatissima luce Mea; sed sequere consilia Sanctorum, qui dilexerunt et exquisierunt Me.

Nescit mundus aestimare gratiam Meam, vendens Me pro modico fragmento panis, quo non poterit saturari.

Aperi tu oculos cordis tui, et contemplare speciosissimam formam Dei, quantum valet infirmitas tua, et videbis, unum saltem gradum divinae gratiae Meae pretiosiorem esse, quam universi mundi imperium etiamsi absque fine duraret.

Haec est sancta et casta eruditio Mea, quae debet movere cor tuum ad contemnendas omnes consolationes terrae, et ad quaerendam amicitiam Meam.

Si fueris fidelis, et audieris Me, dabo tibi vestem novam, qua induuntur reges multi, qui Mecum regnaturi sunt in aeternum et ultra.

Caput XVIII.

De reparatione amicitiae divinae, quae fit per poenitentiam.

Inaestimabilis thesaurus est amicitia Mea, fili charissime, quem voco ad reconciliationem et pacem desiderabilem super omnia mundi desideria.

Considera, quid Ego possim et valeam, et quam fidelis amicus sim, et quam perseveranter jus amicitiae custodiam.

Ego sum dives in misericordia in omnes, qui convertuntur ad Me, neque placent Mihi viscera crudelia.

Ego sum Dominus coeli et omnium, quae coeli ambitu continentur, et dominationis Meae non est finis.

Ego fundavi terram super stabilitatem suam, et extendi coelum sicut pellem.

Ego fabricatus sum auroram et solem, aestatem et ver, Ego plasmavi ea.

Meae sunt omnes ferae sylvarum, jumenta in montibus et boves; Ego sicut verus Dominus cognovi omnia volatilia coeli, et pulchritudo agri Mecum est.

Omnia Mea sunt, neque est aliquid bonum, quod se subtrahat ab imperio Meo.

Cum ergo omnia Mea sint, fili dilectissime, et fidelissime servem legem amicitiae, si toto corde convertaris ad Me, eris dominus rerum omnium, quia amicorum omnia sunt communia.

Neque mireris, si rem tam mirabilem promittam tibi, fili; si enim tradidi Meipsum pro te, dedique in manus inimicorum pro salute tua dilectam animam Meam; quid mirum, si tradam tibi quoddam dominium super res Meas, quae cum anima seu vita Mea comparari non possunt?

Crede Mihi, fili, quia servire Mihi regnare est; omnis enim, qui facit voluntatem Patris Mei, sicut feci Ego, efficitur particeps Unigeniti Filii Ejus, ut sit filius Dei per gratiam, sicut Ego sum per naturam.

Quod si efficitur filius, certe est haeres per Deum; habet enim, quod veri Domini haeredes rerum habent, sicut cujuslibet regis in suo regno, qui factus Dei

amicus conformat in omnibus voluntatem suam rectissimae voluntati Creatoris sui.

Cum ergo haec ita se habeant, fili, cur non properas converti ad amicum tuum, cujus vultum deprecantur omnes divites plebis?

Quomodo eligis potius servire mundo servitute durissima, quam regnare per unionem amicitiae Meae, quam non solum res Meae fiunt tibi communes; sed Ego fio verissime tuus?

Numquid Ego non sum tibi melior, quam universae mundi amicitiae, et consanguinitates, quas requiris?

Considera jam, quid agas, amice charissime, et adhaereat anima tua visceribus Meis.

Quod si suavitas, quam percipis in communicatione amicorum tuorum pertrahentium te ad mortem, placet tibi, ne pigriteris propterea relinquere amicos carnales propter Me; Ego enim non solum communico cum veris poenitentibus omnia alia bona, sed etiam dulcissima solatia Mea, cum quibus nulla consolatio mundi comparabilis est.

Dilata os tuum, fili, et implebo illud, si revertaris ad Me.

Ego honorificabo, ditabo et consolabor te, sicut mater amantissima consolatur unigenitum filium suum.

Caput XIX.

De laetitia bonae conscientiae, quae nascitur ex poenitentia.

Incomparabilis est laetitia, quam generat vera poenitentia, fili charissime, sicut noverunt fideles amici

Mei; qui videntes, se esse translatos de morte ad vitam, ex reatu aeternae flammae ad jus haereditatis aeternae, ex servitute Pharaonis ad civitatem Jerusalem, quam dilexi, non satiantur hymnis et canticis spiritualibus, quibus cantant dulcissimas misericordias Meas et dilectissimam redemptionem suam.

Certe sicut corpus, quando convalescit a morbo, laetatur valde, quia a malis humoribus et a periculo mortis liberatum est; ita et anima, quando justificatur per poenitentiam, exhilaratur intima laetitia; quia a pessimis vitiorum humoribus, et ab instante morte sempiterna erepta est.

Si autem scire desideras, fili, qualis sit laetitia illa, scito, per scientiam aut eloquentiam humanam esse ineffabilem et inexplicabilem iis, qui eam non gustarunt, quamvis vanis laetitiis saeculi seipsos tradiderint. Nam laetitia mundi est in superficie hominis transeuntia bona quaerentis. Laetitia vero bonae conscientiae, quam poenitentia et reconciliatio Mea producit, est laetitia intima, quae penetrat ossa et medullas inaestimabili consolatione Mea.

Cor enim justi, postquam a vitiis recessit et ad Me fortiter conversum est, expanditur et Spiritus sancti Mei motibus movetur ad spem futurae beatitudinis, quae est sicut anchora animae firmissime confidentis, se perventuram ad infinita solatia Mea.

Loquor Ego ad cor justi secretis sermonibus, quos nemo principum hujus saeculi cognovit, et amantissime dico: Laetare, fili dulcissime, et jacta super Me cogitatum tuum.

Ego enutriam te et deducam per vias rectas justitiae Meae.

Ego ero tibi in patrem, et tu eris deinceps Mihi in charissimum filium; daboque tibi haereditatem, cum qua omnia regna mundi comparari non possint.

Esto fidelis usque ad mortem, et accipies coronam vitae in platea supernae civitatis Meae, ubi posui delicias Meas.

Ne deficias in tribulatione, quia Ego tecum sum, ut liberem te; ut post labores vitae mortalis constituam te super excelsam terram, ubi comedas fructus amoenissimi paradisi Mei.

Haec et similia verba loquor Ego ad cor justi, qui detestatus gaudia mundi, revertitur, quasi cervus a venatoribus percussus, ad Me, fontem vivum et verum refrigerium suum.

Si ergo tanta est laetitia bonae conscientiae, per quam Ego instillo suavissimos sermones Meos, quid est, fili, quod durum tibi videtur converti ad Me? cur non consideras grande bonum hoc, quo cares, quamdiu cares gratia et amicitia Mea?

Usquequo aggravabis cor tuum, sicut aggravavit Aegyptus nolens converti ad magnitudinem inspirationum et prodigiorum Meorum?

Revertere jam, fili Mi, a via, per quam errasti, sicut ovis, quae periit, et voca multis gemitibus pastorem tuum.

Et Ego benefaciendi et miserendi cupidissimus exaudiam te, et introducam te ad pascua uberrima interni solatii Mei.

Tunc afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, et cognoscens tanti boni magnitudinem perseverabis in intima conversione tua et in pretiosissima gratia Mea.

Caput XX.

De consideratione patientiae Dei exspectantis hominem ad poenitentiam.

Multa sunt et admirabilia beneficia Mea, fili charissime, quae te ad compunctionem movere et interioribus flammis urere deberent.

Sed considera saltem unum ex illis, quod est quotidianum argumentum infinitae bonitatis et misericordiae Meae.

Ego sustento te, tribuens tibi vitam et inspirationem et omnia bona, quae habes; omne quippe bonum a Me descendit.

Ego mitto tibi multas inspirationes, quasi nuntios Meos invitantes te ad pacem et vitam, qua nihil amabilius est.

Ego moveo impulsibus Spiritus Mei interiora tua, etiam dum peccas et repugnas dulcissimae legi Meae.

Ego praeservo te peccantem a majoribus malis, praesertim ab extremo malo aeterni supplicii, quod mereris.

Quomodo ergo resistis tantae benignitati?

Quomodo non movet cor lapideum tuum infinita mansuetudo Mea?

An ignoras, quod patientia Mea ad poenitentiam te adducit? cur ergo secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in diem irae et justi judicii Mei?

Ego per secretam eruditionem Meam, qua tango viscera tua crudelia, quaero mansuefacere te; et tu per internam duritiam repellis misericordiam Meam.

Ego sto ad ostium et pulso desiderans habitare in thalamo animae tuae, quam redemi; et tu obturas aures, ne sentias ictus Meos, quasi essem fur aliquis, qui vellet furari bona domus tuae.

Non est utilis, fili, ingratitudo haec, quam, qui audierit, expavescet.

Quis enim audivit unquam talia et tam horribilia, quae fecit adultera anima tua?

Quis credet Me, Deum, Redemptorem et amicum tuum tam sollicitum esse salutis tuae, ac si nihil aliud in gubernatione mundi cogitarem, et te e contrario esse adeo durum et infidelem, ut nihil aliud videaris cogitare, quam quomodo resistas divinae charitati Meae?

Cesset ergo jam, fili, stultitia haec, qua multiplicas peccata sine fine, et disce gratitudinem et fidelitatem, quam debes fidelissimo Domino et custodi tuo.

Satis exspectavi te repugnantem et anteponentem amores terrenos coelesti amori Meo; convertere ergo nunc ex toto corde, et require Me, ut salvam facias ab innumerabilibus hostibus animam tuam.

Tempus breve est; ne patiaris transire dies istos paucos, quos ad negotiandum assignavi tibi; ut acquiras bona mercatura aeternas divitias regni Mei.

Si audieris Me monentem et invitantem, Ego ero valde liberalis et misericors; et quidquid perdidisti tot diebus, quibus offendisti Me, reparabis superveniente gratia et liberalitate Mea.

Haec sit, fili charissime, sapientia tua; haec sit prudentia tua; cave, ne nimis proterve provoces Me ad iram, et abutaris infinita patientia Mea, sicut stulti multi fecerunt, quos nunc torquet inferni flamma.

Sequere consilia filiorum Meorum, qui tremunt ad sermones Meos, et praeveniunt mansuetissimo corde faciem Meam; et Ego mittam tibi largum imbrem misericordiae, et implebo dulcissima consolatione fatigata viscera tua.

Caput XXI.

De beneficiis divinis, quae in commune considerata movent ad compunctionem.

Cor tuum, fili, nimis durum est.

Cum enim nocte et die non cesses accipere nova beneficia Mea, quibus vivis et a malis plurimis praeservaris, mirabile videtur, quod in tantas et tam enormes legis Meae praevaricationes incurras.

Coeli obstupescunt super coecitate et ingratitudine tua, quae homine christiano indignissima est; nam, ut taceam naturalia bona, quae non posses habere sine Me, certe supernaturalia beneficia, quae tibi feci, ut per Meam fidem Catholicam credis, deberent tantum saltem movere te, quantum ordinaria beneficia animalia fera movent.

Mirum est enim, quod ursi et leones mansuescant victi a benefactoribus suis, et obediant eis, ut catelli enutriti ad delicias; et tu, qui rationis usum accepisti, et luce divina illustratus es, nolis Mihi, summo benefactori tuo, credere, et converti ad Me.

Nonne considerabis, quid Ego fecerim pro te, quasi colonus in terra aliena, quae spinas et tribulos germinavit Mihi, ut vincatur feritas tua.

Quo fugis, fili Adae, quo fugis a clementissimo Deo, Salvatore et custode tuo?

Vellem certe, ut saltem requireres faciem Meam, cicut canes requirunt facies dominorum suorum, a quibus modicum panem acceperunt.

Immo minora peto a te, fili, si forte hac suavitate Mea commoveantur viscera tua.

Canes quippe acceptis multis ictibus et vulneribus non resistunt dominis suis, sed timent et (si possint) recedunt, quousque quiescat ira illorum.

Statim vero ac vident faciem dominorum laetam, exultant et ludunt coram eis sperantes modicam buccellam panis.

Tu vero, fili, nimis dure, non solum irasceris contra Me, si te exerceam laboribus et afflictionibus, sed etiam insurgis adversus Me, quando dulcissimo corde et laeto vultu confero tibi magna beneficia.

Quid est hoc? Usquequo protervus et ingratus eris et perseverabis in statu damnationis, factus non tantum inimicus Meus, verum et inimicus animae tuae?

Quiesce jam, fili charissime, ab hac dementia tua et intima gratitudine memor esto bonitatis et misericordiae Meae, qua saxa mollirentur.

Et considerans, te omnia perdidisse, neque semel respirare posse, sine infinita potentia et largitate Mea, dic intra te: Ego peregre profectus sum et omnia

perdidi, quia offendi benignissimum Dominum Deum, Redemptorem et Patrem meum.

Revertar ergo ad domum Ejus et fusis lacrymis prosternam me coram Eo, ut induat nudum, illuminet coecum, erudiat ignorantem, pascat esurientem et subveniat creaturae miserrimae, quae insipienter recessit ab Eo.

Si feceris haec, fili charissime, Ego occurram tibi suspiranti ad Me, creabo in te cor mundum et spiritum rectum innovabo in visceribus tuis.

Et aedificabo tibi domum fidelem absque tributo in sancta civitate Mea, ut laeteris in aeternum cum nobilissimis civibus et fortissimis victoribus Meis, qui venerunt de tribulatione magna et dealbaverunt stolas suas in sanguine purissimo Agni Dei.

Haec cogita, fili, atque recogita, et sine cor tuum moveri ad compunctionem cantans atque commemorans cum intima gratitudine innumerabilia beneficia Mea.

Caput XXII.

De consideratione mysterii incarnationis.

Volo, fili charissime, qui reliquisti Me, ut judicio contendas Mecum, si forte beneficia, quae tibi contuli, talia non sint, quae lapides durissimos emollire possint.

Taceo nunc naturalia bona, quae deberent impellere vehementer cor tuum ad requirendam amicitiam Meam; volo potius ad beneficia supernaturalia et super omnem aestimationem admirabilia te vocare, ut consideres atque recogites illa.

Desolatione enim desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitat corde.

Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram, quando propter te Verbum caro factum est, recubui in utero purissimae Virginis, Matris Meae, quasi sponsus in thalamo suo.

Tunc majestas Altissimi sacco humanae carnis accincta est, et coepi Ego, Unigenitus Dei Filius, pati humana, ut tu, fili dilectissime, ascenderes ad divina, et sederes Mecum ad mensam Meam in amplissimo regno Meo.

Si scires, quid Ego cogitarem de te, dum absconditus manerem in utero genitricis Meae, facile videres, quam ingratus fueris, cum peccaveris adversus altissimum Deum et charissimum Fratrem tuum.

Ex quo enim assumpsi carnem causa salutis tuae, non solum Deus et Dominus fui, sed etiam Frater tuus amantissimus effectus sum, quod te plurimum commovere debet.

Quis enim cogitasset hominum, vel Angelorum, quod majestas Mea sublimissima descenderet ad consortia hominum, qui recesserunt a Me?

Absconditum est secretum hoc, volucres quoque coeli latet.

Postquam vero fide Mea, quae est argumentum rerum non apparentium, firmiter credis, fili, Me non ex operibus justitiae, quae fecisti, sed secundum magnam misericordiam Meam venisse de sinu Patris Mei ad assumendam naturam humanam; utere rectitudine fidei, ut convertaris totis visceribus ad Me, Qui ab aeterno dilexi salutem tuam, et per viscera misericordiae oriens ex alto visitavi te.

Dic intra te, fili, cogitans magnitudinem mysterii incarnationis Meae: Quomodo possum resistere tam inaestimabili charitati dulcissimi Dei mei?

Quomodo non resolvor in lacrymas intimae compunctionis et amoris sciens altitudinem consilii divini in assumenda carne mea, ut fieret Deus non solum custos et nutritius, sed etiam charissimus frater meus? Quid ago infoelix?

Quomodo possum vel per horam unam jacere sordibus peccati reddens tantum malum pro tam ineffabili bono, quod fecit mihi benignissimus Deus meus?

Utinam dirumperentur viscera mea prae magnitudine compunctionis nascentis ex multitudine et magnitudine peccatorum meorum, quibus iram merui!

Haec et similia debes, fili, cogitare avertens ab iniquitate animam tuam, ut respondeas amori infinito, quem ostendi per infinitam communicationem bonitatis Meae factus homo similis tibi.

Offer Mihi millia holocaustorum in ara cordis tui, compuncti, et humiliati, et tantae charitatis stimulo incitatus revertere ad gratiam et amicitiam Meam.

Ego autem, ut amantissimus frater tuus, suscipiam te venientem de terra longinqua, et introducam te in domum altissimi Patris Mei.

Qui videns, te fratrem Meum esse et a vita mala recessisse, faciet te participem haereditatis incorruptibilis, quae in coelis conservatur iis, qui per veram poenitentiam ex intimo cordis suspirant ad aeterna solatia paradisi Mei.

Caput XXIII.

De consideratione mysterii nativitatis Christi.

Ego Unigenitus Dei Filius, primogenitus ante omnem creaturam, fili charissime, mirabili mysterio per nativitatem temporalem exii de utero purissimae Genitricis Meae, ut tecum conversarer et praeberem tibi exemplum, quo omnes ferae sylvarum mansuescerent.

Qualis enim charitas tibi videtur, quod altissimus Deus, Quem laudant astra matutina et Cui subjacet omnis creatura, abbreviatus corpusculo infantili exiret ex utero Virginis ad patiendum ab hora illa hominum calamitates propter te?

Quis cogitasset unquam tantam exinanitionem, qua Ego humiliavi Me, ut, cum in forma Dei essem, assumpta forma servi, nascerer in civitate Bethlehem, ubi, quae non rapui, effluenter exsolvi incipiens pati pro charissima Mihi anima tua?

Numquid non mirabile est, quod, Quem coeli coelorum capere non poterant, reclinaretur in parvo praesepio, cum non esset Ei locus in diversorio?

Quae communicatio divinae majestati et tam inauditae indigentiae, quam pertuli Ego, Qui sum dives in misericordia?

Considera, fili, mirabilia haec, quae non sine consilio facta sunt, sed ab aeterna sapientia directa in salutem, instructionem et consolationem tuam; et vide, quam male usus fueris tam ineffabili bonitate et suavitate Mea.

Ego ad hoc veni in mundum, ut nascerer in corde

tuo, et haberem pro mercede paupertatis, quam sensi in stabulo, delectabile hospitium animae tuae.

Et tamen adeo alienus effectus es a Me, ut nolis permittere Mihi optatam habitationem domus tuae.

Natae sunt in te urticae et spinae, et genimina viperarum locum invenerunt in visceribus tuis; et Solus Ego repellor, ne renascar in anima tua.

O stulte et tarde corde ad credendum et quaerendum verum et unicum bonum tuum.

Quando aperientur oculi tui, ut cognoscas et diligas Me, et aperias Mihi penetralia cordis tui?

Convertere tandem, fili, ad Me, et sine, ut per regenerationem poenitentiae renascar in anima tua.

Dic intra conclave cordis tui: Si altissimi Dei Filius ideo natus est in mundo, et factus est civis unius civitatis terrenae, ut ego renovarer et renascerer in Illo, fieremque civis supernae civitatis, quae triumphat in coelis; quomodo jaceo in statu peccati, et repugno infinitis benedictionibus et miserationibus Ejus?

Quomodo non quaero reformari ad formam exemplaris Mei, quo nihil est amabilius sive in terra, sive in coelis?

Qualis duritia est, quod sublimissimus Deus factus infans patiatur frigus et egestatem extremam propter me, et ego vacem commoditatibus saeculi, quasi beatitudo mea in terrena substantia consisteret?

Parvulus Filius datus est nobis, Qui, cum sit Rex pacificus, portat principatum super humerum Suum, ne gravet subditos, sed ferat languores eorum. Et ego, ingratissimus e plebe Ejus, non considero, quid

egerit pro me, quasi possem absque Illo foelicitatem invenire.

Vae mihi, quam stulte egi! Ego revertar ad Principem meum, Cui dedit Pater aeternus sedem David, patris Ejus, et compatiar Illi, ne forte excludar a domo Jacob, in qua Ille regnabit in aeternum.

Haec si cogitaveris, fili, et tactus dolore transactae vitae redieris ad Me, Ego te iterum parturiam, donec former in te, dilectissimo consorte et amico Meo.

Et sic amabit te clementissimus Pater Meus, Qui, quos praescivit et praedestinavit, voluit, esse conformes imagini Filii Sui, ut sim Ego primogenitus inter dulcissimos fratres Meos, qui quaesierunt et dilexerunt Me.

Caput XXIV.

De consideratione mysterii circumcisionis.

Considera, fili, quam durum sit, contra stimulum infiniti amoris Mei calcitrare, opera, quae Ego feci pro te, stimuli sunt, quibus, si resistas, vulneraberis; Egoque justificabor in sermonibus Meis, et procul dubio vincam, cum te judicavero.

Quis enim adeo coecus et delirus sit, qui non videat, cor tuum durius esse lapidibus, cum non movearis ad compunctionem sciens mysteria dulcissima infantiae Meae?

Certe pauper fui Ego, et in laboribus ab infantia Mea propter salutem tuam; non enim tantummodo in extrema paupertate et derelictione natus sum, sed post dies paucos fudi pro te pretiosissimum sanguinem Meum circumcisus carne, ut tu circumcideres cor

tuum, et motus ostensione redemptionis Meae diligeres Me ex tota fortitudine tua.

Mirabile est, quod tam cito properaverim exercere officium Redemptoris ad salutem, solatium et instructionem hominum, et tu properes abuti sanguine Meo et gratis venundare animam tuam.

Numquid non aequum tibi videtur, cessare jam a multitudine peccatorum et turpitudine vitae, et saltem offerre Mihi juventutem, quando quidem Ego obtuli tibi infantiam, ut operarer opus redemptionis tuae?

Ego cucurri in siti salutis tuae et tu curris in siti abominabilium vitiorum et transeuntibus annis multis, non vis reverti ad Me, et circumcidere praeputium cordis tui.

Vae tibi, fili, quam coecus es, et quam stulte agis contemnendo animam Meam, et obdurando cervicem adversus fortissimum amorem Meum!

Non sic fecerunt fideles amici Mei tenentes gladios super femur suum, ut exemplo Meo circumciderent corda, et resecarent, quidquid sentirent dissentaneum legi Meae.

Sic audisti, fili, multa millia adolescentum et puellarum, quas mundus vehementer amavit, tanto desiderio Mei arsisse, ut parce admodum uterentur hoc mundo, ne forte traderentur in reprobum sensum, et perirent de via vitae.

Quid ergo agis, fili? Quo curris sine froeno timoris Mei?

Quare non respicis Me rectis oculis, et recedens a tabernaculis impiorum quaeris adhaerere fidelissimo Redemptori tuo?

Ego palam locutus sum mundo, dicens: Si oculus

tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te atque idem de manu et pede praedicavi, ut erudirem filios Adae in schola sapientiae, quae de coelis est.

Omnia quippe illa, quae scandalum faciunt circumcidenda sunt et projicienda, ne gravent animam ascendentem in coelum.

Qualis ergo stultitia est, fili, tradere te vitiis et concupiscentiis innumerabilibus, testimonium perhibente tibi conscientia, quod gentiliter vivas et conculces immaculatam legem Meam?

Satis delirasti, fili, discurrens per prata mundi sine memoria Mei; revertere nunc saltem ad Me, et projice de corde tuo omnia idola, quae adorasti.

Ne horreas verbum crucis, quod licet iis, qui pereunt, stultitia videatur, iis tamen, qui salvi fiunt, est Dei virtus et sapientia.

Accipe gladium spiritus, quod est verbum Dei, sermo scilicet Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ac pertingens usque ad secretissimam divisionem animae et spiritus.

Hucusque vixisti inter homines animales nescientes ea, quae sunt Spiritus Dei, tempus est, ut convertaris ad legem spiritualem, qua circumciditur, quod est carnale et terrenum, et vivit, quod spirituale est, non circumcisione manufacta, sed operatione gratiae Meae, qua exuitur vetustas Adae, et induitur novus homo, qui secundum Deum creatus est.

Si feceris haec, fili charissime, auferam a te cor lapideum, et conversione mirabili dabo tibi cor carneum, cui imprimatur formosa valde imago Mea.

Caput XXV.

De consideratione conversationis Christi ante passionem.

Si considerares, fili, ut deberes tempus illud, quo a pueritia usque ad passionem Meam vixi inter mortales filios Adae, non esses adeo durus et ingratus divinae bonitati et misericordiae Meae.

Pauca certe scripserunt Evangelistae de conversatione Mea in abscondito tempore illo; sed nemo est inter illuminatos servos Meos, qui non credat et cogitet, magna mysteria latere ibi, quae Ego soleo aperire amicis charissimis suspirantibus ad Me.

Et quamvis tu videaris nolle numerari inter charissimos, cum sequaris deos alienos desideriorum tuorum, Ego tamen propter Meipsum et propter salutem quoque tuam mitto tibi inspirationes varias, ut recorderis Mei, et consideres mansuetudinem et humilitatem Meam, quae lucet in silentio triginta annorum, quibus tacui propter te.

Dic Mihi, fili, quod tibi videtur de Filio Altissimi per tot annos in terra conversantis et nihil mundanum quaerentis, sed viventis inter peccatores et occultantis infinitam magnitudinem Suam?

Quid dicis de majestate Unigeniti Filii Dei obedientis pauperi fabro, qui putabatur pater Ejus?

Quid sentis de humili veste, de victu parco, de domo communi, in qua habitavit sublimissimus Creator cum pauperculis creaturis Ejus?

Quomodo non cogitas silentium Verbi Dei per tot annos non loquentis, sed abscondentis altissimam sapientiam Suam?

An putas, quia non poteram venire in majestate, cum multis exercitibus Angelorum et hominum servientium magno Regi suo?

Poteram certe, fili, sed filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare pretiosissimam animam Suam pro te, ita ut conversatio Ejus esset schola instructionis tuae.

Nunc autem mirabile est, quod, cum Ego fecerim tot bona et passus fuerim tot mala propter te, sis adeo durus corde, ut nolis ad poenitentiam emolliri.

Vae tibi, fili, quam longe discrepas ab exemplari tuo!

Ego elegi summam egestatem, et tu quaeris divitias innumerabiles.

Ego elegi humilem conversationem, tu quaeris altior aliis apparere.

Ego elegi silentium, tu delectaris loquacitate.

Ego fui subditus matri et putativo patri Meo, tu odisti obedientiam superiorum, quos praeposui tibi.

Ego vacavi orationi per diem et noctem, tu vix per dimidiam horam cogitas de aeterna salute animae tuae.

Quid est hoc? Usquequo fugies Me, magistrum et custodem tuum?

Desine jam, fili, delirare et perdere animam tuam, pro qua laboravi in terra deserta et invia, ubi non erat charitatis habitatio, et convertere ad Me, in Quo habes redemptionem et remissionem peccatorum et spem haereditatis, quae veris poenitentibus servatur in coelis.

Rumpe jam catenas occasionum, quibus ligatus es, et respira ad libertatem filiorum Dei dignam pretio sanguinis Mei.

Ne timeas Me tanquam durum dominum, qui peccasti. et conscientia tibi dictat, te supplicio dignum esse; Ego enim parcam tibi, et statim ac suspiraveris ad Me, omnium iniquitatum tuarum non recordabor.

Veni cito, fili charissime, accelera, ut reconcilieris Mihi; et delectabor Ego fructu mitissimae conversationis Meae; doceboque te in abscondito suavissimam disciplinam Meam, qua fies particeps tenerrimi cordis Mei.

Caput XXVI.

De consideratione praedicationis Christi.

Nimis stulte agis, fili, cum quaeris magistros prurientes auribus, qui prophetent ad beneplacitum tuum, et avertis auditum a veritate Mea, quae corda casta delectat.

Certe ignitum est eloquium Meum vehementer, ut notavit David, servus Meus, qui toto corde dilexit illud.

Ego praedicavi mundo veritatem, neque peperci laboribus et sudoribus, ut erudirem principes terrae, et senes ejus prudentiam docerem.

Palam apparui illis, qui Me non interrogabant, annuntians eis vitam aeternam et annum remissionis, ut pinguescerent deserta saeculorum, et campi replerentur ubertate.

Clamavi prae sensu et desiderio salutis tuae, suadens tibi emere a Me aurum ignitum charitatis Meae, ut fieres dives inter omnes orientales; et tamen plus placent tibi fabulae et mendacia peccatorum, quam vivi et molliti sermones Redemptoris tui.

O ingrate et stulte nimis fili Adae, quomodo non aperis aures cordis dulcissimis et efficacissimis verbis Meis?

Recordare Mei, quando in die magno festivitatis clamavi: Si quis sitit, veniat ad Me, et bibat, et quandoquidem sitis vexat te, bibe jam et refrigare, ut fiat in te fons aquae salientis in vitam aeternam.

Recordare, fili, quid fecerim Ego in cordibus auditorum, qui senserunt virtutem praedicationis Meae, et erudire, ut fias similis eis.

Certe multi dixerunt: Nunquam sic locutus est homo; senserunt enim fortissimam veritatem et vocem Domini confrigentis cedros superborum et humilia corda consolantis.

Sed tu, fili, aliter sentire videris cum illis, qui dixerunt: Durus est hic sermo.

Si enim non ita esset, non curreres tam velociter ad solatia mundi affectus taedio scholae Meae.

Verumtamen satis est, quod hactenus obturaveris aures tuas, ne verba Mea penetrarent crudelia viscera tua; humiliare nunc et convertere ad praeceptorem vitae tuae, Cujus dulcissimis verbis saxa moventur.

Ego, Qui publice praedicavi, dum essem inter mortales, praedicabo tibi ad aures cordis, et evangelizabo remissionem delictorum et spem firmissimam incedentem usque ad interiora velaminis, quo velatur divinitas Mea.

Et dabo tibi cor sapiens et intelligens, si acquiescas sermonibus Meis, quos percipies in sibilo aurae lenis, quando remotus ab occasionibus et negotiis saeculi clamaveris ad Me.

Fac ergo fideliter, fili Mi, aperiens Mihi portas cordis tui, recipiens, conferens et conservans in eo

castissimam doctrinam Meam, sicut thesaurum pretii incomparabilis, pro quo omnis substantia terrena juste venderetur.

Excutere de pulvere, quo excoecatus es, fili; exurge a luto foecis, in quo jaces; resuscitare jam a morte peccati ad fortissimam vocem Meam, qua te sicut Lazarum a monumento vocavi.

Haec est eruditio vitae aeternae, quam qui secuti sunt, collegerunt fructus suavissimos praedicationis Meae.

Haec est eruditio, quam segregavi haereditati amicorum Meorum, qui purgatis auribus audierunt Me, et convicti fortitudine veritatis observaverunt fidelia mandata Mea.

Haec est eruditio fortium Israel, qui gladio verbi Mei absciderunt carnalia et mundana desideria, et totis visceribus adhaeserunt Mihi, unico bono et solatio suo.

Haec cogita, fili, et revertere ad Me de via, per quam errasti; lactaboque te puro lacte melle dulcioris eloquii Mei.

Caput XXVII.

De consideratione nostrae redemptionis.

Qui attente considerat mysterium redemptionis, quae est in sanguine Meo, fili charissime, facile compungitur et monetur ad agendam veram poenitentiam peccatorum, et ad dealbandam stolam suam in sanguine Agni immaculati, Qui pro peccatoribus occisus est.

Res enim admirabilis et ad convertenda corda efficax est, quod altissimi Dei Filius aeterno consilio descenderit ad quaerendum peccatorem, qui perierat

per famem et sitim, calorem et frigus, dolores et persecutiones, improperia et mortem amarissimam.

Quis enim unquam audivit talia, quod Unigenitus aeterni Patris traderetur ad mortem pro vilissimo et ingratissimo servo, qui praevaricatus est purissimam legem testamenti Ejus?

Certe in hoc commendavit Pater Meus inaestimabilem charitatem et bonitatem Suam, quod, cum peccator esses, fili charissime, gratis tradidit Me, dilectissimum Filium Suum, pro te, ut ligaret animam tuam vinculo dilectionis Meae.

Visus sum inter homines quasi peregrinus et viator declinans ad manendum, abscondita divina majestate Mea, ut perficerem opus redemptionis tuae, data substantia domus Meae.

Angeli Mei mirati sunt valde, scientes infinitam altitudinem Meam, et stupentes quomodo descendi ad labores terrae, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt Me.

Poteram Ego sine tanto sumptu afflictionum et irrisionum salvam facere dilectam animam tuam; et tamen, quia dilexi te usque in finem, volui talia operari in medio terrae, quae possent durissimos lapides movere.

Et haec ratio est, propter quam illuminati servi Mei recogitantes adinventiones redemptionis suae, non satiantur offerre Mihi sacrificia laudis, et cantare antiquas misericordias Meas.

Ex quo enim egressus sum de utero purissimae Genitricis Meae, ineffabilibus modis quaesivi salutem tuam, non parcens vitae Meae, quae omni pretio pretiosior est.

Et tamen mirum est, quod adversus omnes leges gratitudinis pro nihilo vendis animam tuam, quam Ego tanti feci, ut pro illa tradiderim vitam Meam.

Incredibilis videtur coecitas haec, fili, qua excoecatum et aggravatum est cor tuum, quasi non esses unctus oleo et pertineres ad regale sacerdotium populi Mei.

Usquequo inquinabis animam tuam sordibus peccatorum, quae multiplicantur sicut arena maris?

Considera pretium, quo empta est, et videbis rem detestabilem esse, tam levibus causis deformare illam, et incurrere cum filiis Agar durissimam servitutem peccati, mortis et inferni, quo velocissime curris.

Immorare paululum, fili velox ad perditionem tuam.

Immorare et audi ignea verba Mea, ut resipiscas et fias particeps redemptionis Meae.

Numquid in aeternum peccabis, neque cessabis repugnare divinis inspirationibus Meis, quae descendunt in animam tuam, sicut stillicidia stillantia super terram?

Novissima hora est praeteritque figura mundi citius, quam vellet inordinatus appetitus tuus; atque ideo evanescent illicita gaudia, quibus contra legem Meam delectaris.

Convertere ergo, fili, ad mitissimum Redemptorem tuum, et abluere balneo sanguinis Mei, ut appareas in conspectu dulcissimae Jerusalem, sponsae Meae, formosior quam omnes pueri, qui bibunt de calicibus regis Babylonis; et Ego scribam te inter dilectissimos amicos Meos.

Caput XXVIII.

De consideratione passionis Christi in communi.

Mirabilis fuit, charissime fili, conversatio Mea cum hominibus, quando per experientiam laborum hominum quaesivi te; sed summa admiratio debetur passioni Meae, quae universas creaturas deberet commovere.

Ego Deus impassibilis, ex magnitudine charitatis factus homo passibilis, pertuli multa mala ab illis, quibus feci immensa bona, ut scirent homines, se habere Pontificem, tentatum per omnia, et conformarentur exemplari suo.

Haec est meditatio justorum, quorum corda liquescunt intima compassione dolorum Meorum, et animantur ad custodiendas vias duras.

Hoc est prodigium, quod inflammat fideles servos Meos stupentes, quomodo immortalis Deus invenit modum admirabilem, quo mortem pateretur.

Hoc est mare magnum et spatiosum valde, ubi sapientes servi Mei merguntur usque ad abyssos, mirantes, quomodo altitudo divini consilii elegit modum salvandi homines, qui nunquam satis cognitus est a mundi sapientibus et prudentibus, sed revelatus est parvulis, ut non glorietur omnis caro coram Creatore suo.

Quis unquam cogitasset, fili, Me mundi Dominum et Regem aeternum, Cui servit omnis creatura, in tantam abjectionem descensurum, ut creaturae Meae furore infernali incitatae injicerent in Me manus violentas et fremerent contra Me dentibus suis?

Cui homini unquam in mentem venire potuit, definito tempore passionis Meae in civitate primogenita

Jerusalem causam Meae mortis agendam esse in tribunalibus peccatorum?

Quis unquam dixisset futurum diem, quo populus furiosus clamaret adversus Deum suum et postularet mortem Ejus, a Quo vitam accepit?

Mirum est, quomodo passionis Meae consideratio negligatur a te, fili dilectissime, qui durior petris videris, currens post mundana desideria tua.

Numquid ferre potes aversionem tuam, dum audis in Evangelio Meo ignitos sermones et flammas resultantes ex historia passionis et mortis Meae?

Major effecta est iniquitas tua, quam gentilium, quibus non est revelatum mysterium passionis Filii Dei; nesciunt enim, quid fecerim Ego. Tu vero, qui credis casta eloquia Mea, et remurmurante conscientia fugis Me, excusationem non habes de intolerabili ingratitudine tua.

Revertere ergo, fili, ad Me patientem pro salute aeterna animae tuae; et ne graveris fieri particeps dolorum Meorum per veram conversionem, et dignam poenitentiam delictorum tuorum, ut fias consors resurrectionis et immortalitatis Meae.

Recordare civium Jerusalem, quam dilexi, quomodo immemores beneficiorum insurrexerunt contra Me, et quasi leones cucurrerunt ad praedam vitae Meae.

Et repraesentabitur tibi imago Filii Dei patientis et morientis pro te, atque ementis magno pretio charissimam libertatem tuam.

Et commovebuntur viscera tua ad spectaculum dolorum et opprobriorum, quibus scis te fuisse redemptum.

Si fideliter feceris haec, et mutato consilio conversus fueris ad Me, odorabor sacrificium cordis tui, et amabo te quasi fidelissimum servum et amicum Meum.

Caput XXIX.

De consideratione causae passionis Christi.

Utinam cogitares, fili, causam acerbissimae passionis Meae, ut motus consideratione tantae charitatis, qua dilexi te, desineres jam multiplicare peccata et perdere pretiosam valde animam tuam.

Ego certe non propter merita tua, neque ad instantiam tuam, sed motu proprio infinitae bonitatis Meae in charitate perpetua te dilexi, ideoque attrahere te curo miserans tui, et avertere te a mortali plaga delictorum tuorum.

Ab aeterno decrevi visitare te, cum essem in sinu aeterni Patris Mei, et exinanivi Meipsum formam servi accipiens, ut elevarem te ad formam Dei, et efficerem consortem haereditatis Meae.

Haec est causa illa passionis Meae, quae te plurimum movere deberet ad compunctionem et admirationem inaestimabilis amoris Mei.

Tu vero, fili, parum curas aeternam dilectionem hanc, sed agis Mecum tam infideliter, ac si Ego semper fuissem inimicus tuus.

Mirum est, quomodo possunt ferre viscera tua tantam vim ineffabilis misericordiae Meae sine sensu contritionis?

Certe per hoc patet, te esse nimis protervum, et repugnare pertinaciter inspirationibus Meis, quibus illumino te.

Verum si aeterna charitas Mea te non movet, considera saltem, quid causae habuerint homines ad procurandam passionem, et mortem, quam pertuli pro te; et videbis magnitudinem malitiae et duritiae tuae, quae crescit ex comparatione amoris Mei.

Certe, si rogasses Pharisaeos et alios inimicos Meos, qua de causa conjuraverint adversus innocentiam Meam, et abstulerint Me de terra; respondebunt, quod dixerunt in consilio suo:

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus Eum sic, omnes credent in Eum.

Ecce, fili, causam, quam invenerunt hostes Mei ad crucifigendum Me.

Feci eis multa bona, sanavi aegrotos eorum, mundavi leprosos ipsorum, suscitavi mortuos illorum, et infinita mansuetudine toleravi odium eorum; et tamen ipsi putaverunt expedire sibi tollere Me de terra, propter signa haec, quae in medio illorum operabar.

Circumdederunt Me vituli multi, tauri pingues obsederunt Me.

Vide ergo, fili, ad quantam calamitatem descenderim causa salutis tuae, ut ab illis pejora mala ferrem, quibus meliora bona contuleram.

Quodsi neque ratio haec movet aversam animam tuam, considera saltem, quae causa passionis Meae fuerit ex parte tui, et invenies gravia delicta, quibus provocasti iram clementissimi Patris Mei.

Et certe incredibilis duritia videtur, quod, cum scias, te non meruisse misericordiam, quam feci tibi, sed

iram, qua te perderem in gehennam, perseveres tot diebus in aversione et inimicitia Mea.

Quomodo in tantum excoecatus es, fili, ut manifestissimam lucem non aspicias, et fortissime veritati repugnes?

O Fili Adae, quam longe recedis a salute tua, dum resistis dulcissimae bonitati Meae!

Cesset jam, fili, insania haec, quam, qui audierit, obstupescet super coecitate tua.

Satis luctatus es cum misericordia Mea; cede jam Mihi cupienti victoriam hanc, qua exultabit tota Jerusalem, sponsa Mea et amantissima mater tua.

Ego nihil meriti inveni in te, propter quod te redimerem, sed inveni peccata tua, quae respexi ex magnitudine misericordiae Meae.

Utere ergo liberalitate hac et convertere infirmus ad benignissimum medicum tuum, coecus ad purissimum lumen oculorum tuorum, filius alienus ad Patrem tuum.

Ego suscipiam te extensis brachiis et ereptum de miserrimo statu inimicitiae Meae traducam te ad haereditatem filiorum Dei, quorum nomina scripta sunt in libro vitalissimae vitae Meae.

Caput XXX.

De consideratione capturae Christi.

Mirabilia valde sunt mysteria passionis Meae, fili, quae si mutata voluntate considerares, anima tua per gratiam Meam adhaereret Mihi, et in aeternum nollet a Me recedere.

Tu propter multa et gravia peccata, quibus provocasti indignationem Meam, merueras capi a lupis in-

fernalibus, et ligatis manibus et pedibus mitti in tenebras exteriores, quae sunt extra Me, Qui habito lubem inaccessibilem; et tamen Ego, vera libertas filiorum Dei, captus et ligatus fui propter peccata tua indignissimis modis, qui nulla ratione decebant majestatem Unigeniti Filii Dei.

Quis erit sapiens et considerans haec, ut intelligat misericordias Domini?

Utinam, fili charissime, evigilares a somno, quo dormis in causa salutis tuae, et quasi ex loco abscondito videres, quid passus fuerim in captura Mea, ut emerem pretio magno libertatem tuam!

Sed coecitas mentis, quam incurristi peccando, non sinit te purgatis oculis aspicere altitudinem consilii divini in furore inimicorum Meorum, qui tanquam canes famelici irruerunt super Me.

O quantum feroces animi, quam proterva corda cucurrerunt adversus mansuetissimum Agnum Dei, Qui venerat in civitatem sacerdotalem, ut immolaretur pro te.

Numquid fieri potest, fili, ut recordari nolis noctis illius, qua post sudorem sanguinis pro te fusi latrones illi crudeles rapuerunt Me desideratam valde praedam suam, clamantes et exultantes, sicut exultant victores capta praeda, quando dividunt spolia?

Ne sis adeo durus corde, fili, sed memor esto Mei, et judica, quantum amoris et gratitudinis debeas tenerrimo cordi Meo.

Tanta enim est evidentia misericordiae et bonitatis, quae resplenduit nocte illa, quando traditus sum in manus peccatorum, ut, quantumvis coecus sis, non

possis judicare aliud, quam te durissimum esse super silicem, qui non movearis infinita patientia et mansuetudine Mea.

Nonne consideras, quomodo Judas, domesticus Meus, quem dilexi et honoravi inter Apostolos Meos, accessit ad Me conscius humillimae conversationis Meae; et non solum non repuli illum, sed dulcissimis verbis, quae saxa mollirent, respondi ei?

Certe ibi palam ostendi amorem infinitum, quo diligo peccatores, quamvis blasphemaverint et vendiderint Me.

Cum ergo tu, fili dilectissime, scias, Me promptissimo corde paratum esse recipere te, licet gravissime peccaveris; quomodo non mitescis et converteris ad Me saltem ob infinitam benignitatem Meam?

Quomodo manere potes vel nocte una in statu inimicitiae Meae pugnans contra mansuetudinem Filii Dei?

Desiste ergo, amice charissime, ab hac stultitia, qua damnas animam tuam; et reconciliare Mihi, ut numerem te inter servos Meos fideles in omni domo Mea, qui timent seperari a Me vero, refrigerio suo.

Convertere aliquando ad Redemptorem tuum captum pro te a feris inimicis Ejus, qui quaesierunt memoriam Ejus tollere de terra viventium.

Tempus breve est, et dies inclinat ad occasum; festina igitur, antequam veniat nox tenebrosa cooperta mortis caligine, in qua peccatores lugebunt in aeternum pro brevi dissolutione et vanissima laetitia praesentis vitae.

Sine, fili, ut capiam te et ligem funibus charitatis Meae, Qui pro te ligatus fui et intima conversione cordis propera ad suavissimam familiaritatem Meam.

Caput XXXI.

De consideratione praesentationis Christi ante judices.

Causa Mea, fili dilectissime, tanquam hominis impii causa judicata est, et, quod est mirabile, Judex aequissimus omnium creaturarum ab iniquis judicibus reprobatus est. Merebaris tu non solum severe judicari, sed in aeternum damnari, propter turpissimas abominationes tuas, quibus praevaricatus es immaculatam legem Meam; et tamen copiosissima misericordia Ego pro te coram judicibus praesentatus, accusatus et reprehensus fui.

Ex eo apparere potest duritia tua, qui vivis, quasi nihil morte dignum egeris et exspectaris de die in diem, si forte poenitentiam agas, neque venit tibi in mentem, quod pro salute tua coram judicibus civitatis Meae Jerusalem passus sum.

Ego certe sum altissimi Dei Filius, Cui non est rapina, sed natura, esse aequalem Deo; et tamen quasi blasphemus reputatus et accusatus sum, quia Me Dei Filium esse praedicavi.

Ego sum ipsa Dei sapientia, Quae cum Patre Meo omnia composui et ordinavi in numero, pondere et mensura; et tamen indutus veste alba, quasi stultus irrisus fui, ut te ad Dei sapientiam, quam perdideras, revocarem.

Ego sum ipse candor et innocentia divina; et tamen quasi publicus peccator indignissime tractatus sum.

Quid ergo dicit tibi conscientia propria, fili, quando legis haec, quae mitissime toleravi pro aeterna salute tua?

Numquid ferre potes magnitudinem bonitatis et misericordiae Meae sine compunctione et lacrymis innumerabilibus?

Quid sensisses, si per urbem regiam Me trahi vidisses et audisses falsas accusationes, et latrones illos constanter postulantes Me ad affligendam pretiosam valde animam Meam?

Quid fecisses, si vidisses ictus, et alapas, et sputa, quibus facies Filii Dei deformata est, ut ad infimam abjectionem descenderet et sanaret superbiam tuam?

O fili Adae, quomodo resistis fortissimae gratiae et virtuti Meae?

Mirabile videtur, quomodo ad recordationem historiae hujus fidelissimae non resolvitur glacies tua, et fluunt aquae expressae sensu immensae contritionis?

Utinam imprimeretur tibi, fili, imago mitissimi et modestissimi Filii Dei, stantis coram judicibus iniquis, ut commoverentnr viscera tua.

Certe Pilatus, vir mundo serviens, non potuit sibi persuadere, veras esse imputationes illas inimicorum Meorum; et institit valde, ut eriperet Me de faucibus luporum, qui stabant, ut devorarent Me.

Et mirum est, quod vir incredulus convictus innocentiae Meae testimonio publice dixerit, se nullam in Me causam mortis invenire; et tu credens, Me esse verum Deum, in Quem culpa cadere non potest, multiplicando peccata iterum crucifigas Me, profecto, fili, quantum in te est, iterum Me crucifigis, et quasi denuo coram judicibus incredulis Me praesentas, ut moriar; et tamen Ego omnia haec patienter fero, exspectans conversionem tuam, et dignam poenitentiam, qua eripiaris a rigore judicii Mei.

Revertere ergo, fili charissime, ad amicum tuum

de aversione et malitia tua, quae te trahit ad interitum; et Ego liberabo te in extremo judicio, in quo disceptabo cum accusatoribus, irrisoribus et crucifixoribus Meis.

Festina, ut eripiaris ab ira ventura et reparare cura ruinas animae tuae in agone mortis positae, antequam fiat insanabilis fractura tua.

Ego invito te, dum tempus est miserendi, curre velociter ad thronum gratiae Meae, ut facilitate parcendi delecteris, et vivas inter dilectos amicos Meos in medio Jerusalem, sponsae Meae.

Caput XXXII.

De consideratione flagellationis Christi.

Nimis graviter et multipliciter peccasti, fili, et Ego egi austeram poenitentiam pro te.

Ego sic vixi inter homines, ut, quamvis haberem crudelissimos inimicos et calumniatores, nemo tamen potuerit arguere Me de peccato; et tamen quasi malefactor vita indignus durissime flagellatus fui.

Caro illa innocens, e purissimo sanguine dulcissimae Genitricis Meae, Spiritus sancti virtute formata consumpta fuit duris verberibus eorum, qui oderunt Me, qui sine misericordia quaesierunt perdere pretiosissimam vitam Meam.

Utinam, fili, conciperes, dum peccare cogitas, figuram Filii Dei ligati ad columnam, verecundi et tacentis, et infinita mansuetudine tolerantis ictus flagellantium, qui multiplicati sunt velut arena, quae jacet in littore maris!

Utinam appenderentur in statera peccata filiorum Adae et calamitas, quam sine culpa pertuli nudus et expositus furori inimicorum Meorum!

Quasi arena maris haec gravior appareret.

O quam juste damnaberis, si toto corde non fueris conversus ad Me!

Tot testes habebis accusantes conscientiam tuam, quot flagellorum ictus afflixerunt animam Meam.

Propter quod interim, dum dies est, age poenitentiam, fili, neque perseveres multiplicare delicta super capillos capitis tui.

Ne pugnes contra Redemptorem tuum ligatum et flagellatum propter te; nam crudelitas haec indigna est homine christiano, qualem gratis te feci.

Intuere exemplar tuum, ut discas compungi et ad compassionem tantae calamitatis commoveri.

Cogita, quid dixisset tibi conscientia propria, si affuisses in eo loco, ubi castigatio Mea fuit?

Certe acutissimo stimulo punxisset te intuentem carnem Meam laceratam et consumptam, et sanguinem Meum fluentem, donec carnifices Mei fatigati, licet non saturati quiescerent.

Nunc vero quamvis passio Mea ita transierit, expedit tibi, fili, illam quasi praesentem cogitare, ut imprimatur visceribus tuis, et quiescas ab iniquitate, quam operaris.

Profecto crudeles ministri judicis injusti, timentis et honorantis Caesarem magis quam Deum, exercuerunt furorem, quasi canes rabidi, quos fames in rabiem impulisset.

Non movit illos Agnus Dei, Qui coram Se tondentibus Illum obmutuit et non aperuit os Suum.

Non pepercerunt Filio Dei prostrato, cum tamen ferae soleant prostratis parcere; sed postquam fatigati sunt, Me exhaustum et horribili deformatione laniatum reliquerunt.

Quid est hoc? Usquequo peccator curret erecto collo adversus sapientiam Unigeniti Filii Dei?

Quomodo lapides non clamant et omnis creatura non postulat ferventissimis vocibus vindictam ingratitudinis, qua cor peccatoris obduratum est?

Considera, fili, rem istam omni mundi pondere graviorem, ut resipiscas et intima conversione satisfacias Mihi, antequam impleatur numerus dierum, quibus permitto te vivere super terram.

Certe Sancti Mei, qui contemplati sunt amarissima spectacula passionis Meae, quamvis non reprehenderet illos cor ipsorum de gravibus delictis, memores tamen flagellationis Meae, corpora sua lacerare ferreis flagellis consueverunt; et tamen tu, qui peccata commisisti super numerum stellarum, non solum non castigas corpus tuum, et in servitutem redigis, sed contra legem Meam nutris et foves illud, diligens carnem tuam plusquam Me.

Revertere ergo, fili, ad cor et vide, quid agas; attende et considera opera mitissimi Redemptoris tui, Qui factus est opprobrium hominum et postrema abjectio plebis.

Dirumpe vincula peccatorum, et accede ad Me alligatum columnae, non ut ligeris ad supplicium, sed ut absolvaris ad immensum refrigerium, quod invenies in desiderata valde conversione tua.

Caput XXXIII.

De consideratione coronationis Christi.

Cor tuum, fili, in dies singulos magis frigescit et obduratur, quia non recordaris improperia et tormenta Mea.

Fugis occasiones patiendi aliquid propter peccata tua, et sequeris toto corde vana desideria honoris et commoditatis, ut sis inimicus crucis Meae.

Ego certe non sic feci, quando operatus sum salutem tuam in medio terrae.

Sed quaesivi occasiones, quibus injurias et dolores ferrem propter te.

Quod facile videbis, si velis considerare spectaculum coronationis Meae.

Talis quippe corona, quae sic cruciaret et inhonoraret, non est audita in historiis regum terrenorum, sed inventa a crudelibus inimicis Meis, et accepta ab infinita mansuetudine Mea.

Si scires, fili, quam horribilem poenam passus fuerim, cum spinae illae penetrarent caput digito Dei compositum et ad servanda Dei secreta destinatum; non esses adeo ferus, ut compassione non mansuesceres.

Quod si cum dolore acutissimo conjungas irrisiones et improperia Regis per jocum coronati; judicabis, Me descendisse ad abyssos poenarum et opprobriorum, ita ut amplius non possem descendere.

Puteus hic altus est.

Utinam, fili, cogitares aliquando causam Meam, quae directa est ad conversionem et aeternam salutem tuam!

Rogo te, quid causae habuerunt latrones illi, ut Me circumdatum doloribus mortis irriderent?

Numquid opera, quae Ego feci, tam vilia fuerunt, ut oporteret insultare Mihi, quasi ridiculo Regi Judaeorum?

Quare vilissimi peccatores tam dure contempserunt Dei Filium, Qui opera mirabilia paulo ante fecerat stupentibus turbis?

Profecto, fili, si recte consideres, invenies dolores et irrisiones non bene respondere mirabilibus operibus Meis, sed gravissimis peccatis et abominationibus tuis.

Et tamen Ego egi poenitentiam pro te, ut inebriaretur amaritudine anima Mea, cujus passione anima tua liberaretur a morte.

Quomodo ergo non recordaris Mei, sed pro tam inaestimabili misericordia redemptionis tuae reddis Mihi injurias et praevaricationes legis Meae, quibus, quantum in te est, iterum atque iterum Me spinis coronas et laceras caput Meum?

Quomodo adeo coecus es, ut non videas manifestissimam damnationem tuam, dum talia facis adversus Eum, Qui pro te talia passus est?

Quando incipies aspicere lumen fortissimae veritatis non ambulans ultra in tenebris cum illis, qui diligunt vanitatem et quaerunt vanissimum mendacium?

Satis irrisisti Me; satis insultasti Mihi, fili; muta jam consilium et convertere ad Me, ut deleatur macula ingratitudinis, et emunderis a lepra corruptionis tuae.

Dic intra te: Altissimi Dei Filius, quasi esset infamis peccator, ab hominibus vita indignis horrenda corona cruciatus et illusus fuit pro me, indignissima Ejus creatura; quomodo ergo potero sine evidenti damnatione Illum offendere et ad iram provocare?

Numquid non credo, Eum esse infinitam majestatem, magnitudinem et altitudinem?

Credo certe, Illum esse Dominum rerum omnium, ad Cujus nutum columnae coeli contremiscunt; quomodo igitur ad tantam calamitatem et opprobrium hominum humiliavit Se?

Haec cogita, fili, et sentire cura, ut liquescat anima tua in adulterio peccati deprehensa, et balneo lacrymarum laveris a sordibus delictorum, quibus inquinatus es.

Dissolve jam colligationes iniquitatis, quibus astrictus es; recede a falsis prophetis, qui seducunt te; quaere judicium et justitiam; et opportuna poenitentia salva dilectam animam tuam.

Certa bonum certamen, quod tibi proponit fides, et curre post Me, ut apprehendas vitam aeternam, et pro corona spinea, quae infixa est capiti Meo, coronabo te diademate pretiosissimo in sancta civitate Mea.

Caput XXXIV.

De consideratione ostensionis Christi ad populum.

Misericordia Mea, fili, superexaltat judicium tuum, quia causa tuae damnationis ad proportionem miserationum Mearum, quibus copiose redemi te.

Si vero velis aestimare magnitudinem misericordiae, pondera magnitudinem et multitudinem dolorum, quibus acquisivi populum Meum, cum possem sine tam horribilibus tormentis redimere illum.

Certe spectaculum, quod Pilatus proposuit populo furioso, dicens: Ecce homo, docebit te, quid Ego passus fuerim; nam si tale fuit, ut crederet ille in-

credulus, se posse satisfacere crudelissimis inimicis postulantibus mortem Meam, deberes tu, qui credis, quis sim Ego, satisfacere tibi viso afflicto Rege tuo, et non multiplicare peccata, quibus torqueas Illum.

A saeculo non est visum neque auditum tale spectaculum, tam plenum doloribus et illusionibus; et tamen tu, qui credis majestatem Dei latentem sub improperiis illis, non compungeris neque consideras, quid fecerint scelera tua.

Usquequo patiar te, fili aliene, qui confiteris ore Deum, factis autem negas?

Usquequo multiplicabo inspirationes et pulsabo portas cordis tui, nec aperies Mihi cupienti requiescere in thalamo animae tuae?

Numquid possibile est, quod recorderis Mei coram populo stantis et cum Barraba comparati, et non fleas peccata tua, donec deficiant lacrymae?

O fili Adae, quam durus et insensatus es!

Non poterat mundus pejus sentire de Salvatore suo, quam hominem seditiosum, latronem et homicidam anteponendo Illi.

Quomodo Deus obtexit caligine filiam Sion, plebem scilicet Suam, ut propter multas ejus praevaricationes in tantum excoecaretur, ut anteponeret abominabilem peccatorem altissimi Dei Filio?

Mirabile est, fili, quod mundus putaret expedire sibi, Me de terra tollere et hominem sceleratissimum vivere; per hoc enim apparet, quod judicio mundi peccatum anteponitur innocentiae Meae.

Si autem hoc prodigium mirabile est, vide et at-

tente considera, te quotidie hoc judicium mundi sequi, cum anteponas Mihi res vilissimas et turpissimas, pro quibus peccas; et revertere ad cor, ne forte cum hoc mundo damneris.

Neque durum tibi videatur, fili, relinquere delectationes et commoditates tuas, quae inebriant te, propter observantiam mandatorum Meorum, sine qua non intratur ad vitam; melius enim et utilius tibi est, modico tempore contristari ad poenitentiam, cum spe aeternorum gaudiorum, quam hocipso brevi tempore cum filiis saeculi vane laetari sine spe futurae haereditatis, quam testamento novo disposui charissimis electis Meis.

Incipe ergo, fili, compungi et animari ad quaerendam salutem tuam, quasi tibi diceretur nunc: Ecce homo! Intuere Me a planta pedis usque ad verticem capitis vulneratum et expositum misericordiae, vel irae tuae, et animadverte crudele responsum populi ingrati, clamantis: Crucifige, crucifige!

Facta est certe Mihi haereditas Mea, quasi leo in sylva; deditque contra Me vocem suam.

Dic ergo, fili, quid sensisses, si audisses vocem illam, quae penetravit viscera Mea, a cujus sonitu coeli et terra obstupuerunt?

Profecto quamvis peccator esses, credens tamen innocentiam, et tu quoque commotus fuisses admirans feritatem civitatis Meae.

Si ergo Ego innocens judicio quoque tuo postulor ad mortem, et tu scis, Me mori pro te, quomodo audes peccare et proinde praebere occasionem, ut moriar et crucifigar?

Vae cordi duro, quod non movetur ad misericordiam, dum tractatur causa mortis Filii Dei! non inveniet misericordiam, dum Ego venero judicare terram. Accipe igitur, fili, consilium Meum credens Deo, Redemptori et Custodi tuo, et peccata tua intima compunctione dele.

Desponde sordes et mores Adae veteris, quos didicisti sequens legem membrorum, quibus inimicus est purissimus Spiritus Dei; et purgato corde adhaere fortissime castae et immaculatae legi Spiritus Mei; Egoque remunerabor dulcissimis solatiis brevem exercitationem mortalis vitae tuae.

Caput XXXV.

De consideratione Christi bajulantis crucem.

Emisti tibi, charissime fili, quinque juga boum, quae dorsum tuum semper ad terram incurvant, ut ad coelum, ubi sunt thesauri Mei, respirare non possis; et Ego misertus tui elegi ita redimere te, ut ferrem pondera tua.

Propter hoc postquam ingrati cives Jerusalem fortissimis clamoribus postulaverunt mortem Meam, et consensit Pilatus furori eorum, imposita fuit crux valde gravis humeris Meis, ut portarem omnia delicta tua in corpore Meo super lignum.

Considera ergo, quomodo exivit altissimi Dei Filius bajulans Sibi crucem spectaculo tristissimo, quo ferrea corda moverentur.

O quam juste flere deberes cum filiabus Jerusalem sequens vestigia Mea, quando exivi, ut immolarer pro

te extra portam, quasi essem indignus habitatione dilectae civitatis Meae.

Jam verbera consumpserant carnem Meam, et sanguis infiniti pretii rigaverat terram sterilem, quae spinas et tribulos germinaverat.

Jam vires deficere coeperant prae magnitudine dolorum:

Et tamen onus grave gravatum est super Me, ut satiaretur crudelitas inimicorum Meorum abutentium infinita mansuetudine Mea.

Durus es, fili, qui proterve repugnas misericordiis Meis; tamen si velles, ut decet, meditari iter Filii Dei ascendentis in mortem, ut moreretur pro te; viscera tua commoverentur, ut aliquando desineres peccare, et sequereris Me.

Magna esset foelicitas tua, si desideria carnis, quibus vacas, mutarentur in desideria ferendi Mecum vitale lignum crucis usque ad montem visionis, ubi visa sunt mirabilia valde prodigia Dei.

Beati, qui portant jugum Meum effecti socii passionum Mearum, nam fient consortes resurrectionis Meae.

Beati, qui non horrent, sed amant iter montis illius, ubi Dei Filius cum iniquis reputatus est, quia ex ignominia illa elevabuntur ad gloriam.

Non te frangat, fili, imago tristis Salvatoris tui portantis lignum, non cadas animo considerans crura trementia et consumptam vitam Meam; haec enim est via ligni vitae, quam non invenerunt sapientes et prudentes mercatores terrae, sed illi pauci electi Mei, qui contempserunt leges Medorum atque Persarum, et

magnificentiam regis Babylonis, ut acquirerent vera solatia et veras divitias terrae viventium.

Hi sunt, qui orantes in abscondito multis desideriis et suspiriis comitantur et lamentantur Me; et videntur sibi audire strepitum et clamores militum festinantium ad mortem Meam.

Tu vero, fili, sequeris consilia eorum, qui relicto Me fugerunt, et, quod pejus est, non fugis solo metu, sed odio passionis et mortis illius, qua mundus vivit, et sine qua omnes homines morerentur.

Propter quod hortor te, ut revertaris ad viam, de qua errasti sicut ovis, quae miserabiliter periit, ne forte incidas in fauces lupi illius, qui semper insidiatur gregi Meo.

Resipisce jam ab errore tuo, fili, considerans Me ducem viae, quae ducit ad vitam; et surge fortiter a somno, in quo jaces; grandis enim tibi restat via.

Vide mitem Dei Filium circumdatum a canibus cupientibus absorbere sanguinem Ejus et ascendentem ad locum sacrificiis vespertinis, quo altissimus Pater Ejus placatus est.

Fuge discordias hominum discrepantium a rectissima voluntate Dei, et ascende ad visionem pacis, in locum, ubi apparuit arcus foederis positus inter coelum et terram.

Quid ergo moraris, fili? Quid times ascensum habens Me comitem peregrinationis tuae, et fidelissimum adjutorem, si forte deficiat virtus tua.

Ascendamus simul et commoriamur in monte sancto, quem amantissime respicit clementissimus Pater Meus.

Sacrificemus holocausta medullata plena dulcissimae dilectionis, ut mors perdat amaritudinem et rigorem suum.

Haec meditare, fili, et esto fidelis, ut fias particeps redemptionis Meae, et liberatus durissima servitute peccati, quo gravatus respires ad privilegia filiorum Dei, quorum nomina vivent in saeculum saeculi.

Dirumpe vincula tuorum delictorum, quae non sinunt te ascendere Mecum in montem Calvariae, ut fruaris suavissimo fructu sanguinis, quem fudi pro salute tua.

Tempus nimis breve est, et transeunt dies multi sine fructu, immo cum gravi detrimento tuo, quamdiu tardas converti ad pretiosissimam amicitiam Meam.

Curre ergo velociter et intima poenitentia cordis contriti compensa damnum praeteritorum annorum, ut bene tibi sit in novissimo die.

Si secutus fueris Me portantem pondus peccatorum tuorum, Ego recipiam te in numerum fidelium amicorum, qui permanserunt Mecum in tentationibus Meis, quibus datum est, ut post laborem viae epulentur Mecum in amplissimo regno Meo.

Caput XXXVI.

De consideratione crucifixionis Christi.

Postquam crudeles inimici Mei cupientes, evadere Me de terra viventium, pervenerunt ad montem, ubi Agnus Dei sacrificandus erat, pro salute quoque illorum, qui Eum in ligno confixerunt, dici non potest, quam dire cruciaverint Me, si forte furor adversus Me excitatus requiesceret.

Oporteret, fili, te purgatos oculos cordis habere, ut considerares, quae in monte illo facta sunt.

Ego quasi Agnus, Qui portatur ad victimam, tacitus et mansuetus tradidi Meipsum in manus carnificum, ut in lecto illo, quem Mihi peccando parasti, reclinarent corpus Meum, non ad somnum capiendum, qui fugiebat prae angustia matris ab oculis Meis, sed ad acerbissimos dolores, qui pertransierunt animam Meam.

Non pepercerunt prostrato, sed violentis manibus torserunt carnem et ossa Mea, ut praeparatae cruci tremendo supplicio aptarent corpus, quod Spiritus sanctus formaverat ad operandam redemptionem tuam.

Ibi contumeliae et dolores mortis, quasi fluctus maris, ceciderunt super Me, dum feroces ministri sine sensu misericordiae clavis confixerunt manus, quae paulo ante miracula fecerant, et pedes, qui per viam redemptionis ambulaverant; et terribilibus oculis aspexerunt Me.

Penetravit horror et tremor mortis medullas Meas, et tormenta innumerabilia, qualia nemo hominum pertulit, illata sunt nervis et ossibus Meis.

Ego vero retrorsum non abii, sed corpus Meum dedi percutientibus et recubui in lecto illo, quem paraverunt peccatores, ut tu copiose redemptus sineres Me reclinari in thalamo cordis tui.

Verum ex hoc apparet, te duriorem esse lapidibus, quod cum scias veritatem hanc, quae jam toti mundo manifestata est, non magis moveris ad compunctionem, quam si mendacia essent, quae dirigente Spiritu sancto scripserunt Evangelistae Mei.

Quid est hoc, fili prodige, qui abiisti in regionem longinquam longissime a gratia et amicitia Mea?

Numquid resistere potes fortitudini veritatis Meae?

Quomodo dum credis mysterium crucis, a qua pependit Filius Dei, curris tam velociter per latam viam, quae ducit ad interitum?

Leva oculos cordis tui, et intuere, quomodo exaltatur filius hominis a terra, ut fortissimis catenis amoris et gratitudinis omnia trahat ad Seipsum.

Aspice corpus illud pro te in altum elevatum, cujus aspectu perturbantur insensibiles etiam creaturae, et fac, ne sis durior petris, quae scinduntur, ac si reprehenderent insensibile cor tuum. Mitesce jam, peccator fili Adae, dum rumpuntur fontes abyssi magnae, et fluit sanguis Meus, quasi aqua magni maris.

Recordare, quid tunc acciderit stupente mundo, et ferre non valente mortem creatoris sui, ut movearis ad sensum compunctionis, et ad abluenda peccata tua in tanta copia pretiosissimi sanguinis Filii Dei.

Sol obscuratus est, monumenta aperta sunt, et velum templi scissum est ad spectaculum illud; tu solus, fili, videris nolle moveri, neque considerare, quomodo moritur justus.

Cesset ergo singularis duritia et stultitia haec, qua pejor videris, quam multi, qui, cum essent increduli, senserunt in morte Mea virtutem Dei, neque defuit, qui diceret: Vere hic homo justus erat.

Tu autem, qui credis, Me non solum justum, sed justificatorem hominum esse, et mori pro injustis, deberes commoveri ad detestandam injustitiam, qua cru-

cifigis Me, et reddendam Mihi confessionem laudis, quae debetur innocentiae Filii Dei.

Et quidem quamvis omnia alia mysteria passionis Meae non emollirent lapideum cor tuum, hoc tamen ultimum prodigium Salvatoris tui pendentis inter latrones et inter dolores mortis audientis insultationes amarissimas deberet convertere te et mutare e gravissimo peccatore in virum castum et sanctum, ut satisfaceres amori Meo.

Res enim haec talis est, qualem mundus nunquam vidit, aut sensit, et abominabile peccatum est, nolle eam christiano sensu cogitare.

Quis enim audivit talia, qualia Dei Filius in hora suprema pro te passus est?

Quis unquam praeter Me crucifixus fuit modo tam horribili, et circumdatus est a tot inimicis, qui insultarent morienti agitantes caput contra illum, ut implerent felle animam ejus?

Annon vides, fili, haec prodigia, quae visa sunt in monte holocausti Mei, ubi defuit Mihi misericordia hominum, et Pater quoque Meus propter scelus populi Sui percussit Me?

Considera, Me non habuisse adjutorium hominum, et caruisse omni solatio, ut per Me consequereris misericordiam magnam deletis iniquitatibus tuis et projectis in profundum maris; et convertere ad Me, Quem invenies expansis brachiis, exspectantem reconciliationem tuam.

Quodsi neque tormenta Mea movent animam tuam proterve repugnantem infinitae bonitati Meae, movearis

saltem dulcissimis verbis, quibus oravi pro crucifigentibus Me, ut bene uterentur sanguine, quem fundebant.

Moveat te mansuetudo Mea, quae domuit orbem non ferro, sed ligno; et affer morienti atque sitienti non vinum felle mixtum, sed poculum lacrymarum currentium prae magnitudine compunctionis, quae nascitur ex consideratione morientis amici tui.

Festina, fili, et adhaereat imago mortis Meae visceribus tuis; ut intima conversatione Mihi Crucifixo configuratus speres beatissimum consortium resurrectionis Meae.

Caput XXXVII.

De consideratione resurrectionis Christi.

Peccata tua, fili, diviserunt inter te et Me, Qui sum auctor pacis, et nunquam desero amicos Meos, nisi ipsi malo consilio derelinquant Me.

Facta ergo divisione hac, horres valde consortium crucis et passionis Meae, quia sensus tui, quasi parvuli ratione uti nescientes, ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis; et idcirco quasi captivi tenentur in compedibus occasionum et deliciarum mundi, duramque timent disciplinam.

Et haec est ratio, propter quam perseveras in statu damnationis timens converti ad participationem dolorum Meorum.

Si ergo tam durum tibi videtur sequi Me patientem et abluentem sanguine Meo delicta tua, cogita saltem statum resurrectionis et immortalitatis Meae, quae omnes labores extenuat, et corroborat animam ad currendam viam vitae.

Momentaneum et leve tibi videbitur, quidquid patieris in brevi cursu praesentis vitae, si cum aeterno gloriae pondere comparetur.

Considera Me primogenitum mortuorum cum triumpho mortis et inferni resurgentem, et vide corpus illud, quod paulo ante toleraverat acerbissimos dolores, glorificatum et decoratum suavissima pulchritudine et purissimo splendore, cujus comparatione omnis decor corporum mortalium est deformitas quaedam abominabilis.

Si daretur tibi, fili, in transitu semel intueri candorem illum et dulcissimam gratiam corporis pro te antea crucifixi, trahereris efficacissime ad Me, saltem propter immensam consolationem, quam perciperes ex aspectu Meo.

Tanta est enim gratia et amabilitas cujuslibet corporis resurgentis ad imaginem Meam, ut sit inaestimabilis consolatio et delectatio illud semel aspicere.

Cum ergo status resurrectionis Meae, plenus infinito decore, ineffabili suavitate sit communis omnibus, qui Me imitantur, et foelici morte Mecum requiescunt, aequum erit, fili, ut saltem quaerens, quae tua sunt, servias Mihi, et toto corde convertaris ad Me, Qui possum corpus tuum corruptibile, quod vehementer amas, glorificare et immensis ac innumerabilibus delectationibus implere.

Considera rem hanc mirabilem et supra omnes mundi thesauros desiderabilem, et aspiciens retributionem futuram rumpe vincula peccatorum, quibus ligatus es; et labora cum illis, qui seminant in lacrymis, ut in exultatione metant.

Pretiosior enim est firma spes Mecum resurgendi ad campos aeterno virore ridentes, ubi gustantur solatia Dei, quam totius mundi voluptas, etiamsi per annos innumerabiles duraret.

Amabilior est civitas Jerusalem, quae sursum est, affluens deliciis Dei, et innixa super dilectum suum, quam totius mundi honores et principatus, quos ambitio humana requirit.

Dic Mihi, fili Adae, numquid extingues lucem fidei Meae, qua illuminavi animam tuam?

Numquid non credis, magnam esse domum Domini et ingentem locum possessionis Ejus?

Certe tu credis, minima non solum animae, sed etiam unius glorificati corporis bona majora esse, quam omnia regna et imperia hominum cum omnibus honoribus, opibus et voluptatibus suis.

Quomodo ergo tam infideliter vivis quasi desperaveris pervenire ad inaestimabilem requiem Meam?

Nonne sanius consilium esset, projectis idolis peccatorum, quae adoras, totis visceribus converti ad Me, Deum, Redemptorem et Adjutorem tuum, et pugnare contra reges Amorrhaeos, ut de terra Aegypti ascenderes ad terram excelsam promissionis Meae, lacte et melle manantem?

Vide, fili, quid agas; erras enim nimis graviter male eligens brevia solatia mundi, et anteponens vitam pauperem sempiternae vitae Meae.

Aperi oculos cordis, quos clausisti, ne videres formosissimam lucem Meam, quae corda casta delectat; et recordare terrae viventium, cujus campi repleti sunt ubertate.

Certe non est contemnenda tanta pulchritudo, ut non merito pro illa pugnare debeas.

Cogita, quid senties, si servieris Mihi, Remuneratori tuo, quando victa morte resurges, et in hoc ipso corpore, quod gravat et affligit animam tuam, percipies talem mercedem, qualem oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit.

Quando scilicet configuratus Mihi, Regi tuo, splendebis sicut sol, et dulcissima gratia decoraberis inter filios Sion inclytos et amictos auro primo.

Quid ergo tardas reverti ad Me? Quid times, fili? Averte jam oculos tuos, ne videant vanissimam mundi transeuntis vanitatem, et eleva illos ad regionem vivorum; ut spe tantae amoenitatis paradisi Mei, movearis ad quaerendam pacem et amicitiam Meam.

Curre velociter, et ascende, et collige suavissimos fructus ejus.

Caput XXXVIII.

Jesus Christus, Rex pacificus supernae Jerusalem: homini peccatori salutem!

Considerans aversionem tuam, fili charissime, pro quo advena fui in terra aliena, quam dedi filiis hominum, qui dereliquerunt Me, et cupiens reducere te de via Assyriorum, ubi bibis aquam turbidam, ad viam dulcissimae Jerusalem, ut potem te aqua pura Jordanis, et afferam tibi in aestu mundi coeleste refrigerium, mitto tibi multiplices inspirationes, quas scribo in tabula cordis tui digito suavissimi Spiritus Mei.

Tu enim scis, testimonium perhibente tibi conscientia tua, quam saepe pulsem ostium domus tuae, et illu-

minem te errantem in tenebris et umbra mortis, ut motus magnitudine bonitatis et misericordiae Meae evigiles de somno profundissimo peccati, in quo jaces, et convertaris ad agendam poenitentiam et requirendam pretiosissimam amicitiam Meam.

Non cessavi diebus multis monere, et secretis instructionibus erudire te, ut considerares horrendum periculum, in quo vivis transiturus de hac vita ad flammam, nisi solvas vincula colli tui, et revertaris ad libertatem filiorum Dei, quorum nomina scripta sunt in libro vitae.

Tempus breve est; et Ego veniam cito positurus tecum rationem, ut recipies mercedem, si poenitentiam egeris, vel tradaris tortoribus, si repugnaveris saluberrimis consiliis Meis.

Suadeo ergo tibi, fili, dum tempus est, operari bonum, et copiosis lacrymis abstergere maculas animae tuae; ut appareas in conspectu Meo candidus, quasi greges ovium tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, et sterilis non est in eis.

Ut vero benedictiones Patris Mei descendant super te, quasi super verticem Joseph, et aspergaris rore coeli, et in pinguedine terrae viventium sit portio tua; considera, fili dulcissime, qui recessisti a Me, quis sim Ego, ut cognoscas magnitudinem peccati, et quasi fel draconum exhorreas illud.

Ego sum ipsamet altitudo et majestas infinita, Cui genua flectunt omnes creaturae, et ad Cujus aspectum Seraphim velant facies suas.

Ex quo ponderare poteris magnitudinem offensae, quae crescit ad proportionem Meam.

Si enim offensio principum terrae tanta reputatur, ut nosti, eo quod principes sint, quid tibi videtur sentiendum de sublimissima majestate Mea?

Certe quamvis coecus sis, quia repulisti lumen coeli, negare tamen non potes grande malum, quod commisisti, quando dereliquisti Me; praesertim cum sine aestimatione magnitudinis Meae peccaveris factus abominabilis et inutilis homo, et bibens quasi aquam iniquitatem.

Propter quod animadvertens errorem tuum, fili Mi, deberes prosternere te ante thronum gratiae Meae, et profundissimis gemitibus quaerere mitissimam faciem Meam; ut libereris a grandi malo inimicitiae Regis, Qui magnificatus est super omnes reges universae terrae.

Et quidem contemplatio divinae majestatis, quam offendisti, charissime fili, deberet resolvere glaciem cordis tui, ut fleres et poenitentiam ageres delictorum tuorum, quibus provocasti Me, quamvis nullis beneficiis te affecissem.

Intolerabilis enim deformitas est displicere infinitae bonitati et sapientiae Meae, licet nihil boni cum creaturis communicarem.

Jam vero, cum beneficia Mea, quibus ornavi te, sint adeo magna et innumerabilia, immense crescit turpitudo tua, fili, dum resistis misericordiis Meis.

Ferae crudeles mansuescunt beneficiis, ut passim vides exemplis ursorum et leonum, qui quasi canes domestici sequuntur magistros suos, et tu induraris contra Me, et pro nihilo ducis admirabilia beneficia Mea.

Ego sine meritis tuis justificavi te, et significavi signo christianae militiae Meae.

Ego praeservavi te ab innumerabilibus malis culpae et poenae, quae incurrisses, nisi secretissima misericordia protexissem te.

Ego eripui te a flamma aeterna, in qua nunc arderes non exspectans vel unam guttam aquae, qua refrigeratur lingua tua, nisi cor Meum commotum fluisset super infinita calamitate filii Mei.

Ego pavi te suavissimo pastu corporis Mei in Eucharistiae sacramento et potavi te flumine vivo sanguinis Mei, ut fieres sanguineus Meus.

Quid ergo ultra debui facere tibi, fili, et non feci?

Quid fecit unquam mater amantissima erga unigenitum infantulum suum, quod Ego non fecerim abundantius erga te, quem dilexi, quamvis tu oderis Me?

Quod si beneficia praeterita parva tibi videntur, Ego adjiciam majora, ut, si tu velis, reconcilier tibi amore novo, et deducam te inter justos Meos per vias rectas ad uberrima pascua divitiae Meae.

O fili Adae, si scires, quid Ego praeparaverim electis Meis, quibus disposui novum et aeternum testamentum Meum, quam fortiter doleres vicem tuam, et quaereres reparare ruinas delictorum tuorum!

O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis Ejus!

Omnia mundi regna, omnes divitiae et thesauri principum, omnes deliciae filiorum hominum calamitas extrema est, si cum requie sempiterna unius electi comparentur.

Cum ergo tu, fili charissime, praevaricando legem Meam non sis possessurus, nisi partem aliquam mini-

mam bonorum mundi celeriter transeuntis, quomodo non consideras, quanta dementia sit, spem aeternae consolationis amittere? nonne melius et utilius tibi est, spe futuri regni laetari, et parce uti bonis momentaneis hujus saeculi, quam perverso consilio solatia praesentia vix gustare et perpetua luce carere?

Certe ratio haec implevit claustra monachis, et deserta anachoretis.

Haec est viva et efficax doctrina fortissimae veritatis Meae, quae, nisi esses durior lapidibus, moveret te ad poenitentiam profundissimis suspiriis et lacrymis redundantem.

Desine ergo, fili, servire peccato, quod tibi clausit ostia vitae, et inclina cor tuum ad faciendas justificationes immaculatae legis Meae propter inaestimabilem et super aurum desiderabilem retributionem Meam.

Quod si retributio infinitae suavitatis plena et fluminis impetus, qui laetificat civitatem Dei, non movet duritiam tuam, fili dilectissime, considera saltem magnitudinem et horrorem poenarum, quas incurris.

Etsi enim durior ferro sis, timebis flammam aeternam, cujus reatu tenetur corpus istud, quod tu amas plusquam animam tuam.

Quomodo enim ferre poteris, fili Mi, tormentum ignis et vermem, quo in perpetuum rodentur viscera tua, si nunc ferre non potes jejunium unius diei, aut incommodum lectum unius noctis?

Numquid adeo coecus es, ut non videas, stultam electionem esse, impinguare corpus paucis diebus, ut comburatur sine fine?

Ergo saltem terrore tormentorum convertere ad Me, et salva brevi poenitentia animam tuam, ne descendas in lacum profundum expers fructus redemptionis Meae.

Nollem enim exercere gladium justitiae adversus te, charissimum filium Meum.

Si autem futura mala, quae non vides, parum afficiunt te nimis amantem apparentia bona, quae videntur, considera praesentia damna, quae peccando succedunt, et disce quaerere et diligere Me.

Nonne vides, dum peccas, te fieri inimicum Meum, et conscientiam tuam inquietam et turbulentam esse, amissa pace et serenitate Dei, succedente servitute peccati et deformatione horribili animae tuae?

Paulo ante erat speciosissima et suavissima sponsa Mea, cujus gratia et dulcissima pulchritudo adhaerebat visceribus Meis, et in hora, qua commisit peccatum, facta est abominabilis et horribilis supra omnem mundi deformitatem.

Propter quod mirum est, te, fili Mi, nolle considerare mutationem hanc, quam, qui bene ponderat, fugit peccatum, sicut mortem et infernum.

Sed si mutatio haec non movet durum cor tuum, fili charissime, contemplare mutationem contrariam de peccato ad gratiam et amicitiam Meam, et trahat te tua saltem voluptas.

Si enim bene consideres, anima tua, quae peccavit, quamdiu non convertitur ad Me, est imago daemonis, quem imitata est, et horrenda turpitudine nigrescit.

Si autem tu velis cooperari gratiae Meae, suspirio uno renovabitur, et super nivem dealbabitur, fietque

pulcherrima et jucundissima supra omnem corporum gratiam et amabilitatem, placebitque tenerrimo cordi Meo.

Vestitur purpura et bysso, et ad Regis pacifici thalamum ineffabili cum decore admittetur.

Verum si renovatio haec, quatenus ad delicias Meas pertinet, non movet animam tuam; moveat saltem intima consolatio, quae de vera poenitentia cum spe vitae aeternae procedit.

Spes enim fundabitur et exhilarabit te, fili, cum intima penetratione laetitiae, quam aeterna vita sperata producit.

Et in ista ipsa vita mortali gustabis et videbis, quam suavis sim Ego per experientiam internorum gaudiorum, quae ex novitate vitae nascuntur.

Expertis crede, fili, pretiosior est consolatio Mea praesens, quam totius mundi laetitia, quidquid dicant filii hujus saeculi, qui longe recesserunt a disciplina Filii Dei.

Neque audias consilia hominum, qui horrent poenitentiam, quasi vitae inimicam; nesciunt enim, quid dicant, et judicant, quod ignorant.

Audi potius Me, fili, et vide, et inclina aurem cordis tui; et instillabo tibi dulcissima verba salutis, quam requiro.

Neque durum tibi videatur agere poenitentiam pro salute et vita aeterna tua, cum sis peccator, siquidem Ego egi poenitentiam durissimam pro te, cum sim ipsa innocentia et candor lucis aeternae.

Immo ex hoc ipso, quod Ego sum exemplar ostensum tibi in morte Ecclesiae, sponsae Meae, debet tibi

societas jucundissima videri, Mecum laborare, et tollere suave jugum Meum super te.

Operemur simul, amice charissime, et vivamus simul strictissima unione Spiritus Mei.

Ego adjuvabo et consolabor te, sicut dilectissimum filium Meum, et extenuabo laborem poenitentiae adjunctis viribus Meis, quas tibi secreto suggeram, ne deficias in via.

Et profecto foelicior eris adjutorio Meo, etiamsi sedeas in cilicio et cinere, quam si absque societate Mea imperium totius mundi possideres.

Non te frangat, fili, asperitas poenitentiae depicta, quam horrent sensus tui assueti delectationibus humanis.

Ego lactabo te in secreto cubiculo cordis tui, ut dulcescant tibi poenae, quas suscipies pro abluendis sordibus peccatorum; et videbis, quanta et quam ineffabilis consolationis plena sit vera poenitentia, et quam turpiter errent filii hujus saeculi infamantes eam, et male loquentes de infinita bonitate et misericordia Mea, quasi Ego crudeliter tractem peccatores, qui convertuntur ad Me.

Recordare filii prodigi post innumerabilia peccata redeuntis ad domum Meam, et interroga illum, an passus fuerit desolationem, aut Ego locutus fuerim ei verbum asperum, quando coepit suspirare et pulsare viscera Mea?

Ego certe, si legisti mellitos sermones Evangelii Mei, conversabar in terra cum publicanis et peccatoribus adeo familiariter et misericorditer, ut propter hoc reprehenderer a mundi sapientibus et prudentibus;

ex quo judicare poteris, quam falsum sit, Me nimis severum esse erga eos, qui jam non sunt publicani et peccatores, sed incipiunt sequi Me.

Propter hoc, fili, hortor te, ne cadas animo, aut credas, intolerabilam esse viam vitae, ad quam sine poenitentia redire non potes; sed crede fidelissimo Magistro et Redemptori tuo.

Rumpe fasciculos delictorum, quibus gravaris, et quaere refrigerium.

Incipe bene uti remediis Sacramentorum, quae sunt quasi canales, per quos fluit pretiosissimus sanguis Meus.

Recede a carnalibus amicis, et quaere unicam et dulcissimam amicitiam Meam.

Claude ostium domus tuae et gemitibus multis ora Patrem Meum, ut reformet et efficiat te similem unigenito Filio Suo.

Quaere, et invenies, pulsa, et aperietur tibi, pete confidenter, et accipies.

Non enim tam brevis est misericordia Mea, quam tua, quae est sicut nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens, qui exorto sole siccatur.

Ego sum fons misericordiae inexhauribilis, et glorificor miserendo.

A saeculo non est auditum, quod contemnerem miseriam inopum, et gemitum pauperum quaerentium incomparabiles divitias Meas.

Certissime ergo scias, fili, si convertaris ad Me, te habiturum in Me Uno omne bonum et omne solatium.

Ego ero tibi pater et mater, frater et soror, et

fidelissimus amicus, paratus ad instruendum, adjuvandum, solandum et defendendum te.

Propter quod deberes constanter aggredi viam vitae, non timens proelia inimicorum tuorum, cum Ego tecum futurus sim.

Ego enim vici mundum, et fies particeps victoriae Meae, dummodo velis Mecum esse, neque unquam recedere a conspectu Meo.

Dirumpe ergo vincula tua, fili charissime, et sacrifica Mihi sacrificium laudis, quod Ego libenter odorabor in exspectata valde reconciliatione tua.

Da Mihi dexteram amicitiae, quam requiro, siquidem Ego prior dilexi te.

Desine vagari post vestigia appetituum tuorum et intimo sensu compunctionis et amoris quaere, ubi cubem et requiescam in meridie; et para Mihi thalamum in centro cordis tui, ubi fiet calor meridianus amoris Mei.

Convertere ad Me, fili dilectissime, et Ego convertar ad te, ut liberem te de servitute durissima, et elevem ad statum filiorum Dei, inter quos frueris formosissima luce Mea.

Soliloquia.

Caput I.

De infoelicitate praesentis vitae.

Nimis infoelix est vita praesens filiorum Adae, quos peccatum expulit cum patre suo a paradiso voluptatis, quem plantavit dulcissimus Deus, ut ibi homo, si vellet, foeliciter viveret!

Quid faciam, infoelix homo, operator terrae spinas et tribulos germinantis?

Quo me vertam exul tam procul habitans a charissima patria mea?

Contemplor praesentem vitam plenam miseriae et tenebrarum, quae inferno contigua esse videtur, et taedet animam meam vitae meae taedio quodam pene intolerabili.

Ego transeo per locum horroris et vastae solitudinis, ubi non est charitatis habitatio; et idcirco timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebrae.

Certe nox est vita haec, in qua non valeo intueri lucem candidissimam, quam perdidit insipiens Adam, pater meus.

Vae mihi, quem operuit caligo culpae?

Quia cum difficultate et anxietate multa ambulo ad lumen fidei, quae quasi lucerna lucet in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer, qui nescit occasum, oriatur in corde meo.

O terra sterilis et vallis lacrymarum, e qua suspiro ad montem Dei, montem scilicet pinguem, cujus pinguedine repleatur anima mea.

Utinam, clementissime Deus, adeo displiceant mihi vincula culparum et poenarum, quibus haec vita nimis ligatur, ut quasi peregrinus non satis fidens habitatoribus terrae, et exspoliari timens, transeam celeriter per ignem et aquam in optatissimum coeli refrigerium.

Non enim expedit mihi multum immorari in terra inimicorum, neque fas est, dum ascendere curo ad excelsam terram aeternae promissionis, inire foedus cum regibus Amorrhaeis, qui oderunt regionem vivorum, et insidiantur saluti meae.

Quae communicatio luci ad tenebras, aut quae pars mihi inter filios Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est?

Quid mihi cum mercatoribus Madianitis et cum Tyro atque Sidone, ubi pro modico fragmento panis venduntur jura primogenitorum civium suavissimae Jerusalem, ubi vellem recondere thesauros meos?

Nonne sanius consilium est, fugere commercia negotiatorum, qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, et quaerere firmam stationem littoris, ubi non timentur fluctus maris?

Profecto vita haec continua quaedem procella est, cujus undae nunc ascendunt usque ad abyssos, quibus alternationibus anima mea tabescit.

Timores, irae, tristitiae, discordiae, ambitiones, cupiditates innumerabiles cum aliis perturbationibus absque numero, quid aliud sunt, quam mare magnum et

spatiosum manibus, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus?

Expedit ergo mihi tot pericula horribilia, et quaerere vitam meliorem, ubi non sit pereundi formido.

Propter hoc, o Fili Dei altissimi, futuram civitatem inquiram, et suspirabo ad solidiorem terram, ad mansuetorum nempe et humilium haereditatem, ut Tu sis tota portio mea, dulcissime Deus cordis mei.

Caput II.

De foelicitate vitae aeternae.

O vita vitalissima, quae nunquam deficies, quando requiescam in te?

Quando veniet immutatio mea, ut ascendam de deserto deliciis affluens, et introducar in campos aeterno virore virentes, et fruar aura suavissima, quae perflat amoenissimos hortos Dei.

O lux beatissima, quae exhilaras civitatem primogenitorum, qui induti stolis albis incedunt per plateam ex auro mundo, similem crystallo, quando fruar te.

O regio vivorum, ubi non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quando videbo te?

Vere vita ista, qua vivo inter exules filios Evae, mors est; non enim adest candor ille purissimus, libertas illa pretiosissima et dulcissima societas Jerusalem, quae sursum est; cujus gratia desiderabilis est super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulcior super mel et favum.

Ibi purgatis oculis cordis videtur elegantissima forma Dei, Cujus aspectu corda casta dilatantur et

inflammantur aeternis ardoribus, qui non exstinguentur in saecula.

Ibi requiescit cor infiniti boni cupidissimum, et potatur torrente voluptatis Dei, Qui regnabit in aeternum et ultra.

Vae mihi, qui longe absum ab optatissima requie mea, qua multi ante me fruuntur, qui ascenderunt sicut hinnuli cervorum in montem Bethel, ut satiarentur ab ubertate domus Dei!

Usquequo carebo haereditate grandium, qui manducant labores manuum suarum, et infinita cum exultatione comedunt pinguia medullata?

Utinam dirumperetur velum, quo absconditur portio mea in terra viventium, et hac ipsa hora, qua oro moestitia plenus, vocarer ad coenam candidissimi Agni Dei, Cujus pastu dilatarentur viscera mea!

Vere vita praesens umbra mortis est; et expedit mihi suspirare in atria Domini omnibus diebus vitae meae.

Beatus vir, cui lacrymae sunt panes die ac nocte, dum dicit ei cor suum quotidie: Ubi est Deus tuus? bene enim est, ut praesentis vitae taedio et futurae foelicitatis desiderio currant lacrymae usque in finem.

Veniat, oro Te, dulcissime Deus, finis ille, ad quem creasti me; ut in amplexu Tuo vivam sine timore culparum et dolorum, quo sollicitor et sollicitabor, donec in lumine Tuo videam formosissimam lucem Tuam et amplissimam mercedem meam.

O merces magna nimis, pro qua laboraverunt omnia corda nobilia fortissimorum militum, qui de bello pacem, quae superat omnem sensum, acceperunt!

Quis mihi det consortium tam inaestimabilis consolationis, ut ascendens de terra deserta et inaquosa mergar in abysso voluptatis Dei?

Ego laborabo clamans, donec aperiatur mihi via ligni vitae, quam requiris anima mea.

Caput III.

De periculo amittendi Deum.

O summum et amabilissimum bonum, Deus meus, et invictissima fortitudo mea, in quanto periculo versor perdendi Te!

Advena ego sum in terra aliena, per quam ambulo, et multi latrones insidiantur mihi habenti thesaurum in vasis flictibus, quem porto ad civitatem Jerusalem, quae est dulcissima patria mea.

Vae mihi, quia occurrunt mihi occasiones innumerabiles, quibus sollicitor ad relinquendam amicitiam Tuam, optatissime Deus cordis mei!

Labores, tentationes, distractiones et multa incitamenta peccandi vexant me, ut cum difficultate conservem pretiosissimam gratiam Tuam, et facile capiar laqueis delectationum, quas generat mundi figura.

Quid ergo faciam, vigilantissime custos hominum, cupiens sic transire per bona temporalia, ut non amittam aeterna?

Sed jam in schola mansuetorum et humilium, cum quibus est conversatio Tua, docuisti me, ut tollerem suave jugum Tuum, et discerem esse mitis et humilis corde ad exemplar incarnati Filii Dei.

Haec est eruditio Tua, Magister, Qui habes verba vitae.

Haec est sapientia parvulorum, qui, cum sint parvuli in oculis suis, crescunt ad mensuram plenitudinis Tuae, et protegente Te eripiuntur, sicut passeres a laqueo venantium, et custodiuntur quasi pupilla oculi Tui.

Interim ergo dum timor perdendi Te sollicitat animam meam, memor ero scholae Tuae, o Fili Dei altissimi, et vivere curabo sub umbra alarum Tuarum, et dicam: Erue a framea inimici, Deus, animam meam, et de manu canis unicam vitam meam.

Salva me, o Fortissime, de ore leonis et a cornibus unicornium quaerentium perdere salutem meam.

Et quia in meipso sentio aliam legem repugnantem legi mentis meae, obsecro Te, o Potentissime, libera pauperculam creaturam Tuam a seipsa, ne pereat in periculoso valde proelio passionum suarum, quae quasi tigres famelicae currunt ad illicitas praedas suas.

Si audieris, Domine, orationem servi Tui, in qua prosternitur Tibi adorans infinitam majestatem Tuam, sacrificabo Tibi ardentia igne Tuo viscera mea, et cantabo in aeternum super mel dulcissimas misericordias Tuas.

Caput IV.

De aestimatione gratiae Dei.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, o Fili Dei vivi et sapientia Patris Tui, non potero digne aestimare magnitudinem, altitudinem et decorem gratiae Tuae.

O Domine, si dignaretur infinita bonitas Tua, erudire me ignorantem, ut cognoscerem divitias ejus, et amarem formam illam, quae est participatio formae Dei!

Domine, ex iis, quae docuisti me, balbutiens dicam, quaecunque conferant ad aeternam laudem Tuam.

Quid est, Domine, quale bonum est divina gratia Tua, nisi candidissima vestis et corona dulcissimae pulchritudinis, qua ornatur anima justi, sponsa Tua? Est ornamentum pretiosissimum, quo induitur filia regis, cujus omnis gloria est ab intus, quamvis, ut decet reginam, sit circumamicta varietatibus.

O quam inaestimabilis decor, qui, si videretur, omnia corda lapidea peccatorum emolliret!

O quam ineffabilis suavitas, qua delectatur cor altissimi Filii Dei!

Omnia mundi imperia, omnes divitiae, omnis hominum gloria, sapientia et fortitudo nihil est, si cum divina gratia Tua comparetur.

Ego scio, Domine, me non posse digne loqui de tam ineffabili bono; et propterea desidero illuminari a Te, ut saltem intelligam excellentissimam dignitatem ejus, quantum mihi satis est ad quaerendam et amandam totis visceribus gratiam Tuam.

Melius enim mihi est amare speciem ejus, quam de illa abundanter vel eleganter loqui.

Qua in re vellem, mitissime Redemptor, dissimilis esse hominibus, qui quaerunt gratiam regum terrae super aurum et lapides pretiosos.

Certissime enim scio, gratiam illam non esse multó pretio dignam, cum in principibus illis non sit salus.

Gratia vero Tua, Rex pacifice, infiniti pretii est, cum in Te sit salus et aeterna vita mea, pro qua

quilibet bonus negotiator dabit omnem substantiam domus suae, et quasi nihil despiciet eam.

Revela, Domine, oculos meos, et considerabo mirabilia magna, quae sunt in lege gratiae Tuae; et anteponam amabilissimam formam ejus omnibus amoribus terrae; vigilaboque et laborabo pro consortio illius omnibus diebus vitae meae.

Utinam imprimeretur cordi meo aestimatio justa gratiae Tuae, Domine, ut nihil cogitarem, loquerer, vel operarer, nisi quod requirit dulcissima lex amoris Tui.

Caput V.

De imitatione Christi.

O candor lucis aeternae, Jesu Christe, Rex et Praeceptor vitae meae, quot magistri prurientes auribus discurrunt per scholas hominum, quaerentes docere alios, cum ipsi ignorent Te, in Quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei!

Quomodo audent dicere aliis justioribus se: Imitamini nos.

Ego certe non sequar istos praeceptores, qui perdunt animas suas, et alienant a Te infoelices imitatores suos.

In consilium eorum non veniat anima mea, ne forte surda fiat ad secretas voces et inspirationes Tuas.

Tu, Domine, revelasti mihi verba Patris Tui dicentis: Hic est Filius Meus dilectus, in Quo Mihi complacui; Ipsum audite.

Cum ergo auctoritas divina major sit, quam totius mundi sapientia, ego meipsum prosterno ante Te,

legislatorem et exemplar vitae, et eligo potius imitari Te, quam filios Adae, patris mei.

Tu enim fecisti me ad imaginem et similitudinem Tuam; et veritas Tua exigit a me, ut fidelissima imitatione sequar Te, ducem viae, quae ducit ad vitam.

Sed quando incipiet nimis dura voluntas mea, serio velle, quod intellectus meus illuminatus fide Tua dictat esse faciendum?

Usquequo morabor et differam de die in diem, imitari Te, innocentissimum Agnum Dei?

Numquid timenda et non magis amanda est mansuetudo Tua, qua redemisti me?

Ego certe confiteor Tibi, fortissime Victor mundi, in Ecclesia magna Tua, expedire mihi imitari humilitatem Tuam, qua domuisti orbem ligno crucis Tuae.

Ita sentio testimonium perhibente conscientia mea, et idcirco, precor Te, fac, ut ambulem per viam, quam ostendisti mihi, quando in terris visus et cum hominibus conversatus es.

Serva me, Rex Jerusalem, ab hostibus meis et Tuis, qui sub veste mansuetudinis Tuae sunt lupi rapaces, et quaerunt perdere dilectam animam meam.

Profiteor, me nolle alium regem, nisi Te, qui dulcissimae charitatis legibus regis fidelissimos servos Tuos.

Caput VI.

De contemptu mundi.

Beatus vir, quem Tu erudieris, Domine, et de lege Tua docueris eum.

Huic certe mundus crucifixus est, et ipse mundo, quem grandi sensu Tuo contemnit.

Cujus contemptus causa est, ut existimo, quia justitiae Tuae, Domine, sunt rectae et laetificantes corda et praeceptum Tuum lucidum illuminans oculos.

Illumina ergo me, o lux formosissima, cujus comparatione non lucent astra matutina, ut videam mundi vanitatem et figuram cito transeuntem et contemnam illam.

Utinam, o veritas fortissima, quae vincis omnia, bene caperem sensum Tuum, ut despicerem mendacia filiorum Adae, qui a Te auditum avertunt!

Utinam penetraret cor meum vox dicentis: Omnis caro foenum, et cecidit flos, quia ventus Domini insufflavit in eo!

Haec est sapientia sapientum, et fortitudo fortium, Domine, ut christiano sensu Tuo et altissima fide Tua spernant visibilia bona honorum, divitiarum et delitiarum, propter meliorem et manentem substantiam, quae legitimis certatoribus conservatur in coelis.

O substantia domus Dei, quam contemptibilia sunt patrimonia mortalium comparata cum pretio Tuo!

Profecto sapienter fecerunt pauci illi amatores Tui, qui noluerunt habere haereditatem in terra morientium, ut haereditate possiderent Te!

Et ego desiderans esse e numero paucorum, despicio omnia desiderabilia mundi, ita ut, si honores, voluptates et divitiae affluant, nolim cor apponere.

Transibo ergo, quasi peregrinus futuram civitatem inquirens, et destitutus solatio in praesenti saeculo, festinabo ad dulcissimam patriam meam.

Imitabor fortes pugnatores, qui noluerunt suscipere apparentem mundi redemptionem, ut melio-

rem invenirent resurrectionem, currentes ad refrigerium suum.

Fac, o sapientia Dei altissimi, ut contemptus mundi imprimatur visceribus meis.

Fac, ut abominer fructus terrae, ut ascendam in palmam, et colligam melle dulciores fructus ejus.

Caput VII.

De exemplis contemptorum mundi.

Delectasti me, Domine, in factura Tua, et in operibus manuum Tuarum meditabor; in illis, inquam, operibus novae creaturae Tuae, quam creasti in operibus bonis, ut sequens Te, mitissimum praeceptorem suum, perseveranter ambularet in illis.

Multa fecisti, Domine, mirabilia nimis, in quibus lucet altissima sapientia Tua; sed illa videntur dulciora et amabiliora, quae operatus es in cordibus sexaginta fortium Israel, qui fuerunt ex fortissimis servis Tuis, contemptoribus mundi, quos mors et infernus timuerunt.

Ex hoc numero fuit Alexius, fidelissimus amicus Tuus, qui despiciens romanam nobilitatem cum divitiis et voluptatibus nova mundum arte deludens, transivit per viam vitae tacitus et incognitus hominibus, sed bene cognitus Tibi probanti renes et corda; et sic inventus est mirabiliter scriptus in libro vitae Tuae.

Ad hunc etiam numerum pertinet Paulinus, charissimus amicus Tuus, qui vendidit se, ut redimeret proximum suum, sicut Tu, Domine misericordissime, tradidisti Te, ut salvum faceres populum acquisitionis Tuae.

Propterea Paulinus, quamvis occultavit se, ut cal-

caret gloriam mundi, revelatus est a Te, Qui superbos humilias et pauperculos a terra suscitas.

Hujus numeri fuit Martinus Turonensis, qui totis visceribus dilexit Te, et contra leges mundi, scidit chlamydem suam, ut tegeret Te, Qui in persona pauperum mendicare soles, quamvis sis dives super omnes reges universae terrae.

Et ideo sic placuit Tibi contemptus mundi in Martino, servo Tuo, ut diceres: Martinus hac Me veste contexit.

In numero isto, Domine, possem numerare multa millia servorum Tuorum, qui exemplo Tuo reliquerunt omnia et in spiritu humilitatis famulati sunt Tibi, nihil curantes, quid mundus sentiret.

Propter quod senserunt illi virtutem et misericordiam Tuam magnam, quam ego quoque sentire vellem.

Fiat ergo, mansuetissime Domine, misericordia Tua super me, servum Tuum, ut fiam de numero illorum, qui mundum vicerunt, et absconderunt thesauros suos in coelo, festinantes ad amplissimam mercedem suam.

Et sacrificabo Tibi primogenitum amorem in ara cordis mei, quod inflammetur, oro, igne purissimi Spiritus Tui.

Caput VIII.

De reformatione hominis.

Inter alia verba vitae, quae praedicasti, Domine, filiis Adae ignorantibus viam Tuam, dixisti, necesse esse, ut renascatur in Te, qui de Adam infoeliciter natus est.

Et quidem, altissime Fili Dei, ego dono Tuo regeneratus fui aquis Tuis, quae in baptismo abluerunt originalem culpam meam.

Sed post grandem misericordiam Tuam infixus sum in interitu peccati, quod feci et pro nihilo perdidi divitias Tuas.

Ex quo facies animae meae, quae erat nive candidior, denigrata est super carbones desolatorios, et sensus mei sine froeno justitiae Tuae militant contra me.

O clementissime Redemptor, quomodo deformata anima mea, quam formasti ad imaginem Tuam?

A planta pedis usque ad verticem capitis non est in me sanitas, et vulnera mea multiplicata sunt super capillos capitis mei.

Propter quod, cum in Te Solo sit salus mea, oro Te, Mitissime, ut reformes hanc fragilissimam creaturam, et configures illam perfectissimae et amabilissimae formae Tuae.

Adorna, Rex Sion, thalamum animae meae, sponsae Tuae, ut nihil admittat, quod non sit honestum et decorum, ut placeat cordi Tuo.

Refice, Rex Salomon, servulum Tuum, fac columnas argenteas virtutum, et reclinatorium aureum charitatis, ut requiescat ibi majestas Tua.

Quodsi haec structura eget ascensu purpureo, bonum mihi esset, sanguine fuso tantas divitias comparare.

Utinam totus in Te muter, o unigenite Fili Dei, ut non solum reformetur corpus humilitatis meae configuratum corpori claritatis Tuae in regeneratione, cum veneris judicare terram; sed nunc, antequam veniat dies magna et amara valde, cor meum reformetur ad exemplar cordis Tui.

O exemplar! quis mihi det, ut quasi columba felle

carens volem ad Te, et habitem in foraminibus petrae et in solitaria caverna maceriae.

Ibi contemplabor exemplar meum, et ablata vetustate veteris Adam accipiam novam et pulcherrimam formam Tuam; qua ego, qui mortuus fui, fiam in animam viventem de purissimo et vitalissimo Spiritu Tuo.

Caput IX.

De reformatione sensuum exteriorum.

Externi sensus mei, o divina libertas mea, abducti sunt in captivitatem et multipliciter erraverunt ex utero matris suae.

O Domine benignissime, quomodo facti sunt in desolationem!

Intravit mors per fenestras et per portas, quae sine custodia patent, ingressae sunt gentes in sanctuarium Tuum, de quibus praeceperas, ne intrarent in Ecclesiam Tuam.

Vere sensus mei, quasi equi sine froeno cucurrerunt ad solatia sua.

Nunc vero, o custos Israel, et fidelissima tutela mea, claude portas hujus creaturae, quam fecisti Tibi, sicut clausisti ostium arcae Noe in diluvio aquarum multarum, ut salvaretur semen electum in ea.

Certe ego novi per experientiam, me indigere custodia Tua, o amantissime Fili Dei, Qui omnia scis et potes, et servas amicos Tuos in abscondito faciei Tuae.

Vigilabo ego super gregem meum, non quasi ego possim praeservare a corruptione sensus assuetos delitiis suis, sed confidens in Te, custode meo, Qui

potes subito honestare pauperem et delere omnes abominationes ejus.

Quis enim potest facere mundum hominem de immundo conceptum semine, nisi Tu, Qui Solus es?

Tu es, Domine, justificatio, redemptio et puritas mea, quae, obsecro, adhaereat visceribus meis, ut sensus mei froeno timoris tui retrahantur ab excessibus, quibus maculaverunt animam meam, quae debuisset esse immaculata sponsa Tua.

Satis inquinata est, Domine; sed nunc abluatur aqua Jordanis, vivi fluminis Tui, ut restituatur caro ejus, sicut caro pueri parvuli existentis in innocentia sua. O innocentia, quam pretiosa es!

Non adaequabitur Tibi topazius de Aethiopia, nec Tecum tinctura mundissima componetur.

Sed jam qui perdidit Te, innocens esse non potest.

Tu vero, innocentiae fons, Jesu Christe, Fili Dei altissimi, potes hominem peccatorem super nivem dealbare et ita conformari Tibi, ut peccatorum sordes, accepta ab illis occasione justitiae, ei cooperentur in bonum, sicut frequenter facis in iis, qui secundum propositum dulcissimae gratiae Tuae vocati sunt Sancti.

Utinam et sors haec mihi contingat, ut eductus de lacu miseriae et de luto faecis laver et munder ad formam puritatis Tuae, ut fiam dignus consortio electorum Tuorum, et fruar suavissima praesentia Tua.

Caput X.

De mortificatione passionum.

Infoelix nimis homo sum portans corpus, quod corrumpitur et aggravat animam.

Vae mihi! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Patior bella innumerabilia, quibus pars inferior oppugnat portionem superiorem meam, destinatam cognitioni et amori altissimi Dei mei.

Ascendo ad térram promissionis, ubi est requies et haereditas mea; et passiones indomitae, quasi bestiae fame incitatae, importunis proeliis vexant me.

Haec est servitus filiorum Adae, ut in seipsis ferant domesticos inimicos suos, qui rebellaverunt contra Te, Rex pacifice, Qui facis utraque unum.

Tua est, fortissime Domine, victoria tam crudelium inimicorum, a quibus nemo liberatus est, nisi per potentissimam gratiam Tuam.

Beati pugnatores illi, quibus est auxilium abs Te! ascensiones enim in suo corde disponunt, facientes quasi gradus scalae, quae pertingit ad coelum, de mortificatis passionibus, quas calcant, ascendentes super ipsas sicut Tu, Domine, victor mortis, ascendisti super occasum.

Ego vero vir claudus ex utero matris meae non valeo prosternere hostes meos, qui nascuntur ex me, nisi robores fragilissimam creaturam armis fidei, et insuperabilis charitatis Tuae.

O charitas omnipotens! O armatura Filii Dei, Cui flectitur omne genu!

Certe expedit mihi, o divina virtus et fortitudo mea, armari a Te, ut non timeam a timore nocturno passionum excoecantium oculos mentis meae, ne videat purissimam lucem veritatis, quae sincera corda confirmat.

Ego clamabo vim patiens, et implorabo Deum, ad-

jutorem meum; si forte imperet ventis et mari, fiatque tranquillitas magna et pax optatissima filiorum Ejus.

Si ortus mihi fuerit sol de coelo, sicut desiderat anima mea, omnes bestiae, quae exierant ad praedam, congregabuntur et collocabuntur in cubilibus suis.

Et ego, dulcissime Deus, cantabo mane misericordiam Tuam, et celebrabo tota die invictissimam veritatem Tuam.

Scio enim, Domine, quia pax haec, quae de passionum victoria procedit, est fomentum amoris Tui, quo ardent corda quaerentium Te, et requirentium formosissimam faciem Tuam.

Et propterea non satiantur hymnis et canticis misericordiarum Tuarum, quarum non est numerus; et cupiunt multiplicare laudes operum mirabilium Tuorum super numerum arenae maris.

Haec sit pars mea, precor Te, Deus meus et misericordia mea; de victoria ista, quam postulo, cantem vocibus et ignitis affectibus in generationem et generationem opus novum fortissimae dexterae Tuae.

Caput XI.

De reformatione imaginationis.

Multa mala patior, clementissime Domine, ab inconstantia imaginationis meae, quae discurrit per innumerabilia loca, et format innumerabiles imagines, quas ego nollem.

Quid faciam dissipatus et divisus a Te, Cujus imaginem formare non valeo?

Justa punitio est haec, Domine, ut, qui dereliquit

Te propter figuram mundi, patiatur mille tormenta imaginationum importunarum, neque possit figere in formosa valde humanitate Tua oculos cordis, quod commisit adulterium.

Ego vero semper sperabo, quia licet omnia excelsa Tua et fluctus Tui super me longo tempore transierunt; Tu tamen mitis et suavis es, et post tempestatem magni maris afferes tranquillitatem servo Tuo.

O tranquillitas diu desiderata, et multis laboribus quaesita, quando venies, ut procella mea mutetur in auram, et sileant tumentes fluctus ejus.

Certe serenitas haec pretiosa est valde, quam reges multi cupierunt.

Utinam recederent jam a creatura Tua, o Fili Dei vivi, omnia spectacula deformia, et imprimeretur ei sola forma Tua stabilis et constans, et a nullis importunis imaginibus impedita!

Ego cantarem Tibi canticum redemptionis novae totis viribus et visceribus, sicut cantare solent, qui navigant mare turbatum, quando erepti a periculo vitae deducuntur in portum voluntatis eorum.

Recordor, potentissime Domine, quando increpuisti mare rubrum et exsiccatum est, et deduxisti populum Tuum per medium abyssi sicut per desertum; atque ita spero in dulcissima bonitate Tua, quod congregabis sicut in utero aquas maris, et pones in thesauris abyssos.

Et ego confitebor Tibi in vasis cantici, et psallam Tibi in cithara animae meae a Te ordinatae atque compositae, paratus non tacere laudes Tuas et misericordias antiquas Tuas in aeternum.

Caput XII.

De reformatione intellectus.

O veritas et sapientia Dei mei, cujus pastu solo potest saturari cupidissimus sciendi intellectus meus, quale tormentum est hoc, quo crucior discurrens per diversas doctrinas et artes hominum, et non valens requiem invenire!

Si numerem multitudinem stellarum et arenam, quae jacet in littore maris, et cognoscam innumerabiles proprietates creaturarum, non satiabor, quia cupio omnia scire.

Atque ita labor inquietus est ante me, qui non cessabit, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam omnia, quae desidero in novissimo spectaculo Tuo.

O spectaculum formosissimum aeternae veritatis et bonitatis Dei.

Profecto bene est, nihil velle scire nisi Te, Jesu Christe crucifixe, ut sublata curiositate sciendi multa parum necessaria, amem Te fortius, et velato intellectu velo fidei Tuae, curram ad montem visionis, ubi videtur serenissima facies Tua.

Consilium hoc placet mihi, Domine, quia sanum, et sanctum, et suave est, velle scire et nosse Te, Qui es omnis sapientia, salus et consolatio mea.

Propter quod ego delibero non vagari amplius per Academias filiorum hominum, in quibus, etsi multi proficiant, multi tamen fatigantur inquisitione veritatis, quam non inveniunt.

Vacabo ergo Tibi, veritas Dei, et considerabo mirabilia opera Tua, neque putabo, me aliquid scire inter homines, nisi Te, in Quo sunt omnes thesauri sapientiae Dei.

Atque utinam ignorem omnia alia praeter Te, Domine, ut reformetur intellectus meus contemplatione solius bonitatis et veritatis Tuae, qua chori Angelorum pascuntur et ineffabilibus consolationibus exultant.

Melius est enim mihi, non solum in futuro, sed etiam in hoc saeculo scire Te Solum, quam cognoscere omnia alia extra Te.

Aperi ergo mihi, Domine, sensum, ut intelligam Te, quemadmodum solent Te cognoscere charissimi amici Tui, ut illuminer splendoribus sanctorum viatorum, interim dum ponis tenebras latibulum Tuum.

Et memorabor justitiae Tuae solius offerens Tibi hostiam laudis et jubilationis pro universis mirabilibus operum Tuorum, super quae omnia ascendit copiosissima misericordia Tua.

Caput XIII.

De reformatione voluntatis.

Scio, Domine, quid primum requirat a me bonitas Tua in principio legis Tuae immaculatae convertentis animas.

Jubes enim, o suavissime legislator, ut diligam Te ex toto corde meo, ex omnibus viribus meis, et ex tota fortitudine mea.

Justus es, Domine, et rectum judicium Tuum.

Si enim Tu es prima et infinita bonitas et pulchritudo, justum est, ut reddam Tibi primogenitum affectum cordis mei.

Sed vae mihi, quia sollicitor valde innumerabilibus amoribus, qui dilacerant animam meam.

Omnia desiderabilia filiorum Adae, patris mei, mi-

litant contra me, et paulo minus furantur improvidum cor meum.

Si expellam amorem unum propter Te, Domine, nesciens, per quam portam introierit, invenio intra me amorem alium fortiorem illo; et multiplicatur pugna et sollicitudo mea sicut guttae pluviae cadentis in terram.

Haec est servitus mea nimis dura, qua crucior usque in finem; neque suppetit remedium, nisi in Te Solo, Deus cordis mei, Qui potes convertere ad solum decorem Tuum lacerata viscera mea suspirantia Tibi.

Quis mihi det, ut nihil velim, nisi Te, salus et libertas mea, ut dirumpantur vincula colli portantis multa juga non hominum, sed jumentorum?

Si digneris, Domine, respicere hanc creaturam Tuam positam in tormentis, et trahere me post Te, ut curram saltem in odorem unguentorum Tuorum, cum adolescentulis, quae dilexerunt Te; ego sacrificabo Tibi viscera mea, et surgent quasi virgula fumi ignita suspiria ex altari cordis mei.

O Fortissime et Potentissime, vince me charitate Tua, et reforma voluntatem istam vagantem per creaturas, ut feratur pondere dilectionis ad speciosissimam faciem Tuam.

Si audieris votum meum, fidelissime Domine, ero servus Tuus emptitius et signatus signo libertatis Tuae; et non admittet ultra voluntas mea extraneos amores, quibus divertatur ab unico refrigerio suo.

Faciamus pactum mutuae dilectionis, o Rex pacifice, quae permaneat in aeternum, ita ut per pluviam voluntariam, quam segregasti haereditati Tuae,

foecundetur anima mea, quae patet, sicut terra sine aqua Tibi.

Respice, obsecro, votum meum, sicut respexisti munus Abel, servi Tui, et mitte ignem de coelo in viscera mea; quae fiant sicut lampades ignis atque flammarum ita, ut aquae multae non possint exstinguere charitatem, nec flumina obruant illam.

Haec sit pars mea et praeda mea, oro Te, Fili Dei, ut reformatus ad exemplar amoris Tui, totus inflammer aeterno ac dulcissimo incendio Tuo.

Caput XIV.

De studio virtutum.

Homo quasi flos egreditur, paululum virescit et statim conteritur; ex quo patet, quod nunquam in eodem statu permanet.

Et tamen in hac inconstantia et brevitate vitae omnia tentat, et peregrinatur, et navigat sine fine; studii vero virtutum non recordatur, et evanescit in quandam dementiam incredibilem.

Coecus est, neque requirit lumen; claudus est, neque mentem applicat ad sanandos et dirigendos pedes suos in viam pretiosissimae pacis filiorum Dei.

Miror stultitiam hanc, qua tenentur filii Adam praevaricatores ab utero matris suae.

O quam turpis error est quaerere disciplinas hominum, quorum nomina scribuntur in terra, et negligere sapientiam Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in coelo!

Beatus vir, qui humilitatem, mansuetudinem, obe-

dientiam et caeteras virtutes christianas quaerit sicut aurum, ut corona pulchritudinis ornetur caput ejus.

Hic est sapientior sapientibus, et fortior fortibus, cujus Nomen vivet in aeternum.

Non est inter mortales gloria ulla, quae cum anima virtutibus decorata comparari possit.

O quam deliciosus est virtutum paradisus, quem plantat Jesus Christus in anima sponsae Suae, ut delectetur in ea!

O amoenitas hortorum Dei, Cujus deliciae sunt cum filiis hominum.

Vere flores isti spirant odorem suavissimum ad Austrum, et fragrantia Dei delectat casta corda suspirantia in statum immortalitatis, ubi apparebit dulcissimus decor virtutum, quibus filia Sion coronatur.

Certe si homines, qui adorant idola mundi, viderent semel choros virtutum ordinatos et assimilatos perfectissimae formae Filii Dei, cito converterentur ab erroribus suis, et studiosissime quaererent decorem virtutum.

Sed vae mihi, neque enim ego satis cognovi, quam sint amabilia haec lumina animae, quae praeparatur ad nuptias Agni Dei.

Utinam saperem et intelligerem, quanta et quam inaestimabilis sit honestas et pulchritudo animae, quae quasi filia regis est circumdata vestitu deaurato.

Tu potes, altissime Deus, instruere me et imprimere visceribus meis sensum divitiarum interiorum, quibus adornas sponsam Tuam.

Imprime ergo, Domine misericordissime, sensum istum, et fac, ut vigilem diebus atque noctibus in

studio coelestium virtutum Tuarum, et trahar decore domus Tuae.

Et laetabor ego valde super abundantiam dulcedinis Tuae, sicut qui superatis hostibus suis invenit spolia multa;

Eroque fidelissimus praeco misericordiarum; cantaboque mirabiles victorias Tuas.

Caput XV.

De studio contemplationis.

Beati sunt, Rex pacifice, servi Tui, qui assistunt faciei Tuae, et remoti a strepitu negotiorum mundi contemplantur mirabilia Tua.

O quam jucundum, quam suave et quam desiderabile otium illud, in quo silentibus passionibus et imaginationibus filia Sion, dulcissima sponsa Tua, requiescit in amplexu Tuo!

Ibi fit consors nominis et suavitatis Tuae decora valde Sulamitis, quae unione castissima dormit in sinu Tuo.

Vae mihi, qui tetendi in campestribus tabernaculum meum, et audeo loqui de vertice montis Sinai, quem operuit nebula et caligo sole splendidior! Longissime absum a consortio Tuo, Domine altissime, Qui posuisti tenebras latibulum Tuum.

Ego non crevi ad mensuram grandium, qui vescuntur voluptuose in lautissima mensa Tua.

Ego laboro valde in tabernaculis Jacob, luctatoris Tui, et suspiro ad portas Sion, quas magis dilexisti; si forte post luctam dones mihi benedictionem de rore coeli, cujus stillicidia concupivit anima mea.

Opto enim, Domine, vacare Tibi, Qui es summum bo-

num, gaudium et corona mea, in silentio curarum et creaturarum, quae nimis importune sollicitant cor servi Tui.

Ego vero dirigo orationem meam ad Te, Domine, quasi sacrificium vespertinum, exspectans tempus beneplaciti et serenissimae faciei Tuae.

Portio enim haec non est audita in Canaan, neque visa est in Theman; atque ideo non possum illam emere a mercatoribus terrae.

Privilegium nobilium est, qui non laborant in Aegypto, ubi in hortorum morem aquae Nili per fossas ducuntur irriguae; sed elevatis oculis in coelos Tuos, opera digitorum Tuorum, exspectant pluviam voluntariam, quae descendit ex consilio aeternae voluntatis et ex dulcedine infinitae bonitatis Tuae.

Haec sit, oro, pars mea, sit potus et esca mea, et pingue nutrimentum cordis mei.

Caput XVI.

De studio solitudinis.

Illi sunt servi Tui fideles atque prudentes, Domine, qui aut semper, aut certis temporibus fugiunt de medio Babylonis, ubi sunt strepitus et rumores innumerabiles ad solitudinem, ubi onagrorum more liberi et soluti a vinculis occasionum et perturbationum ingrediuntur ad pascua Tua, et delectantur odore agri pleni Tui.

Bene est illis, quando fugiunt societatem peccatorum et negotiatorum mundi, ne forte inquinentur.

Foelices sunt, dum quaerunt in tranquillitate solitudinis suavissimam societatem et conversationem Tuam.

Certe licet deserta sint sterilia filiis hujus saeculi,

qui mollibus vestiuntur et habitant in domibus regum; filiis tamen Tuis loca solitaria foecundissima sunt, quia scinduntur eis aquae in deserto, et torrentes dulcedinis in solitudine.

Tu enim, fidelissime Domine, visitas amicos Tuos, qui respuunt hominum commercia et solatia propter Te; et venit super capita illorum secreta misericordia Tua, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Haec est sors eorum, qui terga vertunt mundo, quorum anima concupiscit et deficit in atria Domini.

Non sollicitat illos ambitio aut avaritia filiorum Adae; quia omnia desiderabilia mundi vendiderunt propter Te, Domine, Qui es totus honor et haereditas illorum.

Et quidem Ego invideo illis sortem hanc; non quia velim eos privari haereditate pretiosissima, sed quia vellem et ego admitti cum filiis Levi ad eam possidendam omnibus diebus vitae meae.

Propter quod expedit mihi, Rex pacifice, non multum negotiari cum Assyriis et Sabaeis, sed per campos floribus Tuis vestitos quaerere Te, Qui lactas animam, sponsam Tuam, ducens eam ad solitudinem, et loquens ad cor ejus.

Recordor ego, Domine, servorum Tuorum, quos quasi patres honorat Ecclesia Tua, qui tenebantur intimo desiderio solitudinis, ubi gustaverant Te, et multiplicaverant sine testibus inaestimabiles divitias suas.

Placet mihi valde consilium hoc, quod praedicavit verbis et exemplis casta generatio quaerentium Deum, quaerentium formosissimam faciem Dei Jacob.

Atque ideo precor Te, Fili Dei altissimi, tangas

digito Spiritus Tui viscera mea, ut suspirent ad Te gemitibus inenarrabilibus; et prae magnitudine desiderii inveniendi Te fugiant de urbe Chaldaeorum ad pacem et serenitatem Tuam.

Pro misericordia ista grandi supplicabo Tibi ad altare Tuum in muneribus dilectionis et in holocausto pinguissimo, quod instituit amor Tuus.

Odorare, precor, suave sacrificium novi testamenti, quod haereditate acquisierunt charissimi filii et amici Tui.

Caput XVII.

De vigilia cordis.

Bene intellexit legem dulcissimae charitatis Tuae, o unigenite Fili Dei, sponsa Tua, quando dixit: Ego dormio, et cor meum vigilat.

Qui enim possidet Te per divinam gratiam et aeternam misericordiam Tuam, habet cor sollicitum, ne forte perdat Te et obscurentur oculi ejus prae magnitudine tristitiae.

Credo autem, Domine, sollicitudinem istam valde placere Tibi; nam fidelissimus Apostolus Tuus vivens sub umbra alarum Tuarum, inter opera perfectissimae justitiae, timebat et vigilabat castigans corpus suum, ne forte reprobus fieret.

Sed et omnes amici Tui, Domine, vigilant super custodia cordis, quia peregrinantur per terram inimicorum, qui crudelissimo latrocinio exspoliare solent incautos viatores.

Ex quo fit, ut mihi necesse sit a somno exsurgere, et super custodia mea vigilare, quamdiu superest halitus in me, et Spiritus Dei in naribus meis.

Vere, Domine, filii Adam laborant lethargo mortali, et egent adjutorio Tuo, ut excitentur; propter quod fac, Domine, ut anima mea nunquam obdormiat in morte, sed pungatur stimulo charitatis Tuae, quae non sinat illam in terra requiescere.

Si enim in terra requiem invenire non possit, suspirabit Te; uretur aestu per diem et gelu per noctem, et recedet somnus ab oculis meis.

Utinam sollicitudo haec semper excitaret cor meum, ut semper ferretur ad Te, et multiplicaret sine fine vigilias suas!

Si enim Tu, Pastor amantissime, custodisti vigilias noctis super gregem Tuum pernoctans in oratione Dei, justum erit, ut ego non graver somno, dum agitur de causa aeternae salutis et interminabilis consolationis meae.

Vigilabo ergo factus sicut passer solitarius in tecto domus meae fugiens consortia peccatorum, et ex loco sublimi explorans fures, qui per tenebras noctis quaerunt subvertere sensus meos.

Non dabo somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniam et teneam Te, et fruar optatissima praeda mea.

Hoc est consilium dignum secreta eruditione Tua, o sapientia Dei, Quae fide Tua illuminasti me, ut in vigilia charitatis quaeram sine requie temporali aeternam requiem et beatissimam pacem Tuam.

Caput XVIII.

De victoria hostium animae.

Omnes, qui de bello pacem Tuam inquirunt, Domine, laetantur, quando vincunt obstinatos inimicos

suos; laetissima enim victoria est, quando per fortissimam virtutem dexterae Tuae vir justus prosternit mortem et infernum, et omne, quod in corpore mortali adversatur aeternae legi Tuae.

Quando scilicet accedit homo ad cor altum, et exaltaris in illo per multiplices triumphos miserationum Tuarum, quibus glorificaris inter mirabilia opera Tua:

Tunc expanditur cor sine superbia elevatum et insultat inimicis suis, sentiens adjutricem dexteram Tuam, quae contribulavit capita draconum in aquis.

Tunc salit sicut cervus claudus, et aperitur lingua mutorum ad cantandas victorias Tuas.

Beatus vir, qui suffert tentationem, et luctatur cum hostibus suis; quia licet seminet in lacrymis, in exultatione tamen metet, et laetabitur pro diebus, in quibus eum humiliasti, et pro annis, quibus vidit mala.

Et exaltabitur sicut unicornis robur ejus, et senectus ejus non erit sterilis, sed in misericordia uberi super omnem ubertatem orbis terrae.

O senectus non fragilis, sed matura, non infirma, sed tuta sub protectione fortissimi Filii Dei!

Haec est aetas mentis non annorum numero computata, sed victoriis multis provecta et carnis sensibus dealbata.

Tu scis, Domine, quam gloriosus sit status fortium, quibus inceperunt hostes cedere, et quibus coepit pax Tua succedere.

Orta est in animabus eorum justitia et abundantia pacis, quae superat omnem sensum, et non solum in futuro saeculo, sed adhuc in hac vita dominabuntur

cum pacifico Rege suo a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illis procident Aethiopes, et inimici eorum terram lingent.

Quis mihi det, ut de proeliis, quae quotidie mihi constituunt hostes mei, surgam ad statum excelsum victoriae Tuae, o summe et potentissime Triumphator, Qui confregisti capita draconis, et dedisti eum escam populis Aethiopum?

Ego laborabo pro victoria ista, armatus galea salutis, tectus lorica justitiae, et accinctus gladio Spiritus Tui.

Doce, obsecro Te, o Fortissime, doce manus meas ad proelium et singulos digitos ad bellum, cujus finis sit optatissima et gloriosissima victoria Tua.

Caput XIX.

De ingressu animae victricis in coelum.

Impossibile est, Domine, hominem mortalem explicare ineffabilem triumphum animae victricis ingredientis in aeternam requiem beatissimi regni Tui.

Quomodo ergo potero ego unus e plebe Tua exponere aut intelligere arcana verba, quae non licet homini loqui?

Sed loquar, et respirabo paulul um corpore quidem absens, sed corde praesens in platea dulcissimae Jerusalem, civitatis Tuae.

O lux candidissima et mare spatiosum infinitae suavitatis, quomodo anima laboribus terrae fatigata et sitibunda statim ac ingreditur in desideratam valde requiem et gaudium Domini sui, mergitur in Te et satiatur abundantissimo torrente voluptatis Tuae!

Statim ac separatur a corpore mortali et longo carcere suo, velocissimo volatu fertur ad Te, summum bonum et refrigerium suum; et nisi debito poenarum Purgatorii teneatur, celerior quam aquila volat, et penetrat coelos Tuos tota formosa et suavis quasi columba deargentata, cujus posteriora lucent in pallore auri.

Ad ejus autem ingressum exultat tota civitas Tua, quae sursum est; et innumerabilibus laudibus cantat redemptionem concivis suae provenientem ex antiqua et fidelissima misericordia Tua.

O misericordia magna et mirabilis valde nimis.

O beatissima consummatio laborum, qui coronantur requie sempiterna et vita immortalissima!

O si daretur mihi, servo Tuo, Rex pacifice, e loco aliquo secreto, quem oculi carnei non viderent, intueri sponsam Tuam, animam justi ingredientem et solennissima processione deductam ad thronum Tuum.

Credo certe, Domine, tantam esse laetitiam Tuam et sponsae Tuae, et totius Jerusalem triumphantis in hora illa, ut videantur coeli terraeque liquescere prae magnitudine dulcedinis Tuae.

O vita jucundissima, quomodo corda illa connexa vinculo vitalissimi Spiritus Tui, mutuo junguntur et adhaerent sibi ad celebranda sine fine inaestimabilia gaudia sua!

Utinam vocer ego ad consortium tantae solennitatis, Domine, ut dilatentur viscera mea, et mergantur in flumine vivo purissimae aquae, quam sitivi! vexat enim me nimis ardens febris in terra deserta et inaquosa, plena laboribus et anxietatibus absque numero.

Da mihi bibere, Domine, ex aqua limpidissima fontis Tui, ut non sitiam in aeternum; et multiplicabo laudes Tuas super numerum stellarum suspirans incessanter ad foelicissimam civitatem Tuam.

Caput XX.

De ascensu electorum in coelum post judicium.

Saepe recordor, Fili Dei altissimi, Ecclesiae Tuae magnae ascensurae in coelum, ubi percipiet regnum, quod ab origine mundi praeparavit ei clementissimus Pater Tuus.

Recordor gloriosissimi triumphi, quando exhibebis sponsam Tuam non habentem maculam neque rugam Patri Tuo, Qui regnabit in aeternum et ultra.

Et videor mihi videre exercitus victorum candidatos et configuratos Tibi, Rex pacifice, ascendentes de mundo, quem vicerunt, et de morte, quam calcarunt, festinantes per aërem, et penetrantes coelos Tuos cum tanta majestate et tam inaestimabili gloria, ut fortissime trahatur post illos anima mea.

O suprema victoria et intima cordium laetitia, quis poterit dicendo assequi Te?

O quam pulchra tabernacula Jacob, quam speciosa tentoria Israel, quasi valles nemorosae et quasi amoenissimus paradisus, quem plantavit Dominus!

Qualis erit, dulcissime Deus cordis mei, ascensus ille, qnando absoluto judicio, quod dedit Tibi Pater, quia Filius hominis es, incipient elevari sursum castra Tua formosissimis corporibus splendentia super solem, et suavissimo decore celebrantia aeternas misericordias Tuas?

Beati servi Tui, Domine, in quibus absorbebitur, quod mortale est, a vitalissima vita Tua?

Quis mihi det, amantissime custos hominum, ut ascendam ad populum accinctum Tuum, qui accingetur non jam ultra ad praelium, sed ad pacem Regis sui duraturam sine fine?

Quam fortis, quam suavis et laetus ascendet populus acquisitionis Tuae, Domine, ad atria Jerusalem, primogenitae civitatis Tuae!

O gens sancta, regale sacerdotium; pars electissima funiculus haereditatis Filii Dei, Qui regnavit a ligno!

Memoria memor ero Tui, o dulcissima Sion, et tabescet in me anima mea.

Quis enim non capiatur pulchritudine Tua, o filia Principis, quae ascendes de cubilibus leonum ad campos deliciarum Dei vestita candore purissimo, et ornata serenissimo vultu Sponsi tui, Qui lucebit in te?

O quam foeliciter remuneratur labor viatorum, quos fatigavit egestas!

Jam non erit amplius luctus, aut clamor dolentium, et supirantium e fluminibus Babylonis ad charissimam patriam, tranquillissimam mansionem suam.

Sed abstersis lacrymis ab oculis electorum formosa valde manu Tua implebis corda illa, Domine, castissimis delectationibus, quas servasti in abscondito pulcherrimae faciei Tuae.

Dux ascendentium eris, o Fortissime, prospereque procedes, et regnabis specie Tua super electissimum populum Tuum, qui cantabit Tibi antiquas misericordias totis viribus, et visceribus absque fine.

Stantes ergo erunt post ascensum pedes victorum Tuorum in atriis speciosissimae Jerusalem, quae nunc aedificatur ut civitas: cui participatio pretiosior et desiderabilior est, quam universi mundi imperia, et honores et consolationes filiorum Adae, quamvis durarent in aeternum.

Propter quod anima mea fertur ad elegantissimam formam sponsae Tuae, Rex Salomon, Cujus vultum desiderat universa terra.

Oro ergo Te, dulcissime Fili Dei, Cujus miserationum non est pondus, aut numerus, ut post labores, quibus vexor in terra aliena, ascendam Tecum, et cum beatissimo populo Tuo ad excelsam et solidissimam terram viventium, ubi requiescam in arctissimo complexu dexterae Tuae.

CONCLUSIO.

Actuum contritionis praxis quotidiana.

Domine mi, infinito amore et honore digne, poenitet me divinam Tuam offendisse majestatem; et firmiter statuo non amplius Te offendere, tametsi mihi hanc ob causam mors esset appetenda.

Suavissime et amabilissime Domine, praeterita peccata detestor et execror, nec peccabo in posterum, etsi omnes mundi labores mihi patiendi essent.

Displicent mihi summopere, o infinitae magnitudinis Rex, superiora peccata: ipse mi Tibi sacrifico, meque statuo in aeternam divinam majestatem Tuam non offensurum.

Doleo, o altissime Creator mi, ob summam ingratitudinem meam, omnesque mundi et carnis leges potius perfringam, quam quid committam, quod Tibi displiceat.

Detestor, o vitae meae auctor et assertor, omnia mortua peccatorum meorum opera, eo quod Tibi Tuae voluntati displicent; et firmiter decerno, nullius commodi aut boni alicujus creati gratia ullum peccatum committere.

Ego sum, fidelissime patrone et magister mi, infidus quidem proditor morte dignus eo quod peccavi, cujus me summopere poenitet; abstinebo itaque a pec-

cando, daboque operam, ut ex totis viribus meis a gratia Tua adjutus Tibi satisfaciam.

Nollem, mansuetissime Domine, toties, a me offense et ad iracundiam provocate, propter omnes mundi thesauros in Te injurius exstitissem: quare nullam deinceps Tibi injuriam irrogabo, etsi atrocissimum aliquod martyrium mihi subeundum foret.

Quam graviter erravi, o infinitum et aeternum animae meae bonum, cum me a Te longe subduxi, et a Te recessi, cujus me quam maxime poenitet.

Non declinabo posthac a Te, Domine mi benignissime, sed omni Tibi fidelitate et obsequio serviam.

Peccata mea maledico, abominor et detestor; eo quod Tibi, o infinita bonitas, displicent: malim contemni, imo a carnificum manibus contrucidari, quam Creatorem meum peccando offendere.

Utinam Tuam, Domine mi desideratissime, legem transgressus non essem.

Non revertar amplius ad peccati vomitum, sed omnem excogitabo Tui placandi Tibique satisfaciendi rationem.

O. A. M. D. G.